Fr. Vincentii Mariæ Ordinis Prædicatorum Miseratione Divina Tituli S.Sixti S.R.E.Presbyteri Card. Ursini in nostrum Archiepiscopum, congregato dicto Reverendissimo Capitulo de mandato ejusdem Eminentissimi Domini pro hac die in Bibliotheca Archiepiscopii coram ipsomet Eminentissimo Archiepiscopo, scilicèt Reverendissimis Dominis Paulo Farella Sacræ Theologiæ Doctore, Protonotario Apostolico, S. Mariæ de Strata Abbate, Archidiacono, Iulio de Marco V. I. D. Archipresbytero, Ioanne de Nicastro V.I.D.Protonotario Apostolico, Primicerio primo,& apud eundem Eminentissimum Auditore Generali, Aloysio Antonio Ayello Sacræ Theol.Doctore Proton. Apostolico Primicerio secundo, Andrea Moscarelli Protonot. Apostolico Thesaurario, Agnello Rendina V.I. D. Protonot. Apostol. Bibliothecario, Marsilio Verusio Decano, Iosepho de Dominicis, Cæsare Ciarletta, Dominico Croce, Iosepho Musto, Matthæo de Matthia, Scipione Perrotti, Iosepho de Martino, Benedicto Mariella Sacræ Theolog. Professore Maiore Pœnitentiario, Vincentio de Vita V.I. Licentiato Presbyteris, Scipione Carissimo, Io. Baptista de Martino V.I.D.Proton. Apostolico, Bartholomæo Feulo Proton. Apostolico, Dominico Mastrojanni, Francisco Spadaccino Sacræ Theol. Professore, Nicolao Saraceno, Dominico Rossi Diaconibus, Vincentio Castelli, Iosepho Colle, & Dominico Musso Subdiaconibus Canonicis, integrum ferè Capitulum perficientibus, cum desit tantùm unus Romæ degens, scilicèt D.Canonicus Carolus de Eolo V.I.D., suprascripta Capitularia, sivè Statuta in ordinem digesta, singuli enumerati Domini Dignitates,& Canonici lecta, audita, & discussa, nonnullis in lectione moderatis, nonnullisque aliis superadditis, sic moderata, & addita, & à supradicto Eminentissimo Archiepiscopo post habitum consilium, & consensum præfatorum Dignitatum, & Canonicorum, authoritate sua Archiepiscopali, ac omni alio meliori, & efficaciori modo, & via, probata, & confirmata in mea, & infrascriptorum testium præsentia, acceptaverunt, & laudaverunt. Verùm circa finem hujus actus horæ tarditate præventi ob noctem irruentem præfati DD. Iulius de Marco Archipresbyter, Marsilius Verusio, Ioseph de Dominicis Canonici de licentia ejusdem Eminentissimi Archiepiscopi attenta eorum senectute, proprias domus petierunt; tamen singuli suos Procuratores ad interessendum, acceptandum, probandum, & jurandum in anima eorum principalium crearunt, idest dictus D.Archipresbyter de Marco antedictum D. Aloysium Antonium Ayello Primicerium secundum, supradictus D. Decanus Marsilius Verusio prædictum D. Canonicum Matthæum de Matthia, dictus D.Ioseph de Dominicis, præfatum D.Vincentium Castelli, spondentes habere ratum quidquid &c. Qui quidem DD. Dignitates, & Canonici eorum observantiæ inviolabili se submiserunt, & tactis pectoribus more sacerdotali juraverunt in forma, prout & fecerunt præfati Procuratores nomine eorum principalium. Super quibus omnibus, & singulis petitum fuit à me infrascripto publico Apostolica auctoritate Notario, & Curiæ Archiepiscop. Cancellario, ut unum, vel plura, publicum, seù publica conficerem, atque traderem Instrumentum, & Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero.

Actum Beneventi, & propriè in ante-

antedicta Bibliotheca Archiepiscopii supradicta die 18. mensis Martii 1695. Indict. tertia, præsentibus, audientibus, & inspicientibus M. Reu. D. Ianuario Alfieri V.I.D. Protonot. Apostolico, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi huius Civitatis Canonico Præposito, M.R.D. Francisco Iannotti Archipresbyt. Oppidi Ceppaloni huiusmet Diœcesis, & Acolytho Angelo Alfieri huius etiam Civitatis, Testibus ad hæc specialitèr vocatis, habitis, atque rogatis.

Undè Ego in præmissorum fidem de prædictis omnibus rogatus, & requisitus hoc subscripsi, & consueto signo signavi.

Ita est Paduanus Sanctorius Insignis Collegii Sancti Spiritus Canonicus publicus Apostolica auctoritate Notarius, & Curiæ Archiepiscop. Cancellarius. Adest † signum.

A P P E N D I C E

A' precedenti Capitolari.

I.

Decretum Emi Archiepiscopi Ursini post concessum à Sanctiss. D. Clemente Papa XI. usum Mitræ, aliorumque indumentorum Abbatialium Reverendiss. Capitulo Metropolitano Cit. Cap. XVI.

Visis Literis Apostolicis Sanctissimi Domini D. Papæ Clementis XI. sub datum Romæ die XIV. mensis Novembris anni currentis 1701. Nobis pro parte nostri Metropolitani Capituli exhibitis, ac præsentatis, siquidem non abrasis, non vitiatis, non cancellatis, nec in aliqua ipsarum parte suspectis, sed omni prorsùs vitio carentibus; Visa etiam instantia, ac requisitione nobis facta, quatenus ad illarum exequutionem procedere deberemus; Nos eas omni, qua decet reverentia, recepimus, & debitæ executioni juxtà earundem seriem, continentiam, & tenorem demandari volumus, ac mandamus. Decernimus proindè vigore dictarum Literarum Apostolicarum licere Dignitatibus, ac Canonicis nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ pro tempore existentibus, ac eorum successoribus in perpetuum.

I. Tàm in Civitate, quàm in Archidiœcesi nostra etiam Nobis, Nostrisque successoribus absentibus, in Missis, Vesperis, ac Laudibus solemnitèr decantandis, ac etiam in Processionibus, Benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis, ac in reliquis Ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibeantur Paramenta, Mitra, aliisque indumentis, & paramentis tantùm adinstar Abbatum usum Mitræ habentium libere, & licitè uti.

II. In suis Armis, & Insigniis Mitram apponi facere, & addere.

III. Declaramus Indumenta, & Paramenta instar Abbatum usum Mitræ habentium intelligi Dalmaticam, & Tunicellam, Crucem Pectoralem, Chirothecas, Annulum cum unica gemma, Sandalia, & Caligas cum usu Faldistorij, ac Ministri de Candela, necnon cum Presbyteri Assistentis Ministerio præter Diaconum, & Subdiaconum.

IV. Mandamus verò eisdem sic celebrantibus non licere uti Faldistorio, nisi compacto ex ligneo nuceo, vel altero colore linito, sivè auro, & argento ornato, non tamen ex aurichalco, vel altero metallo. Putereà vestem, ac pulvinaria non ex holoserico, sed decentiori ex pan-

panno eidem Faldistorio apponi debere.

V. Prætèr dies festos Pontificales Nobis assignatos, in quibus Nobis, nostrisque successoribus absentibus, aut præpeditis per Dignitates, aut Decanum Indumentis, ac Paramentis Abbatialibus ornatos functiones explebuntur, ac prætèr Dominicas Quadragesimæ, saltèm in sequentibus diebus præfatis Indumentis utentur. Archidiaconus nempè in Nativitate Beatæ Mariæ Virginis: Archipresbyter in Purificatione ejusdem Beatæ Mariæ: Primicerius Primus in festivitate Sancti Laurentij Martyris: Primicerius secundus in Feria II. Paschatis: Thesaurarius in festo Sancti Stephani Protomartyris: Bibliothecarius in Dominica in Albis: Decanus in feria III. Paschatis: Canonicus I. Presbyter post Decanum in festo Sanctorum Philippi, & Iacobi Apostolorum: Canonicus II. Presbyter in festo Sancti Jacobi Apostoli: Canonicus III. Presbyter in festo S. Matthæi Apostoli: Canonicus IV. Presbyter in festo Sanctorum Simonis, & Judæ Apostolorum. Canonicus VI. Presbyter in festo S. Thomæ Apostoli: Canonicus VII. Presbyter in Dominica *Gaudete* III. Adventus. Canonicus VIII. Presbyter in Dominica I. Adventus: Canonicus IX. Presbyter in Dominica II. Adventus: & Canonicus X. Presbyter in Dominica IV. Adventus: & proindè dictas solemnitates juxtà Capitularia Dignitatibus assignatas, Canonicis, ut suprà, inposterùm assignamus, ac assignatas declaramus, quoad hæc Capitularia moderantes.

VI. In reliquis solemnitatibus tàm in diebus festis de præcepto, quàm non, aut per Dignitates, aut per Canonicos explendis, etiam in Missis Defunctorum Celebranti Indumentis, & Paramentis supra expressis uti liceat, si placuerit, & Clerici, aliique Ministri in decenti, & competenti numero habeantur, adeòque omni decentia, ac venustate sacra actio peragi valeat.

VII. Cum Missa in Faldistorio tàm à Dignitatibus, quàm à Canonicis cantabitur, prætèr Diaconum, ac Subdiaconum, etiam Presbyterum Assistèntem adhibere liceat, & in hoc casu assistentia non fiet per Canonicos, sed omnes erunt Mansionarij, uti aliàs Abbatibus de nostra licentia, & facultate celebrantibus fieri consueuit, & itidem quoad hæc Capitularia moderamur, ac pro moderatis haberi volumus, & mandamus, ijs aliàs in suo robore permansuris.

VIII. Cum verò Missa absque Faldistorio cantabitur in scamno oblongo (ut hactenùs antè Indultum Apostolicum obtentum juxtà Romani Missalis Rubricas peractum fuit) tunc assistentia fiet per Canonicos Mitra, ut Celebrans, ornatos. Celebrans autem etiam in his Missis, aliisque functionibus in Faldistorio minimè peragendis ministro de Candela, vulgò Bugia, uti poterit, & ita dicimus, ac declaramus, & in perpetuum inviolabilitèr observari mandamus, non solùm, ut suprà, sed omni alio meliori modo. Et hoc nostrum Decretum mandamus inseri post Indultum præfati Sanctissimi Domini Papæ in calce Capitularium ejusdem nostri Metropolitani Capituli. Datum in nostra Ecclesia Metropolitana in Pervigilio Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi die Sabbathi 24. Decembris 1701.

 II. TA-

II.

TABELLA

Delle Rendite, Pesi, e netto restante in ristretto così del Capitolo Metropolitano, come delle Prebende, e del Collegio de' Mansionarii nell'anno 1695. (in cui furono la prima fiata dati alle stampe i presenti Capitolari), e nell'anno 1722. secondo la visita fatta nello stesso anno.

	Rendite intere del 1695.	Pesi	Rendite nette del 1695.	Stato intero del 1722.	Pesi.	Rendite nette del 1722.	Avanzi	Stab. domaniali nel 1722
Massa Capitolare ——d.	2179. 59.	222. 40.	1957. 19.	3736. 04. 3.	480. 30.	3255. 74. 3.	1298. 55. 3.	N. o.
Prebenda Arcidiaconale d.	426. 70.	7. 76.	418. 94.	571. 45. 5.	35. 76.	535. 69. 5.	116. 75. 5.	N. 1.
Prebenda Arcipretale—d.	207. 77. 6.	17. 91.	189. 86. 6.	352. 32.	226. 51.	125. 81.	o. o. o.	N. 3.
Preb. del Primicerio I.—d.	35. 30.	3. 80.	31. 50.	42. 27. 6.	3. 53. 7.	38. 73. 11	7. 23. 11.	N. o.
Preb. del Primicerio II.—d.	28. 57. 6.	o. 60.	27. 97. 6.	33. 46. 6.	o. 38. 5.	33. 08. 1.	5. 10. 7.	N. o.
Preb. del Tesoriere ——d.	50. 53.	4. 58.	45. 95.	122. 36.	34. 76. 11.	87. 59. 1.	41. 64. 1.	N. o.
Preb. del Bibliotecario—d.	95. 80.	3. 64.	92. 16.	131. 38. 4.	2. 72. 6.	128. 65. 10	36. 49. 10.	N. o.
Preb. del Penitenziere —d.	16. 66. 8.	1. 29. 6.	15. 37. 2.	65.	12. 94. 3.	52. 05. 9.	36. 68. 7.	N. o.
Prebenda del Canonico Maestro delle Sagre Cerimonie ——d.	25. 05.	1. 78.	23. 27.	44. 32. 3.	1. 26. 3.	43. 06.	19. 79.	N. o.
Prebenda Dottorale——d.	oo. o.	o. o.	o. o.	50. o. o.	o. o. o.	50. o.	50. o.	N. o.
Rendite stabilite per lo Lettore de' Sagri Riti ——d.	oo. o.	o. o.	o. o.	25. o. o.	o. o. o.	25. o.	25. o.	N. o.
Rendite stabilite per lo Custode della Tesoreria—d.	oo. o.	o. o.	o. o.	25. o. o.	o. o. o.	- 25. o.	25. o.	N. o.
Massa del Collegio de' Mansionarii ——d.	689. 27. 9.	109. 89. 4.	579. 38. 5.	1044. 4. 10.	134. 01. 7.	910. 03. 3.	330. 64. 10.	N. 7.
S. Tommaso dell'Opere—d.	10. o.	10. o.	o. o.	10. o. o.	10. o. o.	o. o.	oo. o.	N. o.
Somma di tutte le suddette Rendite, Pesi, Avanzi &c. ——d.	3765. 26. 5.	383. 65. 10.	3381. 60. 7.	6252. 67. 1.	942. 20. 6.	5310. 46. 7.	1992. 91. 6.	N. 11.

III.

INSTRUMENTUM

Statuti super forma tenenda in Censuationibus, seu renovationibus Censuum bonorum stabilium S. Ecclesiæ Metropolitanæ. Cit. in Capitularibus Coll. Mansionar. cap. V.

IN DEI NOMINE AMEN.

P*Ræsenti hoc publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, qualiter hodie infrascripto die Beneventi, & propriè in Sacello Metropolitanæ Sanctæ Ecclesiæ, congregati ad sonum Campanelli, ut moris est, infrascripti Reverendissimi Domini Dignitates, & Canonici Reverendissimi Capituli Beneventani (prævia citatione, ad hoc eisdem intimata, & mihi infrascripto relata per Clericum Ascanium Joannellum præfatæ Metropolitanæ Sanctæ Ecclesiæ servientem) repræsentantes majorem, & saniorem partem dicti Reverendissimi Capituli, videlicet Paulus Farella Sacræ Theologiæ Doctor, Protonotarius Apostolicus, Sanctæ Mariæ de Strada Abbas, Archidiaconus; Julius de Marco V. J. D. Archipresbyter; Aloysius Antonius Ayello Sacræ Theologiæ Doctor, Protonotarius Apostolicus, Primicerius secundus; Andreas Moscarelli Protonotarius Apostolicus, Thesaurarius; Agnellus Rendina V. J. D. Protonotarius Apostolicus, Bibliothecarius; Marsilius Verusius Decanus, Joseph de Dominicis, Cæsar Ciarletta, Dominicus Croce, Joseph Musso, Matthæus de Matthia, Scipio Perrotti, Joseph de Martino, Benedictus Mariella Sac. Theologiæ Professor, Major Pœnitentiarius, Vincentius de Vita V. J. Licentiatus, Presbyteri: Scipio Carissimus, Bartholomæus Feulo Protonatrius Apostolicus, Dominicus Mastrojanni, Franciscus Spadaccino Sacræ Theologiæ Professor, Nicolaus Saraceno, Dominicus Rossi, Diaconi: Vincentius Casselli, Joseph Colle, & Dominicus Musso, Subdiaconi Canonici spontè, &c. pro majori Dei servitio, utilitate Ecclesiæ, ac ad tollendas fraudes, quæ in omnibus censuationibus, & renovationibus Censuum, & in unoquoque, vel unaquaque ipsorum, vel ipsarum evenire poterant, faciendam, & conficiendam existimarunt infrascriptam Constitutionem, sivè statutum tenoris sequentis videlicet.* Statuto per le Censuazioni, ò rinnovazioni de' Censi del Capitolo Metropolitano 9. Luglio 1695. In congiuntura di essersi formato lo stato generale, e particolare delle rendite, e pesi del Capitolo, de' Prebendati, e del Collegio de' Mansionarii, si è osservata la gran diminuzione delle medesime rendite dall' ultimo Tremuoto del 1688. in quà: perciocchè (oltre agli stabili in numero 114. che presentemente restano in domanio senza frutto, quando fruttificavano duc. 176. 55.) si sono nelle nuove concessioni, fatte senza le dovute solennità, diminuiti, e calati i canoni di altri 177. stabili in duc. 242. 79. poiche ascendendo prima i canoni di detti 177. stabili alla somma di duc. 554. 39. hora solo giungono alla somma di duc. 211. 60.

Quindi per provvedere opportunamente à simili pregiudizii, con perpetuo, e fermo Statuto si stabilisce, che non si possano mai più in avvenire far contratti di nuove

Censuazioni, ò rinnovazioni delle antiche, tanto della Massa Capitolare, quanto delle Prebende particolari, e Massa del Collegio de' Mansionarii, se non nella maniera, e forma seguente.

1. Dovra portarsi l'affare in pieno Capitolo, ed ivi seriamente discutersi.

2. Per decreto Capitolare spedirsi i soliti Provvisori, che dovranno rimandarsi più fiate, quando il bisogno il richiegga.

3. I medesimi Provvisori riferiranno in pieno Capitolo lo stato dello stabile, che dee censuarsi, ò rinnovarsi la censuazione.

4. All'hora, e non prima, si prenderà dal medesimo pieno Capitolo la dovuta deliberazione.

5. Stabilito così l'affare, il Procuratore del Capitolo, e de' Mansionarii unitamente per gl' interessi del Collegio di essi Mansionarii rispettivamente, farà l'istanza al Tribunale Arcivescovile per la spedizione del dovuto assenso, e beneplacito.

6. Fatta l'istanza, il Tribunale Arcivescovile dovrà chiamare il Bibliotecario, e ricevere da lui la relazione di tutta la serie del negozio per pienissima sua instruzione.

7. Seguentemente chiamerà i Provvisori, e gl' interrogherà del loro parere circa al canone da imporsi sopra lo stabile, del quale si tratta: ed i medesimi Provvisori saranno obbligati di palesarlo, à fine di evitarsi tutte le fraudi, collusioni, &c.

8. Finalmente il medesimo Tribunale, servata la forma delle Costituzioni Sinodali, si Provinciali dell'Arcivescovo Cardinale Savelli del 1567. *Cap. 1. de bonorum Ecclesiæ locationibus*, come Diocesane dell' Arcivescovo Palombara del 1594. *Cap. 3. de Offic. Archidiaconi, & Tit. de bonorum Ecclesiæ locationibus*, ed eziandio della Visita dell' Eminentissimo nostro moderno Arcivescovo del 1694. *Cap. 1. de statu Oeconomico Capituli, & Collegii Mansionariorum num. 6.* interporrà *gratis* il dovuto assenso, e beneplacito.

9. E mancandosi in tutte, ò in alcune delle suddette cose, così statuite, resti il contratto nullo, ed invalido, e di più i trasgressori saranno puniti ad arbitrio dell'Arcivescovo. E per la fermezza delle cose statuite, si supplica l'Eminentissimo nostro Arcivescovo, che voglia le medesime approvare, confermare, e colla sua autorità stabilmente munire: al cui oggetto si degnerà ordinare, che si aggiungano, ed inseriscano ne' Capitolari, già fermati a' 18. di Marzo dell'anno corrente = *Ideoque pro inviolabili observantia supradictæ Cōstitutionis, & Statuti, tactis pectoribus, supradicti Reverendissimi Domini Dignitates, & Canonici, more, &c. præstiterunt juramentum in forma, &c. Super quibus omnibus, & singulis petitum fuit à me infrascripto publico Apostolica Auctoritate Notario, ut unum, vel plura, publicum, seù publica conficerem, atque traderem Instrumentum, & Instrumenta, prout opus fuerit, & requisitus ero.*

Actum hic ibidem Beneventi, & propriè in antedicto Sacello Metropolitanæ Sanctæ Ecclesiæ die nona mensis Julii anni millesimi sexcentesimi nonagesimi quinti, tertiæ Indictionis; præsentibus, &c. Clerico Ascanio Joannello, & Clerico Marco d' Aniello testibus, ad hæc specialiter habitis, atque rogatis: Undè Ego,

in

in præmissorum fidem de prædictis omnibus rogatus, & requisitus, hoc subscripsi, & consueto signo signavi.

Ita est Clericus Dominicus Fontanella Beneventanus publicus Apostolica auctoritate Notarius.

Adest † signum.

DECRETUM.

Approbationis, & confirmationis supradicti Statuti.

PRæfatum Statutum à nostro Capitulo formatum, & Nobis præsentatum, approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ executioni demandari jubemus: mandantes apponi, & inseri in Capitularibus prædicti nostri Capituli, & propriè in Cap.V. *Delle rendite del Collegio de' Mansionarii* post num.2.& Ita,&c. hoc, & omni, &c. Datum in nostro Archiepiscopio hac eadem præfata die 9. Julii 1695.

Fr.Vinc.Maria Card.Archiep.

F.A.Mans. Finy de mandato Eminentiss.

IV.

Sententia Illmi D.Thomati Locumtenentis A.C. qua taxatur contra Pensionarios congrua sc.150. monetæ Romanæ pro Dignitatibus Ecclesiæ Metropolitanæ Beneventanæ, & scutorum 100. ejusdem monetæ pro Canonicis præfatæ Ecclesiæ.

CHristi nomine invocato, pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de juris peritorum consilio in his scriptis ferimus in causa, & causis, quæ primò, & in prima, sivè alia veriori coram nobis versæ fuerunt, & vertuntur instantia, intèr Reverendissimos Dominos Primicerium primum Joannem de Nicastris, Canonicum Joannem Baptistam de Martinis, Canonicum Nicolaum Saracenum, & cæteros Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ reos conventos ex una, & Illustrissimos Dominos Abbatem Fabritium, ac Marchionem Joannem Franciscum de Comitibus Guidis à Balneo, Abbatem Gregorium Meisellum, & Joannem Franciscum Ripam Canonicum Ecclesiæ Lateranen., & alios Pensionarios Dignitatum, & Canonicatuum prænarratæ Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ actores ex altera partibus; de, & super executione rescripti Sanctissimi facti in quodam memoriali porrecto per Eminentissimum Dominum Cardinalem Ursinum Archiepiscopum Beneventanum, in actis præsentis causæ producti, tenoris sequentis videlicet. Sanctissimus annuit, ut A.C. & alii Judices Romanæ Curiæ se abstineant à concessione, & relaxatione censurarum contra introscriptos Canonicos Beneventanos, nisi facto prius verbo cum Sanctitate sua, & pro nunc suspendant censuras, quatenùs fuerint concessæ, & relaxatæ contra eosdem Canonicos, ac super prætensa solutione pensionum, ut prætenditur, reservatarum ad favorem DD. Pensionariorum super dictis Dignitatibus, & Canonicatibus, rebusque aliis, &c. dicimus, pronunciamus, decernimus, & declaramus, prænarratum rescriptum Sanctissimi exequendum, & observandum fore, & esse, prout de verbo ad verbum exequi, & observari volumus, & mandamus, & pro effectu dictæ executionis, & observationis censuras contra DD. reos conventos nullo modo

pro

pro pensionibus relaxari posse, & quatenus illæ sint relaxatæ, suspendendas fore, & esse, prout suspendimus, & pro suspensis haberi volumus, & mandamus.

Item pari nostra sententia dicimus, pronunciamus, decernimus, & declaramus, dimissionem fructuum per dictos Dignitates, & Canonicos beneficiatos, benè, legitimè, ritè, ac rectè in manibus nostris fuisse, & esse factam, & proindè fore, & esse approbandam, proût approbamus, & pro illorum administratione deputandum fore, & esse Oeconomum, exactorem, distributorem, & administratorem dictorum fructuum, proût Procuratorem pro tempore dicti Reverendissimi Capituli Beneventani deputamus, & pro deputato haberi volumus, & mandamus, cum facultate prius solvendi congruam dictis Dignitatibus in summa scutorum centum quinquaginta monetę Romanæ, & Canonicis in summa scutorum centum similis monetæ, proût Nos taxamus, & pro taxata haberi volumus, & mandamus; residuum verò, quatenus adsit, soluta dicta congrua scutorum centum quinquaginta, & centum, ut supra, rescriptæ monetæ Romanæ consignandum fore, & esse Pensionariis, prout absque ulla deductione consignari volumus, & mandamus, liberando dictos Pensionarios à Punctaturis, quas volumus cedere damno Dignitatum, sivè Canonicorum non inservientium, & ab illorum congrua diminuimus, & pro diminutis haberi volumus, & mandamus. In reliquis dictos Dignitates, & Canonicos Beneventanos absolvendos fore, & esse, proût absolvimus ab omnibus, & quibuscunque impetitionibus, diffamationibus, jactationibus, & molestationibus per dictos DD. Pensionarios præstitis, illatis, & inferri comminatis, & ob id eisdem DD. Pensionariis actoribus diffamantibus perpetuum silentium imponendum fore, & esse, proût imponimus, victosque victoribus in expensis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de jure, inposterum reservamus, & ità dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & diffinitivè sententiamus, non solum, ut supra, sed omni alio meliori modo, &c. Die 15. Decembris 1691.

Ita pronunciavi Ego Jo: Dominicus Thomati Locumtenens.

INDICE
DE' CAPITOLARI

Del Capitolo Metropolitano.

INDICE DE' CAPITOLARI

De'Mansionarj della S.Chiesa Metropolitana.

Del-

TAVOLA DELL' APPENDICE.

PARS PRIMA

complectens Constitutiones Synodales.

TITULUS I.

DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

Ex Prima Synodo Cap. 2.

CAPUT I.

Omnes Animarum Rectores singulis Dominicis, festisque diebus una saltem hora post prandium fidei rudimenta puerulis tradant. Unicus Bellarmini libellus, pro uniformitate docendi, adhibeatur.

CUm Parochi munus sit aliquibus lac potum dare, aliquibus escam: ne parvuli, lac concupiscentes, Christianę pietatis ubera desiderent, omnibus animarum curam gerentibus præcipimus, ut non solùm singulis Dominicis, verùm etiam quibuslibet festivis diebus de præcepto in Parochialibus Civitatis, & Diœcesis, una saltem hora post prandium, pueros doceant Christianam Doctrinam ex breviori clarissimæ memoriæ Cardinalis Bellarmini libello; quo excepto, omnem aliam docendi methodum proscribimus, ut unius fidei, una, eademque docendi regula habeatur.

CAPUT II.

Iidem, diebus eisdem, post lectum Evangelium, materno idiomate alta, & modulata voce, populo respondente, ætate provectos præscripta fidei mysteria, & orationes edoceant.

ET quia quamplurimi ætate provecti, præcipua fidei mysteria, ejusdemque rudimenta prorsùs ignorant: & quod pejus est, discere erubescunt, mandamus, ut in iisdem Dominicis, festivisque diebus Parochi Civitatis, & Diœcesis, post lectum Evangelium, non aliàs, inter Missarum solemnia ad Populum conversi, alta voce, & cum ea modulatione (quam per fa, re, scholares appellant) materno idiomate, (a) universo populo respondente, sequentia recitent, v3. (a) Ep Encycl. Sacr. Congr. Concil. 19 Januarii 1619.

I. Signum Sanctæ Crucis: quo omnibus signatis, immediatè explicent SS. Trinitatis, & Incarnationis mysteria.
II. Orationem Dominicam.
III. Salutationem Angelicam.
IV. Apostolorum Symbolum.
V. Decem præcepta Decalogi.
VI. Quinque Ecclesiæ præcepta.
VII. Septem Sacramenta.

CAPUT III.

Vel memoriter, vel ex majore Bellarmini libro recitata; nec non aliarum functionum cæremonias explicare pro concione non prætermittant.

HIs recitatis, aliqua ex eisdem, majorem præfati Cardinalis Bellarmini libellum adhibentes, vel memoriter, vel legentes explicabunt, quæ explicatio in partem erit sermonis, quem Parochi omnes habere ad populum tenentur, juxtà Sac. Can. & præcipuè Sac. Concil.

 Trid.

(a) Sess. 22. cap. 18. Trid. (a) juxtà quod paritèr animarum Rectores Sacrosancti Missæ Sacrificii, aliarumque Ecclesiasticarum functionum cæremonias sese explicaturos, prout temporis ratio postulat, non ignorent.

CAPUT IV.

Cappellani quoque Parochialium in sua Missa, capite secundo demandata exequantur, sub pœna unius aurei, & sub eadem testimonium, à Parocho firmatum, quaternis mensibus Curiæ Archiepiscopali exhibeant.

IN Ecclesiis Parochialibus Diœcesis, in quibus duæ Missæ celebrantur, præcipimus, ut non solùm in Parochiali, sed & in altera Missà, post lectum Evangelium, prædicta Cap. 2. antecedenti, à Cappellano eodem modo recitentur, sub pœna unius aurei, & sub eadem pœna singulis quatuor mensibus hujus executionis attestationem, à Parocho scriptam, nostroque Tribunali servandam, exhibere debebunt.

CAPUT V.

Ecclesiæ ingressus parentibus, & dominis, qui per quinque vices filios, & servos ad fidei rudimenta addiscenda dimittere neglexerint, interdicitur. Horum negligentium nomina pro coercitione ad Archiepiscopum deferantur.

PArentibus, & Dominis, qui per quinque vices, filios suos, suosque servos (nisi legitimum adsit impedimentum, per Parochos probandum) ad Christianam Doctrinam addiscendam post prandium in Parochialem Ecclesiam mittere neglexerint, Ecclesiæ ingressum interdicimus; Parochi autem nomina omnium, & singulorum, tam puerorum, quàm puellarum, necnon & eorumdem parentum, & dominorum, hujusmodi damnabili socordia laborantium ad Nos sollicitè deferant, ut quos Dei timor ab hujusmodi pertinacia non revocat, saltem pœna coerceat.

CAPUT VI.

Parochi singulis saltem Dominicis diebus Evangelium suis plebibus explanent.

HActenùs de lacte; Escam verò & Parochi præbeant, Evangelium sibi creditis fidelibus explanantes singulis saltem Dominicis diebus, memores, quod ad dandam scientiam salutis plebi ejus incumbere tenentur, ea pariter explanantes, quæ Cap. 3. antecedenti tetigimus.

CAPUT VII.

Explanatio hujusmodi non post offertorium, sed immediatè post Evangelium habeatur.

ILlud verò eosdem non prætereat, quod immediatè post Evangelium sermo habendus est: declarantes, abusum esse valdè improbandum, quod omnes ferè Parochi post præparatoriam oblationem, quæ offertorium dicitur, concionem habent: hoc namque ab antiquo, venerabili, & probato Ecclesiæ more, quin exorbitet, nullum dubium est.

CAPUT VIII.

Parochis, sive fidei rudimenta tradere, sive sermonem habere negligentibus, pro qualibet vice pœna carolenorum quinque infligatur.

UT denique prædicta adamussim serventur, pœnam carolenorum quinque Parochis infli-

fligimus, pro qualibet vice, quâ sivè fidei rudimenta, sivè sermonem statis diebus habenda prætermiserint. Quâ de re in S. Visitatione ad veritatem dicendam iure iurando obstricti, rationem se noverint reddituros.

Ex Tertia Synod. Cap. 2.

CAPUT IX.

Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ à Catholica Fide alieni, aut de perfidia suspecti, striges, venefici, sortilegi, nec non qui hæreticales, aut quoscumque prohibitos libros legunt, aut retinent, Archiepiscopo denuncientur.

QVamvis ad suscipiendam fidem nullus sit cogendus (a) eam tamen susceptam adeò unusquisque servare tenetur; ut per severitatem, (b) imò & per misericordiam Dei tribulationum flagellis soleat perfidia castigari. Cum itaque ex debito Pontificalis officii nostrum sit, ut mundemus Nobis Sponsam, (c) *non habentem maculam, neque rugam, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ* districtè præcipimus, ut a Catholica fide alieni, aut de perfidia quocumque titulo suspecti, Striges, Venefici, Sortilegi, aliique hujusmodi damnatis artibus dediti: nec non ii, qui hæreticorum libros, vel hæresim continentes, aut alios (ut in indice librorum prohibitorum) legere, sivè apud se retinere præsumpserint, Nobis denuncientur, ut in eos, juxtà Apostolicas Constitutiones, præcipuè Sixti PP. V. animadvertere possimus.

(a) Cap. Qui syncera. dist. 34.
(b) c. Ad fidem 23. quæst. 5.
(c) Eph. 5.

CAPUT X.

Denuncientur quoque Molinistæ; & libri ejusmodi erroribus imbuti, perquisiti Archiepiscopo tradantur.

CUmque hac nostra ætate (quod non sinè magno animi dolore recogitare possumus) antiquus animarum hostis diabolus opera cujusdam Michaelis de Molinos, & aliorum perditionis filiorum inter Dominicam segetem (d) zizania falsorum dogmatum puritati fidei, & bonis moribus adversantium superseminare studuerit: quorum errores nuper Constitutione Apostolica Innocentii PP. XI. sub die 12. Decembris 1687. reprobati, & tanquam hæreticales damnati sunt; Nos pro debito pastoralis nostri officii, talia è vinea nostra zizania (si fortè radices fixerint) eradicare penitùs cupientes, & gregem nostrum *in doctrina sana, & fideli sermone*, juxtà Apostoli monitum, instruere satagentes: omnes animarum Rectores hortamur, ne inveniantur in custodia vineæ Domini dormientes; omnem diligentiam adhibeant, ut talia falsa dogmata penitùs profligentur, (e) & *amplectentes eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem*, quem Sancti Patres, piique, & probati Auctores nobis tradiderunt, (f) *potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere*: Ideoque Parochis præcipuè mandamus, ut contra prædicta hæreticalia, & erronea dogmata, sæpe exhortationes suas, & conciones instituant, ostendantque populo (g) *viam veritatis, & omnem viam iniquitatis odio habere*. Libros de prædictis falsis doctrinis pertractantes, & præcipuè illos, qui a Sancta Sede Apostolica damnati fuere, vel damnabuntur, diligenter perquirant ab eis, ad quorum manus pervenerunt, ut nobis trádant, & si quam cujuscumque conditionis personam talibus hæreticalibus, erroneisque dogmatibus inbutam deprehenderint, statim nobis denuncient, aut denunciari faciant.

(d) Matthæ. 13. num. 25.
(e) Ad Tit. cap. 1. vers. 9.
(f) Ibidem.
(g) Psalm. 118. v. 30. 104.

CAPUT XI.

Qui ſuperſtitioſis mediis ad quemlibet habendum finem utuntur, facriſque ſivè rebus, ſivè verbis in medicinam abutuntur, pariter denuncientur.

ILlos quoque denunciandos declaramus, qui vana, ac ſuperſtitioſa media ad finem quemcumque obtinendum adhibent, ſeu in medicamentis res ſacras, aut verba immiſcent.

CAPUT XII.

Parochi Dominicis prima Adventus, & prima Quadrageſimæ Edictum S. Officii quotannis promulgent.

CUmque hoc denunciandi onus unicuique fidelium incumbat, ne prætextu ignorantiæ eo ſe ſe exonerent, mandamus ſub pœna ducatorum decem, ut Parochorum quilibet prima Adventus, & prima Quadrageſimæ Dominicis, ſingulis annis, Sacræ Inquiſitionis Edictum, in hujus Synod. appendice apponendum, inter Miſſarum ſolemnia promulgent, & rudioribus explanent.

CAPUT XIII.

In confeſſionibus ad turpia ſollicitatis, & aliis, qui denunciare tenentur, ni denunciavint, Sacramentalis abſolutio denegetur.

CAveant denique Confeſſarii, ne abſolutionis beneficii perſonas illas participes faciant, quæ ſe in confeſſionibus ſollicitatas ad turpia fuiſſe confitentur: quæve ſciunt aliquem hæreticaliter blaſphemaſſe, aut perpetraſſe alia, pro quibus qui ſollicitavit, vel blaſphemavit, & hujuſmodi patravit, denunciandus eſt, ſi eum Nobis, aut noſtro Vicario Generali denunciare neglexerint; tunc enim quaſi, (a) *qui cõmunicant operibus eorum malignis* cenſendæ ſunt.

(a) 2. Joan. verſ. 11.

Ex eadem Tertia Syn. Cap. 3.

CAPUT XIV.

Blaſphemi quanta damnatione teneantur, oſtenditur.

BLaſphemum læſæ Majeſtatis Divinæ reum morte mulctandum ſacra decernunt eloquia: (b) juſſit enim Dominus: *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.* Extra caſtra, extra hominum habitacula educendus jubetur, qui inter homines connumerari non debet, nam licèt Satan (c) omnibus malis hominibus prior dici queat; Apoſtolus tamen de quibuſdam hominibus dicit: (d) *Quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.*

(b) Levit. 24. 14.

(c) C. qui peccat 15 quæſt. 4.

(d) 1. Tim. 1. verſ. 20.

CAPUT XV.

Indulgentia annorum decem à Leone X. conceſſa iis, qui blaſphemos, vel compeſcunt, vel denunciant, evulgatur.

EXecrandum igitur hujuſmodi vitium è Diœceſis noſtræ vinea averruncare cupientes; Noverint primò animæ nobis commiſſæ Indulgentiam annorum decem à felic. rec. Leone X. conceſſam iis, qui hujus farinæ hominum linguas correctionis fræno compeſcunt, vel Curiæ puniendos denunciant.

CAPUT XVI.

Parochi Summarium Bullæ Pii V. contra blaſphemos prima cujuslibet menſis Dominica legant, explanentque, ſub pœna ducatorum duorum.

DEinde Parochi omnes Summarium Bullæ S. Pii V. in hujus Sy-

Synod. appendice ponendum sub pœna *ducatorum aureorum* prima Dominica uniuscujusque mensis ad populi notitiam deducant: gravesque pœnas in ea contra blasphemos contentas explanent, ut (a) quicumque stultus est in culpa, sit sapiens in pœna.

(a) C. quiea. 10. dist. 38.

Ex quarta Syn. Cap. 2.

CAPUT XVII.

Insani, qui Evangelio non credunt; insaniores, qui credunt, & opere non implent.

MEdiator Dei, *& hominum homo Christus JESUS*, (b) *fidelis in omnibus verbis suis* (c) *testimonia sua credibilia fecit nimis*, (d) ita ut insensati, & omninò fascinati dicendi sint illi, qui in Ecclesiæ Catholicæ sinum sese non recipiunt, vel recepti ab eo turpiter deficiunt; *multa sunt enim*, Hipponensis Pontifex inquit (e), *quæ me justissimè tenent in Ecclesiæ Catholicæ gremio: tenet consensio Populorum, & gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Longè vero majore insania laborant, qui Evangelio credentes, vitam sicut Ethnici, & Publicani vivunt.

(b) I. ad Tim. 2. (c) Psal. 144. (d) Psal. 29.

(e) In lib. contra Epist. Manichæi, quam vocant Fundamenti c. 4.

CAPUT XVIII.

Qui speciali titulo fidei professionem tenentur emittere, ut Dignitates, & Canonici, Beneficiati curati, & non curati, aliique enumerantur, sub pœnis ibidem respectivè contentis.

FIdem autem corde firmitèr tenenti, & operibus comprobanti, accedere debet oris confessio: *Duplex enim* (f), præfatus Doctor subdit, *à Nobis exigit fides officium, cordis, & linguæ: nec salvi esse possumus, nisi fidem ore profiteamur, quam corde gerimus*: quod ab Apostolo didicerat (g); ait enim: *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Ad illius itaque externam professionem semper, quamvis non ad semper, omnes quidem fideles tenentur; sed speciali titulo eorum nonnulli, quos subnectimus.

(f) Aug. lib. de fide, & symbolo.

(g) ad Rom. 10.

I. Beneficia cum animarum cura collata habentes, post horum possessionem adeptam, fidei professionem in manibus nostris, vel nostri Vicarii Generalis infra bimestre.

II. Dignitates, & Canonicatus obtinentes eandem, tùm in manibus nostris, vel nostri Vicarii, tùm in Capitulo, infra idem tempus, emittent: alioquin non facient fructus suos, aliisque canonicis pœnis subjacebunt.

III. Item, quicumque alia beneficia, etiam simplicia obtinent: & hi omnes, sive curata, sive non curata beneficia possidentes, sive Dignitates, & Canonici in proximiore Synodo post adeptam possessionem, eandem fidei professionem repetere debent, ut hactenùs servatum est.

IV. Fidei quoque professionem in manibus nostris emittent Vicarius noster Generalis,

V. Vicarii Foranei,

VI. Procuratores,

VII. Fiscales,

VIII. Cancellarii,

IX. Et Ministri quicumque nostræ Curiæ Archiepiscopalis,

X. Insuper Concionatores, etjam Regulares,

XI. Confessarii, etiam Monialium.

XII. Docentes publicè, vel privatim, Theologiam, Philosophiam, Juris civilis, aut Canonici prudentiam; aut quascumque inferiores disciplinas, etiam

Gram-

Grammaticam, & humaniores literas.

XIII. Ac tandem Medici,

XIV. Chirurgi,

sub pœna ducatorum viginti, aliaque Nobis arbitraria, ultra sacris statutis respectivè contentas.

CAPUT XIX.

Fidei Professionis Formula indicatur.

Hujusmodi tandem professionis fidei formula ea est, quam s. m. Pius PP. IV. tradidit in sua bulla, quæ incipit: *Injunctum Nobis*: sub datum Romæ die 13. Novembris 1564. quamque Nos, ut præstò omnibus sit, Appendici hujus Synod. præfigemus.

Ex sexta Syn. Cap. 2.

CAPUT XX.

Concionatores admonentur, ut sermonem audientium captui conforment.

Divi Petri Theologorum culminis sententia est, (*a*) oportere, eum, qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, ut pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Quamobrem qui in Diœcesi nostra, præcipuè in minoribus Oppidis concionandi à Nobis facultatem obtinebunt, sermonem audientium captui conforment, memores se ad populi utilitatem mitti; non ut hic velitentur, in aperto Civitatum campo cominùs pugnaturi.

(*a*) c. oportet. §. q. 1.

CAPUT XXI.

Regulares, nisi à suis Superioribus probati, ad concionandum non admittentur.

Quia verò Ecclesiastę ministerium subiturus debet esse apprimè eruditus, & doctus, irreprehensibilis, maturus, & pavidus (*b*) non cuivis, etiam Regularium, hanc concionandi potestatem faciemus, sed iis, qui a suis Superioribus probati, approbationis documentum exhibuerint.

(*b*) ibidem.

CAPUT XXII.

Adimpleant in patentalibus literis præscripta. Dominicæ Passionis concionem sub noctem non habeant, sub pœna Rectoribus ducatorum quatuor: Concionatoribus in Diœcesi non concionandi de cætero.

Nitantur omnes, quæ in patentalibus literis præscripta sunt adamussim implere: caveantque ne Feria V. in Cœna Domini per Diœcesim nostram Passionis Dominicæ concionem sub noctem (*c*) habeant; novimus enim alicubi id non in ædificationem, sed in destructionem fieri. Ideòque si præfata die concionari moris fuerit, sub vespertinum crepusculum concio persoluta, & Ecclesia clausa erit; alias feria VI. in Parasceve, valde manè, ante Divini Officii inchoationem fiet. Qui contra venire præsumpserit, de cætero in nostra Diœcesi suggestum non ascendet, & singuli Ecclesiarum Rectores quatuor ducatorum pœna plectentur.

(*c*) S. C. Ep. 1629. Castro. 20. Mart. 41. apud Nic. verb. Præd. n. 17.

Ex

Ex septima Syn. Cap. 2.

CAPUT XXIII.

Omnis superstitionis species, sive divinationem, sive vanam observationem respiciens, elimminetur.

UT Religionis virtus inter morales prima, & præcipua, per quam Deo debitum cultum, & honorem exhibemus, munda, & immaculata servetur; Animarum Rectores omnem illi oppositæ superstitionis speciem, sivè ad divinationem, sive ad vanam observationem tendentem, eliminandam curent: plebemque sibi commissam edoceant, per hæc fideles (*a*) sensim fieri socios dæmoniorum.

(a) 1. Cor. 10.

CAPUT XXIV.

Cardui experimentum in nocte S. Joannis Baptistæ mulierculis inhibetur.

AD pacta siquidem cùm dæmonibus inita (*b*) pertinet, quod in nocte S. Joannis Baptistæ, mulierculæ segnem in aruis carduum carpentes, ab ejus flore si viguerit, aruerit ve, concupiti Sponsi habendi, vel non habendi specimen desumunt.

(b) ex c. Illud, quod. 26. q. 2.

CAPUT XXV.

Ramorum, ovorumque benedictorum corticum vana observatio proscribitur.

GRaviora sunt ea, quibus benedictarum rerum abusus accedit; nam pietatis specie impietas palliata grassatur. Ad quid enim nostræ Diœcesis alicubi, Dominica Palmarum, Clerici, & populus ad Cruces lapideas in compitis erectas, priùs genuflexi, deindè stantes benedictos olivarum ramos Cruci alligant, quos vel feria sexta in Parasceve, cum detegitur Crux in Ecclesia, vel Sabbato Sancto ad primum campanarum sonitum solvunt inde, & ad suos deferunt agros? Nonnè ceremoniæ illæ in Rituali, Missalive non præscriptæ, nonne tempus illud, & non aliud superstitionem, & vanam præseferunt observationem? Præterea ovorum benedictorum in Paschate cortices, benedictorum quoque ramorum frondibus commissæ, & circum præfatas Cruces disseminatæ, nonne dementiam præter id, quod intrinsecus latere potest, portendunt?

CAPUT XXVI.

Parochi priùs moneant, deinde monitos cogant ad hujusmodi abusus deserendos.

PArochi itaque perniciosos hujusmodi errores, & abusus, docendo priùs, ut ignorantes advertant, deindè cogendo (ad tenorem Edicti S. Officii, quod in nostri hujus Synodici Appendice præstò est) ut contumaces resipiscant, è suis paræciis omninò disterminent.

Ex decima septima Syn. Titul. 1. Cap. Unico.

CAPUT XXVII.

Sermo de B. V. singulis Sabbatis in Metropolitana habendus.

GLoriosæ, ac semper Virginis Dei Genitricis MARIÆ, cujus patrocinio, & intercessione multis periculis erepti sumus, & multa a bonorum omnium largitore Deo beneficia accepimus, summas laudes, & præclara merita, quantùm pro nostra possumus imbecillitate, libentissimè prædicamus.

Hanc autem Beatissimam Virginem, gratiæ, & misericordiæ Parentem, Vobis, dilectissimi Filii, ac universo, Nobis credito, gregi pro-

propitiam peroptantes, consuetum Sermonem, quem ab ipso nostri in hac Sede Pontificatus initio, ad ejusdem Magnæ Dominæ gloriam, & honorem, singulis Sabbatis usq; adhùc habuimus, nè, dùm ob nostræ Diœcesis Visitationem, sivè aliam ob causam, ab Urbe nostra abesse cogimur, vel semèl in futurum omitti patiamur, eodem die in perpetuum in nostra Metropolitana, absentibus Nobis, ac indè post obitum nostrum, ab aliquo ex nostris Prædicatorum Ordinis Fratribus, in nostræ Civitatis Conventu degentibus, haberi statuimus: solutis à Nobis eidem Conventui pro dote ducatis quingentis, ut ex Instrumento, hoc anno 1702. die 22. Junii rogato, ad futuram memoriam, animarumque vestrarum consolationem, in hujus Synod. calce relaxando.

Ex Trigesima Sexta Syn. Tit. 1. Cap. 1., & 2.

CAPUT XXVIII.

Missiones in Archidiœcesi, à Patribus Societatis Jesu perpetuò bis in anno habendas, Archiepiscopus instituit; delegatis Collegio Beneventano annuis duc. 120. cum capitali duc. 3000.

Nihil cum ad Christi gregis, superna nobis dispensatione concrediti, salutem procurandam, intentatum adhuc, Deo favente, prætermiserimus, potissimi id simul medii nostra in amplissima Archidiœcesi adhibendum advertimus, perpetuum nempè sacrarum Missionum usum, catholicæ fidei tutelæ, ac propagationi proficuum, Christianæ Reipublicæ perutilem, atque fidelibus singulis apprimè salutarem: felici namque illarum expeditione, infelices, si quæ sunt, peccatorum animæ, Diabolus ubi, fortis veluti armatus, sua atria custodit, a Dei Commilitibus circumvallantur, & ad supremam usque ipsarum vero Principi Christo deditionem usquequaquè obsidentur. Apostolicum hoc itaque munus Religiosissimis Jesù Societatis Patribus, nostram qui Civitatem quà doctrina, quà pietate, quà zelo Religionis honestant, perpetuò commendare decrevimus: ipsorumque pro nunc Unum gravissimum ad hoc opus, anno 17 6. exeunte, instituimus; annuatim qui ex tunc, Socio sibi à Superioribus adjuncto, per menses quatuor Missiones de more habuit, totamque jam, quinto non dum anno expleto, lustravit Archidiœcesim. Quæ quidem Missiones futuris ut semper temporibus eadem et in Archidiœcesi nostra habeantur, annuos anno 1718. solemnia inter Ecclesiæ ejusdem Societatis Encænia, pro instituto à nobis Missionario ducatos 120. cum Capitali ducatorum 3000. Collegio huic nostro delegavimus: idem pro Socio, qui ad id etiam firma hìc statione permaneat, misericors cum Deus dederit, effecturi.

CAPUT XXIX.

Missionis tempore, Clero præsertim devotio commendatur. Missionis incohandæ dies populo indicenda ab animarum Rectoribus; qui tunc, Missionibus obsecuturi, è suis Ecclesiis non abscedant.

Profectus quantum laudatæ nuper Missiones attulerint, & Nos scimus & vestrum ferè nullus ignorat. Gratias quocirca agentes Deo, fructuosiora à quo deinceps emolumenta præstolamur, omnem cumprimis ducimus commonendum nostræ Archidiœcesis Clerum, ut populum octo illis Missionis diebus speciali satagat pietatis exemplo præire; ad conciones, exercitia spiritualia, cathecheses, & supplicationes quam sedulò conveniendo.

Ar-

Archipresbyteris autem, Parochis, aliisque animarum Rectoribus mandamus, ut, indicta sibi per Missionariorum literas imminentis missionis die, hanc statim suæ quisque plebi denunciet: & interim sub nostræ pœna indignationis ab oppido ne ipsi, quive a confessionibus sunt audiendis, vel alius quivis de Clero discedat, Missionarios, ubiubi requirantur, atque in Pœnitentiæ præsertim, & Eucharistiæ sacramenta tunc temporis ministrando, coadjuturi.

TITULUS II.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Ex prima Synodo Ann. 1686.

DECRETUM DE APERITIONE SYNODI.

IN nomine sanctissimæ, ac individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

FR. VINCENTIUS MARIA Ordinis Prædicatorum Miseratione divina Tituli S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Ursinus, S. Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ Archiepiscopus.

ANtiquus, & nunquam intermissus Prædecessorum nostrorum Pontificum mos fuit, in provinciali Synodo sub Ugone Archiepiscopo anno 1374. constitutione firmatus, semel, & iterum quolibet anno Synodum diœcesanam cogere, primamque celebrare die 24. Augusti festivitatis gloriosiss. Apostoli Bartholomæi hujusce Civitatis nostræ principalis Patroni pervigilio: alteram die 25. Octobris festum ejusdem S. Apostoli ex Lipara Insula Beneventum translati subsequente; licèt hæc posterior Litaniæ potius dici deberet, ut ex Concilio Toletano IV. (a) liquido apparet. In priore consuetudo est, synodales Constitutiones edere, in posteriore easdem cuncto Clero ad Litanias, ad Apostoli limina, ad Cathedraticum solvendum advenienti repetere, easque addere, quas pastoralis solicitudo suggerere solet. Nos itaque tantis vestigiis inhærentes primam nostram diœcesanam Synodum hujusmodi, quam hodie celebrandam de more prædicto decrevimus, ac ipsa die 24. Augusti 1686. ad omnipotentis Dei, & Jesu Christi filii ejus Domini nostri, sanctissimæ Deiparæ, S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomæi, sanctorum Pontificum nostrorum Januarii, & Barbati, sanctorum Dominici, & Philippi Nerii, cæterorumque nostræ Civitatis sanctorum Patronorum, aliorumq; Sanctorum gloriam, honorem, & laudem apertam esse, atque inceptam volumus, promulgamus, & decernimus.

(a) Can. 25.

Ex eadem prima Synodo: Cap. 1.

CAPUT I.

Confirmatur diœcesana Synodus Archiepiscopi Foppa de anno 1646. in iis, quæ præsentibus Constitutionibus non repugnant.

DIœcesanam Synodum sanctè, & salubriter editam die 25. Octobris anni 1646. & Romæ typis datam anno 1648. a fel. record. Prædecessore nostro Joanne Baptista Archiepiscopo Foppa, cui multa, & maxima beneficia Metropolitana hæc sancta Ecclesia accepta referre debet, confirmamus, eique perpetuum firmitatis robur adjicimus, & ab omnibus, ad quos spectat, inviolabi-

labiliter observari mandamus sub pœnis in illis statutis, & comminatis. Iis tantùm exceptis, quæ præsenti Synodo ob multa, quæ in dies emergunt, animarum saluti consulentes adjicimus.

Ex eadem prima Synodo. Cap. 17.

CAPUT II.

Confirmatæ Synodi de anno 1646. necnon hujus primæ Synodi de anno 1686. publicata decreta omnes arctent, ac si fuissent singulis intimata.

QUæcumque diœcesana Synodo de anno 1646. a Nobis cōfirmata, dummodo his nostris decretis non repugnent, necnon omnia, & singula his iisdem decretis, & constitutionibus, vel ad Cleri, vel ad Populi mores reformandos, ecclesiasticamq; disciplinam retinendam statuta, & sancita sunt, mandamus, ab omnibus, ad quos spectat, omnino observari; volumusque, & decernimus, ut publicatis præsentis Synodi exemplaribus omnes arctēt, ac si singulis intimata fuissent.

CAPUT III.

Canonici, & alii de Capitulo, & de Collegiis, Archipresbyteri, Parochi, Beneficiarii, Clerici de eorum obligatione circa synodales Constitutiones admonentur. Earum exemplum infra mensem post impressionem habere tenentur sub pœna ducatorum duorum.

PRæcipimus etiam omnibus, ad quos spectat, pro ea parte, quæ singulos tangit, ut suam quisque obligationem agnoscat, præcipuè Canonici, & alii de nostro Capitulo, vel Collegiatarum Ecclesiarum, ac Parochi, & Archipresbyteri, & beneficia obtinentes, omnesque etiam Clerici pro eo, quod ad vitam, & honestatem Clericorum attinet, infra mensem, postquam impressa fuerint (prout in diœcesana Synodo de anno 1646. (a) edita præceptum est) illorum exemplum penes se habere teneantur sub pœna ducatorum duorum piis locis applicandorum, quam pœnam subibunt etiam ii, qui, quæ ad se pertinent nostra edicta, instructiones, ordinationes, pastoralesque literas, & cætera hujusmodi penes se non habuerint; nihil enim ad pompam præcipimus, sed ad executionem omnimodam exigendam; frustra verò executioni demandari possūnt, quæ nesciuntur; & sciri nequeunt, quæ frequēter memoriæ ex libro non commendantur.

(a) Idem prius sanxerat Sanctus Carolus Borromæus in secunda Synodo diœc.

CAPUT IV.

Distributis anni temporibus, quæ ad laicos pertinent, Parochi sæpius explanent.

QUæ igitur ad Canonicos pertinent, Canonici; quæ ad Parochos, Parochi; & quæ ad universum Clerum, omnes Clerici adamussim exequantur; quæ autem ad laicos, distributis anni temporibus sæpius a Parochis vulgari idiomate exprimantur, & publicentur, ne ulli sit excusationi locus.

Ex secunda Synodo, Ann. 1687.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

VEtustissimam S. Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ consuetudinem, binas diœcesanas Synodos singulis annis, alteram nempe die 24. Augusti, alteram, quam Litaniarum vocant, die 26. Octobris, celebrandi, qua par est, religione custodientes, secundam diœcesanam Synodum superiori anno indictam, hac ipsa die 24. Augusti 1687., nostra Metropolitana Ecclesia instaurationis gratia adhuc impedita, in Ecclesia S. Petri nostræ Civitatis, ad omni-

omnipotentis Dei, &c. *Ut supra in decreto aperitionis primæ Synodi.*

Ex tertia Synodo. Anno 1688.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

Etsi nihil Nobis antiquius fuerit, quam ut pervetustæ sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ consuetudines a Prædecessoribus nostris nullo unquam tempore nec omissæ, nec intermissæ, adamussim serventur; cujus rei gratia diœcesanam Synodum die 24. Augusti, quando Cœlum in hisce partibus mutare cum primis noxium dicitur, e montibus Diœcesis nostræ, in quibus sanctam visitationem habebamus, Civitatem repetentes, vitæ potius, quam moris vetustissimi discrimen ferentes, semel, & iterum, Deo dante, celebravimus. Hoc autem anno (a) quo Dominus *in virga iniquitates, & in verberibus peccata visitavit*, quæ terra ulterius sustinere non valens, ita movit, ut Civitas nostra, Oppida, & Castra nostræ Diœcesis non pauca (b) *subversa sint in momento*: Subito ceciderunt, & contrita sunt ita, ut finem (c) *pedalis præcisionis eorum* viderimus; hoc scilicet anno, quo extendens (d) *Dominus manum suam super ea evolvit de petris, & dedit in montem combustionis*, præfatam Synodum a 24. Augusti in hunc diem 25. Octobris, quo alteram Litaniarum Synodum juxta sacros Canones, (e) & perantiquum Ecclesiæ nostræ morem celebrare consueveramus, literis nostris die 16. Junii datis, ne Clericos nostros tantis malis jactatos subito incommodo afficeremus, transtulimus. In hoc autem Montisfarculi oppido nostræ Diœcesis translatam Synodum coegimus; quia in Civitate nostra nullus reliquus locus est hujusmodi Consessui idoneus: illam namque *obtexit caligine* (f) *in furore suo Dominus projecit de Cœlo in terram, & non est recordatus scabelli pedum suorum*, nempe sacrorũ Templorũ, quæ præcipitavit in ira furoris sui. *Viæ Civitatis nostræ lugent*, (g) *porta ejus destructa, Sacerdotes ejus gementes, & ipsa oppressa amaritudine. Dejecta sunt tabernacula nostra*, (h) *vastati sumus, & confusi vehementer. Obblivioni* (i) *tradidit Dominus in ea festivitatem, & Sabbatum*; Unius tantùm Sabbati 5. Junii, vigiliæ sacratissimæ Pentecostes, quo *respiciens terram fecit eam tremere*, (k) relinquens, ne quis deinceps Spiritui Sancto dura cervice, & incircumciso corde resistere contendat, *Manum quoque* (l) *suam miserunt fures ad omnia desiderabilia ejus, quoniam vindemiavit eam* (m) *Dominus in die iræ furoris sui*. Quocirca diœcesanam Synodum superiore anno indictam, & ut prætulimus, translatam, ac ipsa die 25. Octobris in Ecclesia sanctissimæ Deiparæ a Puritate nuncupatæ, quæ Oppidum hoc Montisfarculi nostræ Diœcesis servavit incolume, ad Omnipotentis Dei, & Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimæ semper Virginis Mariæ Matris ejus, S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomæi, Sanctorum Pontificum nostrorum Januarii, & Barbati, S. Nicolai Pontificis, & Confessoris hujus Oppidi Patroni, Sanctorum Dominici, & Philippi Nerii, cujus præsenti ope licèt Episcopii nostri ruinis oppressi lucis usura fruimur, (quemadmodum chirographo Sacramento nostro firmato, quod hujus Synodi appendici ad perpetuam rei memoriam præfigimus, testati sumus) cæterorumque nostræ Civitatis, &c.

(a) Psal. 88. vers. 33.
(b) Thren. 4. v. 6.
(c) Jerem. 51. v. 13.
(d) Jerem. 25. v. 25.
(e) C. de Conciliis J. C. habeatur 11. c. propter 111. d. 18.
(f) Thren. 2. v. 1. 2.
(g) Thren. 1. v. 4.
(h) Jerem. 9. 19.
(i) Thren. 2. 6.
(k) Psal. 103. 32.
(l) Thren. 1. 10.
(m) Thren. 1. 12.

Ex quarta Synodo. Ann. 1689.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

Nullum aptius disciplinæ tempus, quam quod Domini correptionem subsequitur, Regum sapien-

pientissimus promulgavit in hanc sententiam. (a) *Disciplinam Domini fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Paternam Domini correptionem superiore anno subivimus, & adhuc sentimus, (b) *Demorantes in terra nostra, quasi in aliena, in casulis habitando.* Non ergo animis cadamus deficientes; sed ecclesiasticam disciplinam pro viribus promoveamus venerabilibus Prædecessorum nostrorum in anniversaria Synodo convocanda vestigijs inhærentes: eoque magis, quòd Dominus, qui (c) *mortificat, & vivificat, pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat,* tantam Nobis contulit opem, ut (d) *infirmi quoque accincti sint robore*, & ferme unusquisque suam, ut licet, suscitat de pulvere domum. Antiquam Samnitum virtutem, quam primo post Christum natum terræmotu, quo anno 369. sub Liniano Episcopo Civitas nostra concussa fuit, Symmacus senior in quadam sua epistola demiratus est, in qua ait: *Beneventum me recepi, & Urbs cum maxima sit, singuli ejus optimates visi sunt mihi urbe majores, amantes literarum, morumque mirabiles: Privatam pecuniam pro Civitatis ornatu fatigant: nam postquam terra movit, nihil bene illis reliquit; sed fractæ opes infractos animos repererunt: Non diei jungitur ad laborem*; Nos etiam a Deo redivivam factam aspeximus, cum Apostolo exclamātes: (e) Jesus Christus heri, & hodie, ipse & in secula. Jam templa nonnulla, quorum vix extabant vestigia, excitari cæpta sunt; pro nostra Metropolitana Ecclesia revocanda, pro Archiepiscopio a fundamentis restituendo, quamvis magnam pecuniæ vim pro ingenti præterito sumptu adhuc debeamus, solliciti tamen sumus. Patres Societatis Jesu Ecclesiam suam adeo instaurarunt, ut in ea ipsis annuentibus Capitulum nostrum Metropolitanum sacris decenter operetur, & synodalem Consessum ibidem cogere ita commodum sit, ulterius oppidi, quod præterito anno deligendum intimavimus, minime indigeamus. Quocirca quartam diœcesanam Synodum jam indictam hac ipsa die 24. Augusti in Ecclesia Patrum Societatis Jesu nostræ Civitatis ad Omnipotentis Dei, &c.

(a) Prov. c. 3.
(b) Ad Hebr. c. 11.
(c) 1. Reg. 2.
(d) Ibidem.
(e) Hebr. c. 13.

Ex quinta Synodo. Ann. 1690.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

Ecclesiasticarum rerum, quæ correctione opus habent, neglectum Chalcedonēsis Concilii Patres Synodorum infrequentiæ non injuria tribuerunt (f). Quandoquidem & aliis sanctissimis Patribus id adeo vulgatum fuit, ut Leo primus Pontificum Maximus (g) binos synodales Conventus per annos singulos indixerit: & Nicænum Concilium (h) unanimi trecentorum decem, & octo Pontificum consensu firmaverit, & licèt septima synodus (i) semel tantùm in anno, & Tridentinum Concilium (k) quotannis solummodo Synodum cogendam indulserint, S. hæc nostra Metropolitana Ecclesia primævæ disciplinæ firmiter inhærens binas Synodos singulis annis (quamvis in priore ut plurimum Constitutiones edat) coadunandas amplexa est. Quapropter nos tritum hoc iter tenentes quintam diœcesanam Synodum superiore anno indictam hac ipsa die 24. Augusti 1690. ad omnipotentis Dei, &c.

(f) C. pervenit d. 19.
(g) C. de Conciliis.
(h) C. habetur.
(i) C. quoniam eadem 18.
(k) Sess. 24. de reform. cap. 2.

Ex sexta Synodo. Ann. 1691.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

Sextam, Deo benedicente, aggredimur Synodum, longo, & perpetuo tot seculorum usu in S. no-

nostra Metropolitana Ecclesia anniversariam. Faxit ille, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, ut quemadmodum sexto die, homine ad imaginem suam creato cunctis manuum suarum valde bonis operibus benedixit, ita & in hac sexta Synodo ecclesiastici Ordinis Viris justitiam indutis laboribus, & vigiliis nostris in Domino gaudeamus. Quocirca eandem Synodum superiore anno jam indictam &c.

Ex septima Synodo. Ann. 1692.

Decretum de apertione, &c.

Buccinis sacerdotalibus septem septimo die septimo circuitu muri Jericho funditus corruerunt. (a) Septimam. Nos Synodum, quæ buccina sacerdotalis est, Deo propitio, exhibemus, ut errorum parietes, qui animarum pariunt ruinas, in parietinas omnino redigantur: Ecclesiastica vero disciplina, ad cujus incrementum sanctissimi Prædecessores nostri anniversariam Synodum statutam inviolabili studio servaverunt, vigeat, augeatur. Quapropter eandem Synodum, &c.

(a) Josue cap. 6.

Ex octava Synodo. Ann. 1693.

Decretum de apertione, &c.

Sapientissimus Regum Salomon materiali templo sacris cæremoniis initiato, habitaque septem diebus solemnitate, die octavo fecit collectam (b). Dierum illorum numerus annorum nostrorum in formali Civitatis, & Archidiœcesis nostræ Ecclesia annuis solemnibus Synodis excolenda solicitudinem excitavit; Septem siquidem annis Diœcesanis Constitutionibus edendis, Deo propitio, allaboravimus: octavo autem sanctissimorum Provinciæ nostræ Coepiscoporum collectam, provinciale scilicet Concilium, Spiritu Dei afflante, coegimus. Quocirca diœcesanam Synodum die 24. Augusti, ut in nostra Metropolitana religioni habetur, quotannis celebrari consuetam, hoc anno ad alteram, nempe litaniarum die 15. Octobris more majorum habendam, transtulimus; cum ne graves Clero nostro diœcesano, qui de mense aprili provinciali Concilio interfuit, illico essemus, tum ut idem Concilium interim editum evulgaremus. Octavam igitur Synodum novis diœcesanis constitutionibus, minime auctam (ut octava tamquam ad caput redeat, quia (c) consummatum, perfectumque ostendit, & probat) sed ipso provinciali Concilio locupletem, nostro Edicto die 22. Julij decurrentis anni prorogatam simul, & indictam, hac ipsa die 25. Octobris 1693. ad omnipotentis Dei, &c.

(b) Paralipomenon c. 7. v. 9.

(c) August. de serm. Domini in monte.

Ex eadem octava Synodo Decr. 1.

CAPUT V.

Promulgantur decreta Concil. Provincialis Anno 1693. celebrati.

Cum nostro Edicto sub datum die 10. mensis Octobris 1693. universis, & singulis nostræ Povinciæ fidelibus omnia, & singula acta, & decreta in provinciali Synodo diebus XI. XIII. & XVI. Aprilis decurrentis anni emanata, & a sacra Congr. Concilii recognita, & admissa publicaverimus, mandantes, quod post tres menses a præfati Edicti in Ecclesiarum valvis affixione, omnes, & singulos, quorum interest, eadem decreta synodalia ita arctent, ac si personaliter eis intimata fuerint, sub pœnis in eisdem synodalibus Constitutionibus contentis. Cumque omnes, & singuli Comprovinciales Episcopi coacta Synodo, (d) eadem evulgare teneantur, Nos, qui exemplo nostro cæteris præ-

(d) Cap. fin. dist. 18.

præire debemus, in hac nostra Synodo præfata decreta promulgari, & legi decernimus, & mandamus.

Ex nona Synodo. Ann. 1694.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

MAgna illa Machabæorum dupliciter Mater, (a) quia eos & Mundo, & Cœlo peperit, cum adolescentiorem ad fortiter se gerendum hortaretur, novem mensium in utero gestationem objecit. Nonus est hic annus, dilectissimi nostræ curæ concrediti, quo vos a meo utero, ut Deus Optim. Max. per Isaiam (b) inquit, portamini: Cœlum igitur aspicite,& tanto proposito præmio, hilari animo synodales Constitutiones exequimini, quarum multiplicitatem multiplici abusuum comburendæ segeti, quæ fomitem ministrat, tribuite. Nonam itaque diœcesanam Synodum superiore anno jam indictam, &c.

(a) 2. Mach. 7. 27.

(b) If. 46. 3.

Ex eadem nona Synodo Tit. I.

CAPUT VI.

Provincialis Concilii Ann. 1693. executio inculcatur.

PRovinciale Concilium anno superiore a nobis editum, & promulgatum integræ, ut par est, executioni demandari præcipimus. Maxima enim legum lex, observantia.

CAPUT VII.

Methodus diœcesanis synodalibus Constitutionibus ex Provinciali præscribitur.

EJusdem Concilii Methodum, materias scilicet sub propriis Titulis collocari, & capita summarie breviari, etiam in diœcesanis Synodis in posterum servari, decernimus, ut facilius res, quas continent, reperiantur.

Ex decima Synodo. Ann. 1695.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

EVangelicam Mulierem decem drachmarum possessione fruentem in hac decima Synodo, quam Deo auctore coegimus, præclarum exhibemus exemplar: illa siquidem non pro onere, sed tanti eas habebat, ut una amissa, lucernam accenderit, & domum everrens, donec inveniret, quæsierit. Ita & decem Synodos, veluti decem drachmas, solicite custodiendas damus; tantumque absit, ut decimam hanc oneris quis existimet auctarium, ut accensa potius lucerna, ne vel unius constitutionis decidat apex, nocturna etiam manu versare non prætermittat. Quocirca eandem Synodum, &c.

Ex undecima Synodo. Ann. 1696.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

UNdecima hora ab evangelico Patrefamilias ad excolendam ejus vineam conductos iis, qui ab hora prima pondus diei, & æstus portarunt, in diurni denarii mercede pares effectos, sacra testantur eloquia. Idipsum, Deo dante, continget ad undecimam hanc nostram Synodum convocatis, quam reliquas decem summatim, ordinatorumque titulorum serie digestas, continentem exhibemus; ut primi decreta sparsim edita quàm facillime assequi; & novissimi, sicut illi, explere valeant quàm citissime. Quocirca eandem Synodum, &c.

Ex duodecima Synodo. Ann. 1697.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

CIvitatem sanctam Jerusalem descedentem de Cœlo a Deo, portas habentem duodecim, quarum fundamenta duodecim nominibus Apostolorum Agni, & portæ ipsæ nominibus duodecim tribuum filiorum Israel inscribebantur, Joannes in Apocalypsi sua vidisse testatur; quas cum dicit, integris constare margaritis, pretiosam in conspectu Domini Sanctorum mortem satis apertè declarat. Sic & duodecimam nostrã Synodum duodecim Cœli portas, nempe Sanctorum plurimorum reliquias omni thesauro pretiosiores referẽtem evulgamus: Quocirca eandem Synodum, &c.

Ex decimatertia Synod. Ann. 1698.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

DOmum suam a Salomone tredecim annis ædificatam, & ad perfectum usque perductam, sacra
(a) 3. Regum cap. 7. num. 1. Regum narrat historia (*a*). Tredecim quoque & Nos annis huc usque, Deo dante, in ejus domo ædificavimus; sed nisi ipse, qui de se dixit,
(b) Lucæ XI, 31. (*b*) *ecce plusquam Salomon hic*, cujus est incipere, & perficere, donum illud perfectum, quod desursum est, affluenter dederit, in vanum laborat, qui ædificat. Ut itaque hoc datum optimum multiplicatis precibus obtineremus, Sanctissimorum provinciæ nostræ Coepiscoporum venerabilem cætum ad secundum provinciale Concilium mense Majo proxime elapso coegimus: cujus gratia diœcesanam Synodum die 24. Augusti, ut in nostra Metropolitana Majores nostri consuevere, quotannis celebrandam, hoc anno ad alteram, nempe Litaniarum, die 25. Octobris de more habendam, transtulimus; cum ne graves Clero nostro diœcesano, qui dicto mense Majo provinciali Concilio interfuit, illico videremur, tum ut idem Concilium interim editum evulgaremus. Quocirca decimam tertiam Synodum ipso tantum secundo provinciali Concilio ditatam, prorogatam, ut prætulimus, & canonice indictam (licèt inde, nobis pro dicta die in nostræ Diœcesis visitatione occupatis, ad diem sequentem 26. pro hac tantum vice dilatã fuerit) hac ipsa die 26. Octobris 1698. ad omnipotentis Dei, &c.

Ex ead. decimatertia Synodo Dec. 1.

CAPUT VIII.

Promulgantur Decreta II. provincialis Concilii an. 1698. celebrati sub Eminentissimo Cardinali Ursino Archiepiscopo Metropolita.

CUm omnes, & singuli comprovinciales Episcopi, quæcumque acta, & decreta in secundo provinciali Concilio diebus X. XIV. & XIX. mensis Maji decurrentis anni emanata juxta sacros Canones (*c*), coacta Synodo, evulgare tenentur: Nos, qui exemplo nostro cæteris præire debemus, in præsenti diœcesano Conventu præfata decreta promulgari, & legi decernimus, & mandamus. (c) Cap. an. dist. 18.

„*In secunda parte hujus Synodici* „*impressum habes idem II. provinciale Concilium, quod desideratur* „*in Synodico provinciali, cum ejus* „*editionis tempore nondum celebratum fuisset.*

Ex decimaquarta Synodo An. 1699.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

IN anniversario fixionis Tabernaculorum festo, quod scenopegia appellabant, die quidem sancta, ac venerabili, atque ab omni opere servili prorsus immuni, Moy-

si

ſi, ac Iſraelis filijs holocauſtum in odorem Domino ſuaviſſimum quatuordecim nempe anniculos immaculatos Agnos immolari Deus demandavit (a) Nos quoque hac die 24. Auguſti ſanćta, ac ſemper huic noſtræ Civitati venerabile ob maximam Divi Bartholomæi Apoſtoli præcipui Patroni celebritatem, cujus ſacro Corpori terræmotùs cauſa vaganti divino munere præterito anno proprium ſtatuimus Tabernaculum, cum tredecim alijs noſtris ante actis Synodis præſentem decimamquartam vetuſtiſſimo noſtræ Eccleſiæ more Deo Opt. Max. immolamus: eundem enixe rogantes, ut hoc ſuavi holocauſto placatus ſuper Clerum, & populum noſtræ curæ concreditos ſupernæ benedictionis fluenta effundat; utque tanto piaculo expiati Chriſti bonus odor perpetuum in ævum effici mereantur. Quocirca eandem Synodum &c.

(a) Num. 29.

Ex eadem decimaquarta Synodo Tit. unic. Cap. 2.

CAPUT IX.

Una præcedentium Synodorum obſervantia in reliquis Synodis diligentiori ſcrutinio diſquirenda. Si quid inobſervatū occurrerit, Tituli ad id facientes repetantur. Emendanda, vel demandanda, ſi levia Edicto; ſin gravia, novis Conſtitutionibus injungentur.

ANniverſarias eccleſiaſticorum Synodos, non ad novas tantum condendas leges; cum legum multitudo magis obruat, quam inſtruat, nec niſi magni momenti cauſa novas extruat; in medium prolatas, omnibus eſt exploratum; verum etiam, ut, convocato Clero, per ſcrutinium diligenter habitum Clericorum, & populi aperiantur defectus, ac inobſervantijs, quas humana in dies edit imbecillitas, aditus intercludatur. In hac igitur noſtra, alijſque conſimilibus in poſterum Synodis Conſtitutionum hactenus editarum religioſa obſervantia exigetur: cujus rei gratia ſynodale ſcrutinium a Patribus ſalubriter inſtitutum, ac commendatum, perquam ſedulo peragetur; Et ſi quid rurſum ingerendum videbitur, Tituli illi, qui ad rem faciunt, ex præteritis Synodis iterabuntur. Si quid verò ſpeciali animadverſione, correctione, vel admonitione repertum fuerit indigere, Edicto vulgari ſermone evulgato, ſi leve; ſin grave, novis Conſtitutionibus juxta normam in Cap. III. de Conſtit. noſtræ IX. diœceſanæ Synodi anni 1694. præſcriptam eidem fere præſentiſſimo, ac ſingulari remedio occurremus.

Ex decimaquinta Synodo. An. 1700.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

UT ad divinum illud Salomonis Templum ſanctus haberetur ingreſſus, per gradus quindecim myſtica patebat aſcenſio, quam pſalmos quindecim ideo graduales dictos canentes conficiebant. Ut autem & nos per totidem gradus ad gloriæ Templum perveniamus, divus Pater noſter Dominicus per quindecim veneranda Myſteria ſacratiſſimi Roſarii aſcenſiones in corde noſtro diſpoſuit, maximum in hac lacrymarum valle ſolatium. Quid autem Synodus eſt, niſi via omnibus patens, & via roſis conſperſa, quibus jugum Domini ſuave eſt, & onus leve, quam tenentes inoffenſo pede ad cœleſtem patriam ſe conferunt? En igitur decimamquintam Synodum hoc Jubilæi anno exhibemus; qui omnes quindecim accurate ſervaverint, pſallentes cum jubilo hujuſce peregrinationis noſtræ viam carpent, etenim benedictionem dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion. Quocirca eandem Synodum, &c.

Ex

Ex decimasexta Synodo. Ann. 1701.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

EZechiæ Regis, qui omnibus confractis idolis Templum per mundatos priùs Sacerdotes mundavit, Phylistæos compressit, murisque refectis Hierosolymam communivit, Anno Regni decimosexto, ipso tantùm orante, Angelus Dei centum octoginta quinque Assyriorum millia nocte concubia, sine strepitu, sine armis interemit. Nos quoque pastorali nostræ solicitudini pientissimo Regis eventum a Deo imploramus; præteritis siquidem annis quicquid ad ecclesiasticarum rerum decorem, morum moderationem, excessuum correctionem, controversiarum compositionem revocanda pertinebat, latis Constitutionibus in diœcesanis Synodis quindecim, provincialibus Conciliis duobus ediximus; hoc autem anno sextodecimo Deum rogamus, ut Angelo ejus, cui Ecclesiæ nostræ custodia concredita est, divinitus præstante, ipsa editarum Constitutionum observantia omnes abusuum turmas prosternat. Quocirca decimamsextam Synodum superiore anno jam indictam, &c.

Ex decimaseptima Synodo An. 1702.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

(a) Jer. 17. v. 15. DUplici contritione contritos (*a*), qui ad hanc decimamseptimam diœcesanam Synodum, nondum siccis oculis, accessistis, quibus vos alloquar verbis, nisi Psalmi XVII. versiculo: *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus est eis?* Hanc iram hoc anno, a priore clade decimoquarto ineunte, contritione super contritionem vocata (*b*), qua repente tabernacula nostra vastata sunt, vidimus repetitam; licèt Dominus Misericors, Miserator, & Justus non continuerit in ira misericordias suas (*c*), quibus eduxit nos in latitudinem, & salvos nos fecit, perficiens pedes nostros quasi cervorum. (*d*) Hanc itaque justi Judicis iram leniemus, si tandem aliquando pravis moribus, & excessibus, abusibus quoque, & negligentiis ipsis editas huc usque Constitutiones prævaluisse contingat. Et hæc nostra Metropolis, cujus Senatus (*e*) Mitras nuper obtentas, ab irruente excidio galeas salutis expertus est, tanta justitiæ (*f*) diploide induatur, ut totam Archidiœcesim nostram perpetua religione circumdet. Quocirca decimamseptimam Synodum superiore anno jam indictam &c.

(b) Idem. 4. v. 20.

(c) Psal. 76. v. 10.

(d) Psal. 17. v. 34.

(e) Trid. sess. 24. cap. 12. de ref.

(f) Baruc. 5. v. 7.

Ex decimaoctava Synodo. An. 1703.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

REgis Roboam, præcipua cujus dilectio inter uxores ejus octodecim in unam Maacha a divina recensetur historia (*g*), sanctiori Nos consilio, filii charissimi, æmulantes amorem, anno hoc decimooctavo, quo, nobiscum in nostram Metropolitanam, de more convenientibus vobis in unum (*h*), eidem sanctæ Ecclesiæ novo veluti, ac strictiori in Christi fide connubio copulamur, octodicesimam Synodum Sponsæ nostræ dilectissimæ nomine convocatam ipsius gratia in eadem, ac cæteras hucusque habitas, charitate perpetua diligemus. (*i*) Cavete vos autem, ne vel minima Sponsæ nostræ hujusmodi, cujus honorem zelamus, monita, ac præcepta despiciatis: immo quam Nos ab initio amavimus, & exquisivimus Sponsam Nobis assumere (*k*), unusquisque vestrum, illius formæ amator, atque zelota, volumus, magis efficiatur. Quapropter decimam octavam eandem nostram diœcesanam Synodum &c.

(g) 2. Paralip. 11. 21.

(h) Corinth. 1. 11. 20.

(i) Jerem. 31. v. 3.

(k) Sap. 8. v. 2.

Ex eadem decimaoctava Syn. Tit. 1.

CAPUT X.

Statuta Ecclesiarum Collegiatarum, & Conventualium, sive Receptitiarum Civitatis, & Archidiœcesis publicantur: eorum copia a Metropolitano Archivo desumenda.

QUod primo, & altero Provincialibus nostris Conciliis, hoc Titulo mandatum fuit, ut scilicet Ecclesiarum Capitula Statutis carentia, ea condere debuissent; post Capituli nostri Metropolitani Capitularia, à nobis in vim primi Concilii edita, & in II. a Patribus, pro cœterorum norma, probata; a nostræ etiam Civitatis, & Archidiœcesis Collegiatarum, & principalius a Conventualium, sive Receptitiarum Ecclesiarum Cleris, qui sine regulis irregulariter vivebant, & ut naves inter fluctus, abussum, & corruptelarum ventis, in chorali præsertim divinorum officiorum persolutione, sacrisque aliis functionibus obeundis, huc, illucque in errorum scopulos jactabantur, ad Dei honorem, ritualis disciplinæ custodiam, & Ecclesiarum hujusmodi utilitatem, exequi, & adimpleri fategimus. Voti igitur compotes effecti, statuta prædicta pro urbanis duabus, ac foraneis quinque Collegiatis, ac una, & viginti in eadem nostra Archidiœcesi Conventualibus Ecclesiis, quas Receptitias vocant, condita, & a Nobis confirmata præsenti hac nostra Synodo publicamus; ac præcipimus, ut authenticum ipsarum exemplum singulæ præfatæ Ecclesiæ ab Archivo nostro Metropolitano, infra mensem sub pœna ducatorum decem, omnino desumant, & in earum Archivo reponant. Quotannis verò in mense Januario, ut debitæ executioni mandentur, sub eadem pœna a Clero quolibet respectivè, generali habito Conventu distributis in plures dies Capitulis, omni adhibita attentione, legantur.

CAPUT XI.

Participantium numerus in Ecclesiis Receptitiis, juxta earum redditus, & onera designatus affertur.

ILlud autem, quod pro Padulensis Collegii, ac cujuslibet Ecclesiæ Receptitiæ Participantium numero, quem supra numerum multiplicatum, non magnificata redditum pro congrua eorum substentatione lætitia (a), maximo cum ecclesiastici status dedecore, invenimus, juxta sacros Canones (b), & sacrarum Congregationum (c) decreta etiam recentia, in diversis Visitationibus, ac item post ultima earundem Ecclesiarum bonorum Inventaria, facultatibus illarum, proventibus, & expensis inspectis, in ipsa Statutorum efformatione, circa numeri prædicti designationem, qua partem tunc obtinentibus officere non intelleximus, opportunè statuimus, Synodali hac nostra Constitutione in perpetuo sui roborare volumus, & decernimus, permanere: quemvis interim Ecclesiis ipsis aggregari inhibentes, donec (& tunc nõ nisi redditibus adauctis, & cum nostræ Curiæ Archiepiscopalis licentia) præsentium numerus numerum designatum attingat sub nullitatis admissionis pœna, aliisque nostro arbitrio infligendis. Quæ præterea dictæ Ecclesiæ sint; quotque deinceps Participantes in eis futuros, hic infra denunciamus: Et sunt.

(a) Isaiæ 9. v. 3.

(b) Can. quoniã extra de vit. & honest. Cleric. Can. Non amplius, & Can. Auctoritate: de Institut.

(c) S. C. C. in Cassanen. 23. Julii 1590. in Bojanen. Campibassi 19. Febr. 1619. in Sipont. Rodii 8. Martii 1664 & Cong. Epis. in Sipont. S. Joan. Rotundi 31. Aug. 1691. & in Sipon. Vici 24. Septemb. 1694.

	Ecclesia Collegiata oppidi Paduli,	num. octodecim.
I.	Archipresbyteralis Apicii,	num. septem.
II.	Archipresbyteralis Aricie,	num. quatuor.

III.

III.	Archipresbyteralis	Bisilicis,	num. sex.
IV.	Archipresbyteralis	Campi-lati,	num. septem.
V.	Archipresbyteralis	Campi-Petræ,	num. quatuor.
VI.	Archipresbyteralis	Castri-Veteris,	num. quinque.
VII.	Archipresbyteralis	Cercelli,	num. septem.
VIII.	Archipresbyteralis	Collis,	num. duodecim.
IX.	Archipresbyteralis	Fragneti,	num. quinque.
X.	Archipresbyteralis	Gildoni,	num. septem.
XI.	Archipresbyteralis	Jeficis,	num. tres.
XII.	Archipresbyteralis	Macchiæ,	num. quatuor.
XIII.	Archipresbyteralis	Matricis,	num. quinque.
XIV.	Archipresbyteralis	Monacileonis,	num. sex.
XV.	Archipresbyteralis	Montis-Militum,	num. sex.
XVI.	Archipresbyteralis	Petræ-catellæ,	num. septem.
XVII.	Archipresbyteralis	Quercus-Majoris,	num. quatuor.
XVIII.	Archipresbyteralis	S. Eliæ,	num. octo.
XIX.	Archipresbyteralis	S. Jo: in Galdo,	num. octo.
XX.	Archipresbyteralis	Thori,	num. septem.
XXI.	Archipresbyteralis	Tufariæ,	num. sex.

Duas verò alias Oppidorum scilicet Gambatesiæ, & Turris Abellinarum Ecclesias Receptitias, perpensa earum redditunm tenuitate, consideratisque considerandis, salvis actu participantium juribus, suppressimus, & paucos fructus cum oneribus, Mensis Archipresbyteralibus in perpetuum univimus; prout in nostra hac Synodo suppressas, ac respectivè unitos dicimus, & declaramus.

Ex decimanona Synodo. Ann. 1704.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

AUreum, dilectissimi filii, atq; utinam illius igne probati (a), Synodorum numerum aggredimur, dum hoc anno nostri in hac sacrosancta Sede Pontificatus decimonono, decemnovalem perficientes cyclum, decimumnonum in Domino gloriamur Synodalem vobiscum habere Conventum. Urbes quondam novemdecim (b) Nephthalitas in promissæ Terræ partitione felici sub duce Josue sorte accepisse legimus. Totidem nunc Synodos, Civitates veluti munitissimas (c), ac Turres fortitudinis nostræ, e quibus clypei mille (d), Sanctorum videlicet Patrum, & Conciliorum doctrinæ (e) pro carnis illecebris edomandis, antiqui hostis versutiis eludendis, mundique erroribus emendandis, tutissimi pendent, forte non inæquali sub humili nostræ parvitatis pastorali regimine a Divina solummodo dignatione vos obtinuisse, speramus. Civitates igitur ipsas in vanum ne accipiatis (f): verùm fideles apud illas excubias observantes, in lege diu, noctuq; meditemini (g), ac pro vestro quoque munere Synodalium Constitutionum honorem perpetuò custodite; ut in vobis, quod de Tribu ipsa est scriptum adimpleatur: *Nephthali abundantia perfruetur, & erit in benedictione Domini* (h). Quocirca eandem decimam nonam Synodum, &c.

(a) Eccli. 2. v. 5.
(b) Josue 19. v. 38.
(c) 2. Paralip. 11. v. 10.
(d) Cant. 4. v. 4.
(e) D. Gregor. ibid.
(f) Psal. 138. v. 20.
(g) Psal. 1. v. 2.
(h) Deuter. 33. v. 23.

Ex eadem decimanona Synodo, Tit. 1. Cap. 3.

CAPUT XII.

Secundum Hugonis Guidardi Archiepiscopi Provinciale ConCoucilium, celebratum anno 1378. & nuper nactum, typis datur.

STudiosas pro nostra Ecclesia Prædecessorũ nostrorũ Archiepiscoporum solicitudines hoc a no-

bis, qui eorum oneri simul, & honori, Divina ferente patientia, successimus, cum primis mereri dignoscimus, ut, dum vetera eorum scripta, vel in Bibliothecarum forulis, & Ecclesiarum tabulariis, vel in ignotis privatorum scriniis latentia, ex oblivionis tenebris, diligenti adhibita conquisitione, eruimus, in lucem publicam prodeant, incumbamus. Sanè id modico haud labore, studioque egimus, cum anno 1695. Concilia XIX. sex scilicet a Summis Pontificibus, duodecim ab eisdem Prædecessoribus nostris, ac decimumtertium a Nobis in nostra Metropolitana celebrata collegimus, & in unum collecta Volumen, quod Synodicon S. Beneventanæ Ecclesiæ significavimus, summariis notisque adaucta, claro, distinctoque indice locupletata, edidimus. Hoc idem nec modo prætermittendum duximus, cum elapso anno in sancta Oppidi Limusani nostræ Archidiœcesis Visitatione apud S. Stephani Rectorem Hugonis Guidardil Archiepiscopi vetustum, ac ferè consumptum Concilii Provincialis excriptum, plurimis licèt amanuensis mendis inquinatum, reperimus, anno habiti 1378. quadriennio post alterum ab eodem coactum, anno videlicet 1374. quod est VI. in præfato nostro Synodico impressum. Quapropter ad illius memoriam sustinendam, dignum, prout extat, existimavimus, cum præcipuorum tamen errorum correctionibus, ac summariis ad singulos numeros adjunctis, in nostra hujus Synodi Appendice provulgare.

Ex vigesima Synodo. Ann. 1705.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

VIcennium, en dilectissimi, qui, patiente Deo, vigiles in præinsigni hujusce Ecclesiæ produximus specula, ipsius Dei miserente Spiritu, soliciti ad Vicenariam nostram de more vos coegimus Synodum. Vigesimus in sacra Regum designatur historia Annus, ex quo Arca Domini, Bethsames translata in Chariathiarim ab Eleazaro custodita permansit (a). Vigesimus vel hic est annus, cum vos, qui Templum Domini estis (b), a Nobis, qui in antiquæ legis Sacerdotibus Evangelicæ veritatis Pontifices præfigurati sumus, in Dei virtute custodimini (c). Vicennio ipso omnem Israel post Dominum sedentem in Cherubim super Arcam (d), requievisse innuitur (e). Nonne & hoc Nobis, vobisque contigisse, gaudendum: dum toto hoc tempore in domo Dei ambulavimus cum consensu (f), & quæ pacis sunt, sectati (g), post Deum pacis immutabiliter in id ipsum requievimus (h)? Pro eadem igitur pace, ac quiete servanda, in vigesima hac nostra Synodo, quæ a duodecima ad decimamnonam usque, sive in Constitutionibus, sive in Appendicibus, prolixiora ediximus decreta, summatim modò, non multis comprehensa verbis, suisque disposita Titulis, ita ut singula unicuique, ne ullus inobservantiæ pateat excusationis locus, sine magna difficultate, & exigua cum molestia, paucis pervolutatis foliis, occurrent, eademmet, qua in undecima de anteactis decem peregimus Synodis, methodo servata, proferimus. Vos autem, qui non solùm facere, sed & velle cœpistis ab anno priore, nunc verò & facto perficite (i): idemque sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit Nobiscum (k). Quammobrem vigesimam ipsam Synodum, &c.

(a) 1 Reg. 7. v. 1. & 2.
(b) 1. Cor. 3. v. 16.
(c) 1. Petr. 5. v. 5.
(d) 2. Reg. 6. v. 2.
(e) 1. Reg. 7. v. 2.
(f) Psal. 54. v. 16.
(g) Rom. 14. v. 19.
(h) Psal. 4. v. 9.
(i) 2. Cor. 8. v. 10. & 11.
(k) Ib. 13. v. 11.

Ex vigesimaprima Syn. Ann. 1706.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

SYnodalibus licèt nostris, filii dilectissimi, pro vestra, totiusque

que curæ nostræ concrediti Dominici gregis salute, successivis, more in Ecclesia nostra pervetusto, viginti annorum recursibus, exantlatis laboribus, ac vigiliis Divinam semper exoraverimus benedictionem; hanc adhuc, unus, & viginti sunt anni, cum, ut perfectam in Archidiœcesi nostra Ecclesiasticæ disciplinæ restaurationem, bonorumque morum incrementum videremus, non meruisse lugeamus. Viginti, & uno diebus luxisse Danielem, Deumque Misericordiarum Patrem orasse, quatenus Israelis Populus Babylonicæ servitutis jugo exutus, in Patriam tandem redire videretur, sacra refert historia (*a*); Sanctoque desideriorum Viro Sanctum, qui suas Deo obtulerat orationes, legimus adstitisse Angelum, a quo cum primùm se Daniel in preces dederat, a Deo exauditum fuisse intellexit: Verumtamen, ut ei Divinæ nuntiaret gratiam exauditionis, viginti ipsis, & uno diebus (*b*) restiterat Persarum Princeps, Angelus videlicet malus (*c*), Judæorum numerans peccata, quibus ii, ne in Patriam redirent, captivi juste detinebantur. Intendat nunc Charitas vestra. Peccata, si malum omne, id cumprimis efficiunt, ut nostra, non a diebus uno, & viginti, sed uno, & viginti ab hinc annis non exaudiatur oratio: *Cum invocamus*, ait Rupertus, (*d*), *& Dominus non exaudit, scire debemus, Sanctis Angelis, orationes, & clamores nostros offerentibus resistere, & contradicere malos Angelos habentes in manibus accusationum jacula, quæ sũt peccata nostra.* Congregati igitur ad vigesimam hanc primam Synodum, ante omnia ex corde convertamur ad Dominum, & cum fiducia thronum gratiæ adeamus (*e*), ut, concessa delictorum venia, benedictio, quam nobis, studiisque nostris Synodalibus peccata nostra præpediunt, indulgentia suæ propitiationis acceleret (*f*). Quamobrem vigesimam primam hanc nostram Diœcesanam Synodum &c.

(*a*) Dan. 10. v. 3.
(*b*) Ib. v. 13.
(*c*) Hieronym. in Comment. d. c. Magister hist. scholast. ibid.
(*d*) Lib. 9. de victoria Verbi c. 5.
(*e*) Hebr. 4. 16.
(*f*) In Collect. Dom. IV. Adv.

Ex vigesimasecunda Syn. An. 1707.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

VIgesimam secundam, Dilectissimi, Deo adjuvante, Diœcesanam aggredimur Synodum: numerum sane, quo multa, si quis perquirat, Divinis in paginis, consecrata reperiet (*g*). Vigesimum secundum, post Adam protoparentem, Jacob, duodecim ex cujus semine Tribus duxerunt initium, sacro in Evangeliorum Textu legimus Patriarcham (*h*) Faxit ille, qui Jacob benedixit, & ejus semen, sicut Cœli Stellas, multiplicavit, nostræ ut huic etiam Synodo vigesimæ secundæ, miro Jacobitici Patriarchatus numero inscriptæ, benedicat Deus: & hic congregatos, ita, Tribus veluti amabiles Domini, legum, & Constitutionum observantia, de virtute faciat in virtutem progredi, ut ipsi & eorum verbo, & exemplo multiplicati, fideles, in Cœlo perpetuas effulgeant in æternitates. Quocirca vigesimam secundam hanc nostram Diœcesanam Synodum &c.

(*g*) Orig. in Num. cap. 3.
(*h*) Lucæ cap. 3.

Ex vigesima tertia Syn. An. 1708.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

DIutinum, quo Domini Propheta Jeremias tribus, & Viginti annis, per dies singulos de nocte consurgens, suum semper, ut bonus Pastor, populum commonere, & Dei replicare mandata non destitit, studium, atque laborem Divina scriptura commendat (*i*). Tertius, dilectissimi, & vigesimus decurrit annus, cum, Nos, qui vel Prophetarum (*k*) locum, licet immeriti, superna dispensatione tenemus, continuatis propemodum in vigiliis, & excubiis pro concrediti Nobis, Do-

(*i*) Jerem. 25. v. 3.
(*k*) D. Ambr. in c. 4. ad Ephes.

Dominici gregis custodia, constituti, vespere, mane, & meridie, ut Psaltes inquit, (a), verbo, scripto, utinam & exemplo, Dei legem enarramus, edicimus, prædicamus: idemque, viginti duabus nostris præcedentibus propositis Synodis, adamussim fieri a vobis, in Pastoralis nostræ sollicitudinis partem vocatis, jugi declamatione exquisivimus. Dei enim legem populis frequenter exponere, ejusque observantiam iteratis Synodorum Constitutionibus demandare, vel hoc, Divo Hyeronimo docente (b) ostendit, *Dei nos semper indigere auxilio: & nunquam posse sufficere, quod semel datum est; nisi quotidie Domini admonitione renovetur*. Quamobrem vigesimam tertiam hanc &c.

(a) Psal. 54. v. 18.

(b) In Jerem. loco cit.

Ex vigesima quarta Syn. An. 1709.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

GLoriosa Vobis, dilectissimi, Vigesimam quartam hoc anno Diœcesanam Synodum concelebraturis, occcurrit illa in Apocalypsi (c) descripta, Viginti quatuor seniorum supra quatuor, & viginti Sedilia, Dei circa thronum, assessio eos repræsentās antiquæ legis Viros (d), sapientia, & virtutum præstantia celebres, qui viginti quatuor in sedibus consedisse dicuntur, dum a seculi curis, laboribusq; vacantes, in assidua viginti quatuor veteris Testamenti librorum (e) lectione, ac meditatione quieverant. *Seniores ergo, qui in Vobis sunt* (verbis vos alloquor Apostolicis), *obsecro* consenior (f): factum audistis: mysterium intendite. Gloriosa quidem & vestra hæc fiet Confessio Venerabilis, si Seniores illos Sapientes, quibus figura designamini, virtutum, ac sapientiæ operibus æmulantes, in nostrarum viginti quatuor Synodorum studio, earumque Constitutionum cura, & exercitatione perseveranter immorabimini. Beneque insuper seniores Domus Israel, Ecclesiæ videlicet Christi Sacerdotes (g) eritis, si ad eorum similitudinem, quos David viginti quatuor distribuit in familias (h), singuli ad vestrum quemque spectantia, viginti quatuor Synodorum decreta exequentes, & Sacerdotalia, ut decet, in Dei Templo obibitis ministeria, ac veluti Sapientes in plebe, Dei populum juveniliter lascivientem, morum, ac doctrinæ maturitate continebitis. Quamobrem vigesimam quartam &c.

(c) Cap. 4. v. 4

(d) D. Ambr. apud Peter. in Apocal. 4. disp 8.

(e) D. Hieron. in Prol. Galeat Sac. Bibl.

(f) 1. Petri. 5. v. 1

(g) Hugo in Ezechiel 8.

(h) 1. Paralip. 24.

Ex vigesima quinta Syn. An. 1710.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

QUintam supra vigesimam, quo, dilectissimi, Diœcesanam Synodum, Spiritu Sancto auctore, celebramus, annus est hic nostræ, ad præinsignem hanc regendam Ecclesiam immeritæ Translationis vigesimus quintus, Annus equidem venerabilis plerisque sacro in Bibliorum Codice mysteriis initiatus. Anno etenim ab Ezechielitica in Babylon Transmigratione quinto, & vigesimo factam super Prophetam legimus (i) manum Domini, qui illum supra Judææ montem in Dei visionibus adduxit, reædificandique ei templi speciem spectandam objecit. Tempus exprimimus. (Magni liceat Gregorii sensum usurpare (k)) ut ex ipso quoque tempore in audientium corda, juxta literam, verbi radicem figentes, spiritualem inde fructus proferamus. Quidni? Ipso sanè vigesimoquinto Transmigrationis anno de Divinorum agit fidelis Ezechiel bonorum remuneratione (l). Fiet æque sanius, Dilectissimi, & anno hoc nostræ Translationis quinto simul, ac vigesimo, si

(i) Ezechiel 40.

(k) Homil. 13. super Ezechiel.

(l) Liran. in Ezechiel. 40. n. 1.

si fideliter Synodorum leges custodivimus, munusque nostrum cum Dei gregis emolumento implevimus, ut suam nobis adducat Dominus retributionem: faciatque super nos manum suam, virtutem scilicet, & potentiam, efficaciam, & operationem (a): quatenus in alto Dignitatum loco, in clarissimo veluti suæ sanctificationis monte, constituti, doctrina, oratione, & exemplo novam Christo coædificemus Ecclesiam, idest familiam Dei; æterna tandem laborum, pietatis, ac solicitudinis nostrorum præmia in Cœlo consecuturi. Quocirca vigesimam quintam &c.

(a) P. a Lap. loc. cit.

Ex vigesima sexta Syn. Ann. 1711.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

Egregius ille, Dilectissimi, Psaltes, & Rex Israel, David, vir quamvis Dei, ut nostis, secundum Cor inventus, quique Dei omnes efficeret voluntates (b) electus; ejusdem tamen Regni gubernacula subiturus; sacro priusquam oliniretur oleo, ad ipsam, qua Domini gratiam, contra scilicet adversarios fortitudinem, Divinum erga cultum amorem, ac in bonis actibus constantiam, mereretur, devotè suscipiendam unctionem, Psalmum dicitur (c), cecinisse vigesimum sextum. Hic itaque congregati, Venerabiles Fratres, vigesimam sextam Diœcesanam Synodum concelebraturi, iterum, atque iterum sedulo, quid Nos, qui in Regno Dei, idest Ecclesia, verè uncti Domini sumus, & a Christo Jesu Reges, & Sacerdotes effecti (d), quid, inquam, ut, tanti exemplo præeunte viri, Sacerdotalis officia dignitatis pro debito exequamur, præstare debemus, attendite. Vigesimo sexto Psalmo supplex noster oravit Vates sanctissimus: eodem & Nos supplices exoremus; propriæ imbecillitatis conscii, undique peccatorum infirmitate circumdati. Reminiscamini, Fratres, quæ prædicta sunt, verborum, a Sanctis (e): & pro salutari, quem Sacrosancta sibi despondet Ecclesia, Synodorum fructu; hostium videlicet adversantium depressione; Dei, & Ecclesiarum cultus incremento; atque perpetua Cleri, Populique in bene agendo perseverantia, Psalmum ipsum XXVI. ad dona nobis hujusmodi cœlitus impetranda peraptissimum (f), in fide vera, spe firma, & Charitate non ficta, ad Deum sæpius orantes iteremus. Viriliter agamus, Charissimi, sustinentes Dominum. (g) dabit enim Misericors virtutem, qui contulit Dignitatem (h). Quocirca vigesimam sextam &c.

(b) Actor. 13. 22.

(c) Liran. in Psal. 26. Postil. literal. n. 1.

(d) Apocal. 1. 6.

(e) 2. Petr. 3. v. 2.

(f) Liran. loco cit. Postil. Moral. n. 1.

(g) Psal. 26. v. 24.

(h) S. Leo. Ser. 1 in Annivers. suæ assumpt. ad Pontificat.

Ex vigesima septima Syn. An. 1712.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

Regis Israel Jeroboam, cujus, Dilectissimi, nomen *impugnans populum* legimus interpretatum (i), anno Regni vigesimo septimo, Azariam, hoc est *Domini auxilium* (k), in Judæa regnasse, Sacra Regum enarrat historia (l). Septimus noster, & vigesimus est annus, quo, ad Regalem Nos simul, ac Sacerdotalem hujus, in Israelitico jam presignatum, Christi Ecclesiæ thronum misericorditer evecti, corruptos populorum mores, scuto fidei, & Synodalium Constitutionum armis impugnamus. Regnet utinam & hoc anno Divinum in Nobis auxilium; quatenus & in vigesima septima hac nostra Diœcesana Synodo, quæ Deo sunt placita, suoque populo utilia efficere, & cœlestem tandem pro bene gestis Coronam adipisci valeamus. Quamobrem vigesimam septimam &c.

(i) In fine Bibl. Hebraicor. &c Nominum interpret.

(k) Ibid.

(l) 4. Reg. 15. v. 1.

Ex-

Ex vigesima octava Syn. An. 1713.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

MYsticum, Dilectissimi, quem vigesimo octavo hoc nostræ ad sacratissimam hanc sedem immeritæ provectionis anno Diœcesanarum attingimus Synodorum numerum solicitè vos perpendere sacra vel ipsa Scriptura compellit. Octava nempe, & vigesima est (non latet) quam de more celebramus, Congressio nostra Synodalis: utilibus ubi dum ex Sanctorum Patrum dictis, & exemplis, Sacrorumque Conciliorum Decretis, nostræ ad Dei honorem, suæque Ecclesiæ profectum, & ornatum, vario velut opere contextæ, Constitutiones ediduntur, quid in his sane Synodis, ad octo supra viginti Divino munere productis, celebres nisi antiqui Tabernaculi cortinas (a) cubitorum viginti octo longitudinis, indicare credamus? Cortinæ etenim (Magnus inquit (b) Gregorius (ii omnes sunt, qui ex diversis virtutum coloribus in Sanctæ Ecclesiæ ornamento proficiunt. Cumq; in longum illæ per cubitos XXVIII. prolatæ dicantur, perfectionis numerum, qui suis constat partibus aliquotis (c), aperte designant: Si ab uno namque (ut Beda scripsit (d)) usque ad septē omnes in ordine numeros pleno ordine numeraveris, viginti octo complebis: Unum enim, & duo, & tria, & quatuor, & quinque, & sex, & septem fiunt viginti octo. Perfectam igitur, Filii charissimi, (Paterna vos affectione magis, quam potestate alloquimur) in nostrarum viginti octo Synodorum observantia consuetam vestram exhibete longanimitatem: & ad ipsarum fideliter faciendas ordinationes corda vestra, non pœnæ pavor insiictæ, sed cœlestis præmia retributionis inclinent. Merito quippe (morali utimur laudati Bedæ (e) interpretatione) in vigesimo octavo numero longitudo invenitur; quia fides nostra, & patientia in omnibus, quæ agit, aut patitur, non humani gloriam fauoris, sed supernæ quietis beatitudinem expectat. Quocirca vigesimam octavam &c.

(a) Exodi cap. 26. v. 2.

(b) In Ezechiel. lib. 2. homil. 7. num. 4.

(c) Lauretus in Sylva Allegor. Sacr. Script. To 2. in Append. de Numeris n. XXVIII.

(d) Lib. 2. de Tabernaculo cap. 2.

(e) loc. cit.

Ex vigesima nona Synodo An. 1714.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

PRo antiqui constructione Tabernaculi, primus quod, Deo jubente, ædificavit legislator Moyses, viginti novem fuisse auri collata Talenta, sacra in Exodi perhibetur historia (f). In novo, quod vos estis; filii charissimi, Dei Omnipotentis Templo (g), a Nobis ubi, qui Moysis immeritò hìc licèt locum tenemus, novem, & viginti elaboratur annis, Divini ut tandem dignum fiat Paracliti habitaculum, viginti novem Diœcesanarum celebratione Synodorum, tot veluti Talentorum, aurearum scilicet Sanctorum doctrinarum, erogationibus, exornando adhuc usque insudamus. Huc itaque nostræ qui vigesimæ nonæ Synodi leges accepturi convenistis, Mystica, quæ maximum ad Dei honorem, suæque Ecclesiæ cultus incrementum, Talenta offerimus, desides in terra ne abscondatis. Considerate, quæ accepistis, atque sedulo in eorum negotiatione vigilate. Nulla Vos (Magni est admonitio Gregorii (b)) a spirituali opere terrena cura impediat: ne, si in terra Talentum absconditur, Talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Quamobrem vigesimam nonam &c.

(f) cap. 38.

(g) 1. Cor. 6. v. 19.

(b) Homil 9. in Evang.

Ex trigesima Synodo. Anno 1715.

DECRETUM DE APERITIONE, &c.

VEnerabilem, ex quo, Dilectissimi, Divini gratia Spiritus hanc Nos posuit regere Ecclesiam Dei,

Dei, sexto jam delabente lustro, trigesimam coegimus Synodum. In ipsa, eas præter, quæ antecedentium spectant Synodorum confirmationem, quæque noviter proponenda pensavimus, Constitutionum omnium Epitomen, semel prout à prima ad undecimam, ac iterum à duodecima ad vigesimam, nunc tertio à vigesima prima ad vigesimam nonam usque Synodum, ut quæ latè in iis, ac copiosè per Nos sancita fuere, in Summa Vos habeatis, offerimus: primum hoc sanè Nobis fuisse consilium perhibentes, integras ut qui Synodos ipsas, otio torpentes, numquam fortasse legissent, brevitate saltem ad illarum addiscenda Decreta compelleremus allectos. Universas autem triginta Synodos, abundè quibus Dei, & Ecclesiæ cultus promovetur, Ecclesiasticorum instauratur disciplina, cæterorumque fidelium mores componuntur, parvipendendas vobis nè permittat ille, qui, ut Augustinus inquit (a), cum æstimari non posset, triginta argenteorum pretio voluit comparari. Nec immeritò illas sic æstimandas arbitremini, quarum numerus suo dignoscitur non vacare mysterio. Triginta siquidem hucusque a Nobis celebratas Synodos, Vobis, triginta veluti antiqui Templi Gazophylacia (b), quibus, Gregorio interprete (c) Doctorum corda sapientiæ, & scientiæ divitiis plena, designantur, propositas habetis. His ergo erudimini; *ut* (sic enim ad Colossenses (d) scripsit Apostolus) *impleamini agnitione voluntatis Jesu, in omni sapientia, & intellectu spirituali: ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei: quod ipse, qui dat omnibus affluenter (e)*, benignè concedat. Quamobrem trigesimam &c.

(a) Serm. 46. de divers. in Append.

(b) Ezechiel. c. 40. v. 17.

(c) In Ezechiel. Homil. 18.

(d) Cap. 1.

(e) Jacob. c. 1.

Ex trigesima prima Syn. An. 1716.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

NOstis, Dilectissimi, qui ad trigesimam primam Diœcesanam Synodum convenistis, Sacra quid enarret Historia? Israelitarum Dux Josue, ipseque electus Dei populus, felicem illam, ac spatiosam, quam eis quondam largitor omnium, Deus donaverat, lacte, & melle manantem (f), promissionis Terram adepturi; illarum gentium urbibus aperto nello expugnatis, subversisque, Reges triginta unum (g) multiplici debellavere conflictu; & adversariis plaga magna percussis, pedibusque contritis, ad internecionem usque universa vastarunt. Hæc quidem omnia in figura contingebant illis (h): fuisse tamen propter Nos scripta non dubitamus; Quæcumque enim scripta sunt, dixit Apostolus, ad nostram doctrinam scripta sunt (i). Sanè etenim & Nos, quibus Dominici commissa est populi conductela, præsignatam in Josue Domini Nostri Jesu personam (immeritò licèt) gerimus; & Vos majorem adsecuti gloriam per Christum, in Israeliticam dignitatem pleno jure transistis. Nostram ut ergo Chanaan, fluentem lac, & mel, suavitatem scilicet vitæ, & gratiæ jucunditatem (k); felix illud, inquimus, quod intra nos est, Regnum Dei (l), dulces ubi cœlestium benedictionum fontes exurgunt: Spiritui ubi caro rebellis obtemperat: & rectæ jugiter viget imperium rationis, assequi mereamur; fortia contra spirituales hostes certamina moveamus, & à Civitatibus possessis, de animabus videlicet nostris, propulsemus omninò: abusuum, & vitiorum, quæcumque extant, ædificia deleamus: & Reges cunctos, qui sunt Angeli nequam, in Nobis per legis prævaricationem regnantes, lethali oppressione divexemus; pedesque nostros, viam mandatorum Dei currentes, super illorum colla ponamus. Cumque Scriptura dicat: *Hi sunt Reges, quos percussit Josue, & Filii Israel: Omnes triginta, & unus*; in hoc occisorum numero si unitas, & ternarius, denarium multiplicans, consideretur, mysticè per unius, Triniqne Dei confessionem, bonorumque secundum Decalogi præcepta operum multiplicationem, malignos spiritus à fidelibus debellari posse, monemur (m). Adversùs tot igitur eò perniciosiores, quò invisibiles inimicos, fœderatas vobis Diœcesanas nostras Synodos triginta, & unam, alios tot veluti strenuos, ac vigiles commilitones, Dei armatura, Divinæ idest suæ legis framea accin-

(f) Exod. 13. v. 5.

(g) Josue cap. 12.

(h) 1. Cor. 10. v. 11.

(i) Rom. 15. v. 3.

(k) Lib. 2. de Abrah. cap. 7.

(l) Luc. 17. v. 21.

(m) Liran. hic in Moral.

accinctos exhibemus. Induite vos autem sacrarum earundem Constitutionum observantia, ut Paulus ait (a), loricam justitiæ, scutum Fidei, & salutis galeam assumite: gladium spiritus, quod est Verbum Dei, apprehendite: pedes in in Evangelii pacis præparatione calceatos tenete: & in omni instantia, & obsecratione vigilate. Sit vita vestra catholica virtute prædita: vestra justa, & sancta sint opera, quibus assiduè cor, & pectus undequaque obarmetis; nequissimos quatenus, nè tantùm fugare spiritus valeatis, sed & tuente illis bello resistere, & offendente acria eisdem vulnera, & dolores inferre possitis. Sic agite, Dilectissimi, experturi in vobis, quod summo fuit Philadelphiæ Sacerdoti prædictum: *Tene, quod habes, & nemo accipiet coronam tuam* (b). Quocirca trigesimam primam &c.

(a) Ephes. 6. v. 14. &c.

(b) Apocal. 3. v. 11.

Ex trigesima secunda Syn. An. 1717.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

TRigesimam secundam en, Venerabiles Consacerdotes, & filii nostri charissimi, vetustissimus ut est nostræ Ecclesię mos, convocatam Diœcesanam Synodum, Divini nobis opitulante gratia Spiritus, hoc adhuc anno celebramus. Conventu hoc itaque trigesimo secundo, dum omnes pro vestra, & populi nobis commissi disciplina, in superioribus per Nos jam latas leges confirmamus, in iis vos servandis, atque exequendis ita diligentiores volumus, ac fortiores; ut ex hoc ipso, quod vel vestro debetis officio, in dies tum in majori Dei gloria procuranda, tum in æterna animarum salute contuenda, & vestra virtus, & nostrarum magis eluceat Synodalium vigor Constitutionum. Elucebit tunc sanè, Dilectissimi, mysticè cum contra Sacrarum hostes legum eisdem vos ipsorum uti pugnaculis enitemini. Syriæ quondam Regem Antiochum, Antiochi Epiphanis filium, qui, malo licèt enutritus patre, Eupator est appellatus, adversùs locum Sanctum, Dei populum, & legem dimicaturum, turrigeris, qui præibant, Elephantis triginta duobus se instruxisse, singulisque turribus, qui pugnabant desuper, virtutis viros triginta duos addidisse, Machabæorum narrant historiæ (c): sed quid in hoc nobis sensus indicet spiritualis, attendite. Elephanto belluarum prudentiorem nullam: animal item natura mansuetum, castum, ac fortissimum esse, perhibetur (d). Cum nos igitur, semper in procinctu positi, incessabili pugna contra malignos Antiochos dimicare debeamus, aduersùs eos ipsi in agone tendentes, mysticum jam dictum Elephanthorum numerum, nostras scilicet Synodos trigintaduas, fortitudinem quibus, castitatem, mansuetudinem, prudentiam, cæterasque virtutes edocemur, præ nos ire sinamus; his quatenùs muniti præsidiis, clarissimi veluti, ac veri virtutum viri è tutissimis tot Synodorum Arcibus, bonum semper *pro Legibus, pro Templo, pro Civitate, pro Patria, pro Civibus* (e) certamen certare, cursum consummare, & cum Apostolo (f) tandem justitiæ coronam assequi mereamur. Quamobrem trigesimam secundam &c.

(c) 1. Machab. 6.

(d) Labia Embl. Pastoral. par. 3. disc. 86.

(e) 2. Machab. 13.

(f) 2. Ad Tim. 4. v. 7.

Ex trigesimatertia Syn. Ann. 1718.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

UNiversam inter, quæ in Ægyptum olim, servitutibus utique, ac laboribus subjicienda, Deo jubente, descendit, præclarissimi Jacob Patriarchæ familiam, solius dum, ejusdem uxoris, Liæ filios Sacra recenset historia, hos omnes triginta tres, legimus, enumerari (g). Confessores itaque Venerabiles, Synodum qui trigesimam tertiam concelebraturi accessistis, nè ipsum Liæ nomen, illiusve numerum prolis, suo vacare mysterio, dubitetis. Liam etenim laboriosam noscimus interpretatam (h). Tertius autem cum supra trigesimum sit annus, Sanctam ex quo Ecclesiam hanc Metropolitanam Nobis Sponsam assumpsimus; Memores estis (Pauli vos verbis alloquimur) laboris nostri, nocte, ac die operantes (i). Incessabili ergò dum nos labori addiximus, mysticæ tunc sanè nos nupsimus Liæ: quam meliori Deus ità fœcunditate donauit, ut & miros ipsa virtutibus non

(g) Genes. 46. v. 15.

(h) In fine Bibl. Hebraicorum Nom. Interpret.

(i) 1. ad Thes. 2. v. 9.

non minus fœcunda, quam fœtibus, tot Nobis genuerit filios, Sanctissimas quot adhùc Synodos celebravit. En Synodi omnes itidem trigintatres: Liæ nostræ dilectissimæ, laboriosæ scilicet mentis, ac fatigatæ nunquam Paternæ nostræ solicitudinis partus, tantò nobis profectò chariores, quanto cæterotum ex carne filiis præstantiores. Cum his igitur, auxiliante Domino, in hujus seculi Ægyptum ad labores, & agones una nobiscum descendite: Et Synodalium ipsarum luce præeunte constitutionum, congressuri adversus mundi hujus, qui figuraliter Ægyptus appellatur (a), Rectores tenebrarum harum, nè timeatis, nè trepidetis. Jacob enim corroborans, & cohortans Deus in Ægyptum profecturum; Noli, inquit, timere: in gentem magnam faciam te ibi: descendam tecum illuc: & inde te revertentem adducam (b). Divinis & nos promissionibus animosè fidamus; longanimiter expectantes, in laboribus donec Deus multiplicet semen nostrum, & frugum augeat incrementa justitiæ nostræ (c): atque Ægyptiaca tandem pravitate devicta, in nostræ Terram nativitatis, Terram æternò viventium (d), nos ipse Deus adducat, cœlesti Chanaan perpetuò fruituros. Quocirca Trigesimam tertiam &c.

(a) Orig. Homil. in Gen. 16.
(b) Genes. loc. cit. v. 3. & 4.
(c) 2. ad Cor. 9. v. 10.
(d) Hug. in Genes. 31. v. 13.

Ex trigesimaquarta Syn. Ann. 1719.

Decretum de Aperitione &c.

Celeberrima non vos latet, Dilectissimi, trigesimam quartam qui ad Synodum Diœcesanam convenistis, veterum, quæ in Genesi texitur, parentum Genealogia. Meministis, quid Sacer ibi scripserit de Heber Genearcha Chronographus. Inquit nauque (e): *Vixit Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg*. At quid unquam pro Heber, quid pro Phaleg designetur, audite. Heber, socius, & Particeps (f): Phaleg verò, Divisio (g), legimus, interpretari. Magna quippe pro nobis, ac mira nominum interpretatio! Viximus, & nos vobiscum, & propter vos Patris hic potiùs affectione, quam Pontificis auctoritate, viximus; votumque nostrum est, ut apud Christum vobiscum sine fine vivamus. Viximus fanè, novus videlicet Heber, annos quatuor supra triginta Socii, ac Participes vestri effecti; omnibus, ut vult Apostolus, (h) per omnia placentes. Anno hoc autem Pontificatus nostri trigesimoquarto, trigesimam quartam Synodum in lucem edimus; quæ Phaleg licet, Divisionis scilicet, nomine inscripta, ab eo tamen nè quid dissonum clamat, quod Heber, idest socii nomen enunciat. Pacem etenim, & societatem Christus allaturus in Terram, gladium se attulisse, commonuit (i): divisiones nempè, dissidia, & separationes à mundo, à vitiis, & à concupiscentiis; à quibus cum se Fideles avertunt, pacem inter se statuunt, unionemque cum Deo. Ab his ergo, ut Plebs nobis commissa, penitus aliquando secedat; & quæ pacis, quæ unitatis sunt, sectetur omninò, suarum gladium Constitutionum, controversiæ quibus dirimuntur, scandala eliminantur, vitia, & errores corriguntur, Synodus hæc præsens intentat. Vos interim, Charissimi, pro nostrarum observantia Synodorum, eos (Sanctorum vos verbis moneo) observate, qui offendicula faciunt, & declinate ab illis (k): Exite de medio eorum, & separamini (l): sicque societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo (m). Quamobrem trigesimam quartam &c.

(e) Genes. 11. v. 16.
(f) In fin. Bibl. Hebr. Nom. interpr.
(g) D. Hier. qq. Hebr. in Genes.
(h) Colos. 1. v. 10.
(i) Matth. 10. v. 34.
(k) Roman. 16. v. 17.
(l) 2. Cor. 6. v. 17.
(m) 1. Jo. 1. v. 3.

Ex trigesimaquinta Syn. Ann. 1720.

Decretum de Aperitione &c.

Gratulabundis quibus vos verbis alloquemur, Filii charissimi, trigesimam quintam qui Nobiscum Synodum Diœcesanam de more celebraturi accessistis? quid quondàm gloriosum de Asa Rege divina dixit Scriptura, ad illius dum usque Regni annum trigesimum quintum in Juda bellum non fuisse, denunciavit? (n). At vera quinam nunc gloria coronandi, atque universo pacis merito convestiendi, annum dum nos etiam quintum suprà trigesimum agen-

(n) 2. Paralip. 15. v. 19.

agentes, Regalem ex quo simul, ac Sacerdotalem in hoc Christi Regno Thronum ascendimus, Bella hic omninò nescivisse gaudemus? Vos fanè, Dilectissimi, vos, inquimus, Gaudium, & Corona nostra (*a*), qui ut Docibiles Dei (*b*), Divinis, nostrisque monitis obtemperantes, vobiscum haud bellandi Nobis unquam occasioni fuistis. Si quæ autem inviti tempore hoc bella suscepimus (inter homines enim sumus, & vitam hominis militiam esse (*c*) scimus); ea adversus vitia, hæc odiendo, adversus vitiosos, illos diligendo, Pacis semper intentione, inivimus. Omnis nanque homo, ut Divus ait Augustinus (*d*), belligerando, pacem requirit: nemo Bellum, pacificando. Tali itaque facto, nostrarum prævio Synodalium agmine Constitutionum, vitia nobiscum debellare perdiscite: & vitiosos, qui bella volunt, pacem edocete: pacem scilicet hominis, & Dei, quæ teste Augustino ipso (*e*) ordinata est in fide sub æterna lege observantia: pacem rerum omnium, tranquillitatem videlicet ordinis, qui parium est, dispariumque, sua cuique loca tribuens, dispositio. Ita siquidem, Dilectissimi, Bella nunquam hic audientur hujusmodi, cum quisque suo se statu contineat; & homo Deo, homo homini se subjectum agnoscens, Divinarum, humanarumque imperio legum ulteriùs repugnare dedifcat. Quocirca trigesimaquintàm &c.

(*a*) Philip. 4. v. 1.
(*b*) Jo. 6. v. 45.
(*c*) Job. 7. v. 1.
(*d*) De Civit. Dei lib. 19. cap. 12.
(*e*) Ibid. cap. 13.

Ex trigesimasexta Syn. Ann. 1721.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

NObiscum hic, Dilectissimi, congregatis vobis in unum, Sextam suprà trigesimam Diœcesanam Synodum celebraturis, ipsarum omnium, si è scripturis sanctis petatis mysteria numeri, illorum mors statim occurrit Israelitarum triginta sex, qui in Hai, Ammorrhæorum urbis, obsessione corruerunt (*f*). Jerichontino namque de anathemate, Dei contra mandatum, tulerat quædam Achan: & Dominus, cujus judicia abyssus multa (*g*), Israelis contra filios iratus, unius Achan peccatum triginta sex hominum æqua cæde punivit: metu hinc omnibus incusso, ut qui (à Theodoreto (*h*) id accepimus) Divinarum sunt legum observatores, pro viribus transgressores coarguant, supplicii alioquin infligendi participes mox futuri; quod enim mali perpetrat unus, universæ imputatur non objurganti congregationi. Achanos equidem, vetita qui non rarò usurpent, & acceptis temerentur illicitis, aliquos hic utinam non haberemus: sed & utinam qui legis zelum custodiens, illis opportunè obsistat, exprobret, improperet, habeamus. Omnes quocirca nostræ corruent Synodi triginta sex, iis si quandoque, Divino absque adjutorio, quod Dei præcepta temnentibus non injustè subtrahitur, Amorrhæorum urbes, subditorum scilicet prævaricantium corda, expugnare tentemus. Viri etenim triginta sex in pugna mortui, non utique, Divus inquit Augustinus (*i*), à Deo sunt pressi, sed non adjuti; & imbecillitate sua, dum fortitèr facere nequiverunt, occisi sunt. Expergiscamur itaque sub tali testificatione, Charissimi: & quisquis hæc audit, Deo si fideliter servit, si dolosus operarius non est, à sui muneris diligentia non conquiescat. Cum oportuerit, pro Deo, & propter Deum, peccanti cuique obstet; & sanam juxtà Apostoli mentem (*k*), coæquales arguat, seniores obsecret, increpet juniores. Ad vestri, proximique ædificationem Synodales Constitutiones pervolvite: Decreta, Edicta, & Instructiones perlegite: jussa, & monita, vel non scripta, reminiscamini. Legem omnes unà simul, verbo, factoque impleamùs: & sic Synodos, non more tantùm, laudabiliter licet hucusque custodito, sed fructu potissimè, à Patribus, & Conciliis optato, concelebremus. Nostris tandem, olim velut Judæi, auribus nè pruriamus; & ut Prophetarum illi, ita nos Synodorum eloquentia, quasi cythara delectemur, earum sanctiones minimè exequentes; antiqua aliàs contra nos illa innovabitur Dei apud Ezechielem querela (*l*): *In canticum oris sui vertunt sermones tuos, & et eis quasi carmen musicum: audiunt verba tua, & non faciunt ea*. Quamobrem trigesimam sextam &c.

(*f*) Josue cap. 7. v. 5.
(*g*) Psal. 35. v. 7.
(*h*) Quæst. 9. in Josue
(*i*) In quæst. vet. Testam. q. 36.
(*k*) 2. ad Timoth. 4. v. 2.
(*l*) Ezech. 33. v. 31.

Ex

Ex trigesima septimo Syn. Ann.1722.

DECRETUM DE APERITIONE &c.

VIdeo, dilectissimi, qui ad trigesimam septimam Diœcesanam Synodum, pro veteri hujus nostræ S. Metropolitanæ Ecclesiæ more, convenistis, video, inquam, vestrum omnium oculos in Nos esse conversos, solicitè expectantium, quid ex Divinæ Legis volumine, pro vestrarum norma actionum, in ipso operis limine proponemus. Animadvertistis unquam, intento animo, quæ Sacra Regum promat Historia? In ea (*a*), postquam honorificè posterorum memoriæ descripta sunt *nomina fortium David*, (*b*), qui manu, consilioque *adjuverunt eum, ut Rex fieret super omnem Israel* (*c*), concluditur, fuisse *omnes triginta septem* (*d*). Attendite nunc à præclarissimo quodam Sacrarum Scripturarum Interprete (*e*) tropologicè rem explanante, quidnam pro vestrorum actuum disciplina exhaurire debeatis. *Ideo*, ait, *Scriptura tradit eos nobis imitabiles; laudando illos, ut exemplo istorum, qui pugnaverunt contra hostes, nos quoque contra vitia militemus*. Agite ergo, ò Athletæ Christi, Divina militia (*f*), atque acerrimo prælio adversus omnia vitia bonum(*g*) certamen certate. Clamat enim (*b*) de Cœlo Deus: specto vos; luctamini, adjuvabo; vincite, coronabo. Ut verò ex hujus belli discrimine facili negotio victores revertamini, & pro meritis corona justitiæ, quæ in Civitate fortium (*i*) reposita est (*k*) vobis, induamini, nostras septem, & triginta Synodos, tot veluti strenuos, egregiosque milites, virtuti vestræ adjungite. Hoc tandem subsidio per Jerosolymam cœlestem (*l*), vos quoque viri fortes coronati incedetis; *nam qui certat in agone*, ut Divina testantur eloquia (*m*), *non coronatur, nisi legitimè certaverit*. Idcircò trigesimam septimam Synodum &c.

(*a*) 2. Reg. 23.
(*b*) Ibid. v. 8.
(*c*) 1. Paralip. 11. v. 10.
(*d*) Loc. cit. Reg. v. 39.
(*e*) Tostat. hic qu. 5.
(*f*) Ex Can. ex antiquis dist. 54.
(*g*) 2. ad Timoth. 4. 7.
(*b*) S. August. in ps. 39. v. 5.
(*i*) Ita Paradisus vocatur in Actis SS.MM. Astionis, & Epitecti.
(*k*) Ex loc. cit. ad Thimot. v. 8.
(*l*) Ex S. Hieron. lib. 2. Epist. 6. ad Heliodor.
(*m*) 2. ad Tim. 2. 5.

Ex eadem trigesima septima Synodo Tit. 1. cap. 1.

CAPUT XIII.

Diœcesanæ Synodi, hactenus celebratæ, confirmantur.

TRiginta sex Diœcesanas Synodos, unà cum earum Appendicibus, ab anno 1686. usque ad proximè præteritum 1721. à nobis editas, & promulgatas, præsenti trigesimaseptima Synodo confirmamus, & ab omnibus, quorum interest, inviolabiliter observari mandamus, sub pœnis in illis statutis, & comminatis.

CAPUT XIV.

Hæc una illarum observantia Synodali Scrutinio disquirenda.

DEcreti hujus observantiam, prout in XIV. nostra Synodo cautum fuit, hac trigesimaseptima innovamus, mandamusque præcipuè, ut Synodale Scrutinium quam sedulò peragatur.

TITULUS III.
DE CONSUETUDINE.

Ex prima Synodo cap. 10.

CAPUT UNICUM.

Nocturnarum Vigiliarum vestigia, commendantur.

NOcturnarum vigiliarum in solemnitatum pervigiliis, quas nullus canon prohibuit, sed frigescens populorum devotio deturbavit, quæ in hac nostra Metropolitana reperimus vestigia commendamus, eo, vel maximè, quod post completorium hora circiter 22. populi frequentia celebrentur.

Vide etiam Tit. XXIX. sect. III. §. II. Cap. III. , & IV.

Ti-

TITULUS IV.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

Ex prima Synodo cap.6.

CAPUT I.

Quæ patrimonii quantitas pro prima tonsura initiandis?

CUm ii tantum prima Tonsura initiari debeant, de quibus probabilis conjectura sit, eos non fecularis judicii fugiendi fraude, fed ut Deo fidelem cultum præftent, hoc vitæ genus elegisse; idcircò ftatuimus, ut nullus prima Tonfura infigniri queat, nifi qui faltem patrimonii medietatem, nempè quindecim ducatorum annuorum, fe pacificè poffidere authenticis documentis probaverit: quomodo enim credibile erit, ut in Clericali ftatu perfeverare velit, qui unde clericaliter vivere poffit, non habet?

CAPUT II.

Si Ecclefia Clerico opus non habet, tonfurandus non admittatur.

QUia verò ad utilitatem præcipuè Ecclefiarum Clerici tonfurandi funt, mandamus, ut inter cætera requifita illud principale habeatur, utrum Ecclefia tali Clerico opus habeat: quod fi fuperfluus fuerit, & inutilis, ad tonfuram non admittetur.

CAPUT III.

Abufus quoad licentiam à Baronibus obtinendam pro initiandis, excommunicatione coercetur.

CAveant autem temporales Domini, fivè Barones, abufum illum à fe, vel à fuis prædeceffforibus facrilegè introductum de cætero continuare, quod in ordinandos manus immittentes, velint, ut fibi prius fupplicationis libelli offerantur, quos ad fuum libitum fubfcribunt, nec nifi tali obtenta licentia, ut ad Archiepifcopum fe conferant ordinandi, permittunt. Quid autem hoc eft, nifi Sacris Thuribulis vetitas manus apponere, & Oziæ (a) pœnam in fe lacessere? directè fiquidem in Ecclefiafticam Immunitatem peccatur. Quocirca excommunicationis pœnam latæ fententiæ infligimus, tum tales fupplicationis libellos fuis Baronibus offerentibus, tum Baronibus ipfis, eofdem vel fcripto firmantibus, vel verbo talibus annuentibus, vel, quod pejus eft, in promotorum parentes, & conjunctos hac de re fævientibus. Cæterum nos paftorali folicitudine providebimus, nè in Oppidis, & Caftris noftræ Diœcefis, qui communitatis onera fupportent, ullo pacto defint, in omnibus Deum, & juftitiam præ oculis habentes. Hanc noftram conftitutionem Parochi omnes, inter Miffarum folemnia in fingulis ordinandorum denunciationibus, vulgari fermone, publicam, notamque omnibus faciant, nè latam excommunicationem contumaces ignoraffe prætendant.

(a) Paralipom. 26. 16.

CAPUT IV.

Ad Sacros Ordines promovendi cantum Gregorianum addifcant.

UT denique in minoribus Ordinibus conftituti ad facros promoveri valeant, requifitum illud cum primis habere debebunt, quod Ecclefiarum decori maximè convenit, nempè, ut cantum Gregorianum edocti ad nos accedant: cujus rei gratia Magiftri cantus examen fubibunt, quem ad hunc effectum ordinandorum generali examini volumus intereffe; nam deplorabile eft, quàm diffonum cantum in noftro Choro audivimus, enarrare; cum nemo huic neceffariæ difciplinæ operam navandam hactenus curaverit.

CA-

CAPUT V.

Annuorum ducatorum 30. patrimonium hoc titulo promovendi sine fraude possidebunt.

QUi ob necessitatē, vel utilitatē Ecclesiæ, ad titulum patrimonii ad sacrum Subdiaconatus ordinē sunt promovendi, habeant pro sufficienti, & honesta substentatione suæ vitæ, & gradus triginta annuorum ducatorum redditus, ab ipsis omninò, & absque ulla fraude possidendos. Qui secus auferit ad sacrum prædictum ordinem se præsentare, aut aliquam fraudem hac super re commiserit, vel consentiens fuerit, ut ab aliis perpetretur, sit ipso facto suspensus ab ordine suscepto, & ad suscipiendos incapax. Iisdem subjaceat pœnis quicunque post susceptum ordinem quolibet modo prædictos redditus alienaverit absque nostra expressa licentia, & consensu.

Ex tertia Synodo Cap.6.

CAPUT VI.

Circa interstitia, commendationes, requisita, & exercitia spiritualia pro ordinandis,

1 QUanti apud majores nostros fuerit Interstitiorum observatio, ex Sacris Canonibus (*a*) super hoc emanatis liquidò constat. Et quamvis nostrorum Interstitiorum longè minus constitutum sit spatium, (*b*) nempe ut post aliquem Sacrum Ordinem susceptum, non, nisi anno elapso, superior Ordo conferatur, idque etiam ad Episcopi dispensationem ex causa rationabili pertineat: nonnulli tamen, Sede Archiepiscopali, præsertim vacante, dispensatione super Interstitiis præhabita, in tribus diebus festivis, licèt quoad Ecclesiam luctuosis, promoti, in Sancta Sanctorum irrupere; quos fermè omnes in Sacra Visitatione imperitos, & ineptos deprehendimus; vidimusque (*c*) ingressos in Sanctuarium Domini, de quibus Dominus ipse præceperat, nè intrarent in Ecclesiam suam; ideòque eosdem ab altaris ministerio suspendere, donec aliquid saltem sui muneris addiscerent, coacti fuimus. Quocircà præsenti Constitutione sancimus, ut nullus deinceps, nisi servatis temporum Interstitiis, ad Sacros Ordines promovendus accedat, quatenùs ter examen subiturus, scientiam suo statui congruam, terque probandam, sibi comparet: timeatque, nè indulgentiam, quam una vice, & in inferiore Ordine forsan reportavit, in altera, & in superiore non obtineat.

(*a*) C. in singulis 2. C. quicumq; 3. d.77.
(*b*) Trid.sess.23. c.3.de reform.
(*c*) Jerem. 1. 10.

2 Examinatores verò noverint, Toletano (*d*) Concilio statutum, quod si ipsi ad sacros Ordines admittant eos, qui nesciunt latinè loqui, ab officio, & beneficio per annum suspensionis incurrendæ periculo sese obiciunt. Quapropter in virtute sanctæ obedientiæ, qua nobis firma sponsione obnoxii sunt, præcipimus, ut quotquot commendatos pro examine Ordinandos habent, Nobis, seu nostro Vicario Generali notos faciant; hujusmodi enim ab examine rejiciendos mandamus, ut omnes deinceps à commendatitiis literis abstineant, & Examinatores in judicio ferendo liberi omninò sint: quod judicium, sivè cujusvis collegarum, *sub pena suspensionis per annum ipso facto incurrendæ, & Nobis reservatæ*, nemini extra examinatorum Congregationem notum faciant.

(*d*) Concil. Tolet.11.c.3.

3 Et ut omnem aditum cuivis fraudi præcludamus, sub eadem *suspensionis pena*, præcipimus, nè Archipresbyteri, & Parochi in requisitis, quæ ad nostram Curiam mittunt, aliquid testentur, quod verum non sit, sive de frequentia scholæ tùm Grammaticæ, tùm Cantus Ecclesiastici (sine cujus peritia nemo deinceps ad examen admittetur, prout in prima nostra Synodo (*e*) sancivimus) sive de servitio Ecclesiæ, & Sacramentorum usu: sive de habitu, & tonsura ad Synodale præscriptum assiduè gestatis: sive de cæteris requisitis; quæ idcircò clausa, & proprio sigillo obsignata, ad præfatam Curiam nostram dari solent, ut veritatis testandæ unicuique libera sit facultas.

(*e*) Cap.6.n.4.

4 Antequam quisque ad Ordines suscipiendos accedat, per aliquot dies animum piis cogitationibus, mentemque sa-

sacris eloquiis exercere debet: cujus rei gratia in nostræ Civitatis Seminarium Presbyteros, quos à Congregatione Missionis appellant, quosque hujusmodi Clericalium exercitiorum idoneos Dominus fecit Ministros, die 5. Maii currentis anni introductos, magno animi nostri solatio fovebamus. Quia verò præfata Civitas terræmotu vastata, donec Deo dante instauretur, tanto munere careat, necesse est: nè sacris Ordinibus initiandi, prædictis spiritualibus exercitiis destituantur, eorumdem *Tabellam* pro iis, qui in suis domibus degunt, aptatam, quamque Præfecti per Nos destinandi servandam curabunt, in Appendice apponemus.

Ex sexta Synodo Cap. 5.

CAPUT VII.

Quid circa Ordinationem ad titulum Ecclesiæ Receptitiæ?

1 Quoniam eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare non decet, in eam curam incumbimus, nè quis Clericus ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, vel patrimonium, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere.

2 Ordinationes verò ad titulum Ecclesiarum Receptitiarum, quarum plurimæ in Diœcesi nostra sunt, sivè communis Massæ, ut vocant; nisi intereà ordinandis assignetur patrimonium sufficiens, donec ad Presbyteratus Ordinem promoti fuerint, omninò improbamus. (*a*) Quinimò nè hanc quidem ad Presbyteratus Ordinem promotionem faciendam mandamus, nisi in illis Ecclesiis, in quibus recipiendorum per nos, inspectis redditibus, (*b*) taxatus est numerus; nam Clericis indiscriminatim, ad titulum hujusmodi Ecclesiarum promotis, tàm ipsos, quàm qui priùs recepti fuerant, pauperes in S. Visitatione deprehendimus, cum quod paucis satis erat, in plures divisum, pro nihilo reputetur.

(*a*) Sac. Cong. Conc. 26. Septemb. 1623. apud Crif. in. tract. de Sacr. Ord. §. 7.

(*b*) C. Quoniam de vit. & hon. c non ampliùs c. auctoritate de institutionibus. c. ex parte de concess. præben. in fin.

Ex XXI. Synodo Tit. II.

CAPUT VIII.

Quid pro Patrimoniorum existentia probanda peragendum?

Non paucos in Ordinandorum Patrimonijs constituendis dolos, fraudesque committi, Diœcesanam agentes visitationem, non nisi molestè audivimus. Quæ enim pro honesto Clericorum victu, & amictu assignantur bona, vel ære gravata alieno, vel in fraudem pluris æstimata comperimus; bonorumque eorundem fictitias, ut plurimum, vel dolosas fuisse donationes. Quocirca pœnas in I. nostra Diœcesana Synodo (*c*), & in Conc. nostro Prouinc. I. (*d*) contra sic ordinatos inflictas, rememorantes, Curię nostræ Archiepiscopalis Cancellario præcipimus, ut consuetis literis publicatorialibus in tit. pro Sacro Subdiaconatus ordine n. 8. hæc in posterum addat, quæ nos Synodali hoc nostro decreto, à quibus hæc ipsa exequenda committentur, sub pœna suspensionis latæ sententiæ, fideliter observanda mandamus.

(*c*) Cap. VI. de Sacram. ord. n. 5.

(*d*) Tit. VI. de ætat., qualitat., & ordine præficiendorum cap. V.

Particula in solitis literis publicatorialibus, ad hunc finem addenda.

Publicentur bona assignata cum suis confinibus, & à quo sibi fuerunt donata, an sint libera, vel alicui hipothecata: an Fratribus, & Sororibus, si qui sunt, virilis por-

portio remaneat; an ære alieno gravata, vel alio aliquo onere, præsertim missarum, livello, fideicommisso purificato, vel purificando; & an reddant annuos duc. triginta, pro qua veritate probanda Parochus ipse super faciem loci personaliter accedat; & cum eo viri duo Periti, ac fide digni, qui, lato in ejus manibus juramento, res æstiment, num tanti valeant, ut summam prædictam verè reddant, & in futurum reddere possint.

TITULUS V.

DE SACRA UNCTIONE.

Ex vigesima Syn. tit. 3.

CAPUT I.

Extremæ unctionis Sacramentum infirmis, periculosè decumbentibus, dum ratione utuntur, administretur. Parochi negligentes, præter culpam gravissimam, quam incurrunt, suspensione ab officio, & beneficio puniantur.

SAluberrimum, a Christo Domino institutum, Extremæ Unctionis Sacramentũ, quo infirmi hominis delicta, si adhuc sunt explanda, expiãtur, & corporis sanitas, ubi saluti Animæ expediverit, impertitur (*a*), illis nemo non scit infirmis esse administrandum, ac proinde divinum pro eisdem exorandum Archietrum, qui tàm periculosè decumbunt, ut medicinam ipsis prodesse dubitetur humanam. Hujusmodi enim Sacramentum non idcirco extrema dicitur unctio, quia in extremis posito tantùm debeat impertiri, cùm dicat Apostolus: *Infirmatur quis in vobis* (*b*)? sed quod, post peccatorum confessionem, & acceptam Eucharistiam novissimum sacramentorum homini Christiano confertur (*c*). Quamobrem meminerint tãdem aliquando nostræ Civitatis, & Archidiœcesis Parochi, quid a primo nostro Provinciali Concilio (*d*) sancitum sit, ac in plerisque S. Visitationis Congregationibus inculcatum: ad hoc, nempè, Sacramentum exhibendum, non eum esse expectandum mortis articulum, quo infirmus sensibus prorsus careat, aut illum, quò omninò sit desperata salus, sed curandum, ut eo detur tempore, cum ratione utitur, & sibi præsens est, meliùsque dispositus ad Sacramentum, & ejus effectus recipiendum, sciantque fatiùs esse tempus salubriter aliquantulùm prævenire, quàm nimium, cum culpabili negligentia, differre. Qui in hoc contumaces esse perseveraverint, præter gravissimam, quam commiserint culpam (*e*) suspensionis pœnam ab officio, & beneficio se, noverint, incursuros.

(*a*) Trid. sess. 14. de Sacr. Extr. unct. cap. 1.

(*b*) Jacob. cap. 5.

(*c*) Baron. an. 63. nu. 15.

(*d*) Hoc tit. cap. 1. & 2.

(*e*) Catechis. Roman. part. 2. de Sacr. extr. unct. cap. 6.

Ex vigesima sexta Syn. tit. 2.

CAPUT II.

Sanctum Oleum cum Sanctissima Eucharistia ad infirmos absque necessitate non deferatur.

AD divinorum spectat Sacramentorum dignitatem, ut illa, quibus decet, reverentia, & cæremoniarum custodia jugiter administrentur. Undè incongruam illorum sedulitatem, qui, ne iterati itineris afficiantur incommodo, semper, ac Sanctissimum Viaticum de-

deferunt ad infirmos, sacrum pariter Extremæ Unctionis oleum afferunt, exprobamus. Quamobrem Parochis districtè præcipimus, ut cubantem Ægrum primò cœlesti pane reficiant, ac inde, si gravitèr infirmatum agnoverint, ad ipsum redeant Sacro Oleo liniendum.

CAPUT III.

Si Sanctissimam Eucharistiam simul, ac S. Oleum deferri necessitas urgeat, quomodo, & a quibus hoc deferendum, ac ministrandum.

INfirmum, si vi morbi correptum, ad vitæ exitum ita propere contingat, ut, sumpto Sanctissimo Viatico, confestim inungi oporteat, tunc, ne periculum sit in mora, ut scilicèt Ægrotus priùs mortem obeat, quàm Parochus ad Extremæ Unctionis Sacramentum eidem ministrandum revert po sit, cum sacra Synaxi sanctum etiam deferatur Oleum. Hoc tamen alius, qui haberi possit, distinctus Sacerdos (a), aut Diaconus post Parochum, sacram afferentem Eucharistiam, occultè deferat, superpelliceo, & Stola violacea (b) indutus; & ministrata communione, ministret inde Parochus unctionem extremam.

(a) Ritual. Rom. in rubr. de Sacr. Extrem. Unct.

(b) Gavant. lib. 2. sect. xiv. cap. 10. n. 11.

TITULUS VI.

DE OFFICIO SACRISTÆ, ET CUSTODIS, ATQUE PUNCTATORUM.

Ex quinta Syn. cap. 6.

CAPUT I.

Sacra Vasa, Sacræque vestes non ab aliis, quam ab Ecclesiasticis tractari debent.

QUanti sit, Sacra vasa, sacrasque vestes non ab aliis, quàm Ecclesiasticis viris tractari Sixtus Papa his verbis admonuit (a) *In Sancta hac Apostolica Sede statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quàm a sacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus; indignum enim valdè est, ut sacra Domini vasa, quæcumque sint, ab aliis, quàm a omino famulantibus, eique dicatis tractentur viris: ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagas imponat Populo suo; & hi etiam, qui non peccaverint, mala patiantur, aut pereant; quia perit justus sæpissimè pro impio*: & de sacris vestimentis Stephanus Pont. Max. inquit: (b) *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacra debent esse, & honesta: quæ nec ab aliis debent contingi, nisi a sacris hominibus.*

(a) c. in Sancta.

(b) c. Vestimenta de consecr. dist. 1.

CAPUT II.

Ab Archipresbyteris itaque, & Parochis in Ecclesiæ Sacristia serventur Calices, Cruces, Thuribula, Planetæ, & hujusmodi a laicis Confratribus, licet prò suis Cappellis, confecta, & malè custodita; aliàs ab Altari sint ipso jure suspensa.

QUæ cum ità sint, animadversione vacare non debet, quod Laici Confratres Calices, Cruces, Thuribula, Planetas, Dalmaticas, Pluvialia, & alia sacra vestimenta pro suis Cappellis confecta, tractant, & in armariis sub clave custodiunt, quæ in

S.Vi-

S. Visitatione confusim habita, fracta, & rusticano modo plicata deprehendimus: quapropter præsenti constitutione sancimus, ut amodò id genus, vasa, & vestimenta in Ecclesiæ Sacristia ab Archipresbyteris, & Parochis asserventur, aliàs a Divino Altari hoc ipso jure suspensa, arceantur.

Ex nona Synodo tit. 2.

CAPUT III.

Ecclesiarum nitori consulitur. Negligentibus Sacristis pœna duorum ducatorum, nec non privationis officii, si incuria creverit, infligitur. Eadem pena pecuniaria multentur Parochi, qui Sacristas in hoc ministerio non continebunt.

PAupertatem sine sordibus, sordidis divitiis potiorem ducentes, mandamus, ut ad Ecclesiarum, præsertim pauperum, munditiem, quæ maxima in omnibus esse debet, libelli, qui Rector Ecclesiasticus inscribitur, duo postremi tituli, qui XXVII. & XXVIII. adnumerâtur, adamussim observentur. Si Sacristæ negligentes fuerint, duorum ducatorum pœnas dabunt; crescente verò incuria, officio etiam privabuntur. Parochi, qui Sacristas in hoc obsequio non continebunt, duorum quoque ducatorum rei efficientur.

CAPUT IV.

Laicorum arma, & suppellectilia in Ecclesiis nè custodiantur.

CUstodis officium est Ecclesiæ utensilia custodire: videant igitur, quam præposterè agunt, qui in Ecclesia Laicorum arma, & suppellectilia, ne Laico Judici inquirenti occurrant, non raro custodiunt, ut in S. Visitatione deprehendimus. Id igitur de cætero faciendum omnimodis inhibemus.

CAPUT V.

Punctatores infirmitatis excusationes nè admittant, nisi à Chori Præfecto, & a Canonico Deputato probatas, jurato Medici testimonio.

APostoli decretum est: (a). *Si quis non vult operari, nec manducet.* Cum itaque nonnulli Canonici, tum nostri Capituli Metropolitani, tum Collegiatarum, sivè Urbicarum, sivè Diœcesanarum, aliique Chori servitio adscripti, sub ægrę valetudinis prætextu, suis negotiis operam navent; etiam extra Civitatem, & loca se conferentes, & non raró cum infirmi crederentur, à Collegis invisendi, non domi, sed in viarum anfractibus inventi sint; ad hujusmodi diverticula removenda, sub pœnis gravibus, nostro arbitrio reservatis, præcipimus, ne Punctatores excusationem ullam infirmitatis admittant, nisi priusà Præfecto Chori, & à Canonico, per nos deputando, probatam; quæ tamen non probabitur, nisi Medicus scripto, jurejurando vallato, fidem faciat, aliquem hujusmodi, vel in lecto febribus teneri, vel alia verè affici ægritudine.

(a) Thess. 3. 10.

CAPUT VI.

Quæ frivolæ excusationes: à Chori Præfecto convalescentiæ tempus petendum: pœnæ in contrarium facientes, statuuntur.

FRivolas pariter ducimus excusationes, quibus capite, aut stomacho se laborantes inducunt, & multo magis cum pro servanda valetudine annua medicina corpus purgare contendunt: tunc enim ad id obtinendum potest Canonicus cauti vacatione, cujus eidem Sacrum

(a) Seff. 24. de Ref. cap. 12.

Tridentinum Concilium (*a*) potestatem facit: prætextu etenim non veræ infirmitatis Canonicorũ Chorum verè infirmari, ac omninò destitui deprehendimus. In casu verò probatæ infirmitatis, præcipimus, ut Canonicus, qui ęgrotavit, cum primum domo exierit, rectà ad Ecclesiam pergat, & se Chori Præfecto exhibeat, postulans, si opus fuerit, tempus, vulgò dictum, convalescentiæ: si secus fecerit, pro toto infirmitatis tempore punctorũ Reus constituatur, ut hactenùs in nostro Metropolitano Capitulo fieri consuevit.

CAPUT VII.

Distributiones Choro non interessentibus nè condonentur, sub pœna dupli in condonantes, & restitutionis in percipientes.

AD hoc autem, ut qui Chorum reddunt infrequentem, punctorum, ut par est, sentiant punctionem: præcipimus, ut non interessentium distributiones, ulla cujusvis generis causa, causæque specie, aut prætextu non interessentibus ipsis dari, remitti, donari, condonari, transigi, aut quavis collusione concedi nequeant: aliàs qui dederint, remiserint, donaverint, condonaverint, transegerint, aut concesserint dupli subibunt pœnam, Sacristiæ usui, absque remissionis spe conferendam. Qui denique perceperit, retinueritue suas non faciat, sed restituere cogatur.

CAPUT VIII.

Licitè a Coro absentes, distributiones aliorum absentium cum interessentibus, participare non debent, sub pœna dupli.

QUamvis Canonici, Mansionarii, aliive Chori servitio addicti, licitæ vacationis tempore absentiæ punctis affici nequeant: illicitum tamen est, aliorum absentium distributiones, cum interessentibus participare; cum illæ verè interessentibus accrescant, non autem absentibus ex indulto quamvis legitimo. Quo circa hujusmodi abusum eliminandum præcipimus, pœna dupli contravenientibus districtè proposita.

Ex XVI. Synodo Tit. II.

CAPUT IX.

Capitulares pro Sacro faciendo à quo, quando, & quomodo è Choro vocandi.

MAjoris Sacristæ munus, quo in Ecclesia nostra Metropolitana unus ex Canonicis, quem a Chori servitio eximimus, fungitur, ea, qua is tenetur solicitudine, animadversione, & assistentia exequatur. Missarum celebrationes, inchoata divini officij recitatione in Choro, juxta Concilii nostri Provincialis primi decretum Tit. XXI. de Præb., & Dignit Cap. VIII. nonnisi Canonicis Horis, & Missa Conventuali expletis, Capitularibus permittat; quod si Populi concursus id postulet, tunc unum dumtaxat post alium, majorem nempè pro prima vice minori, minorem verò pro secunda majori præferens, e Choro vocabit, quod, & in reliquis nostræ Civitatis, ac Diœcesis Ecclesiis Collegiatis, ac Receptitiis ab eis, quorum interest, quocumque nomine nuncupentur, observari jubemus.

CAPUT X.

Pœna contra decreti prædicti transgressores statuitur.

QUi contra verò dispositionem hujusmodi prædicto tempore celebrare præsumpserit, illius diei fructuum amissioni subjaceat

ceat

ceat ; Punctatorum conscientiam super hoc onerando : & Sacrista, si id sciens permiserit, pœnam, arbitrio nostro benè visam irremissibiliter subibit.

CAPUT XI.

Hostiarum, ac vini qualitati pro Missæ Sacrificio consulitur : ampullarum mundities demandatur.

DOlentes in aliquibus nostræ Civitatis, ac Diœcesis Ecclesiis panem, & vinum pro Divino Sacrificio peragendo nimis inconsideratè præparari non semel accepimus. Quocirca Sacristis, qui Secretario præsunt, districtè præcipimus, ne hostias post dies octo confectas, vinumque, quod è communi in tabernis emi solet, ac plerunque deterius est, in Missarum celebratione adhiberi faciant. Ampullas verò, quas immundissimas, unà cum pelviculis in Visitationibus sæpè comperimus, pro vino, & aqua asservandis, singulis quibusque diebus mundari curent, sub pœna suspensionis ab officio, nobis reservatæ.

Ex XXXIII. Synodo tit. II.

CAPUT XII.

Metropolitanæ Ecclesiæ Thesaurarii onera commemorantur. Pro Clerico, qui in Thesauraria diu, noctuque deservat, ducati quingenti ab Archiepiscopo donantur.

QUod ad nostræ spectat Ecclesiæ Thesaurarium, ut sacra scilicet vasa, vestes, & Altarium ornamenta custodiat, eorumque munditiæ, nitorique incumbat, & Præbendæ redditibus sarta, tecta conservet, pro sui ille muneris exequatur officio : Primi Nos idcircò Concilij Provincialis Sabellii (a), nostrique etiam primi, hoc titulo, cōstitutiones, (b) quæque à Nobis insuper in ejusdem Ecclesiæ Capitularibus (c) statuta fuere, innovamus. Id autem solicitudine quatenus impleat promptiori, Clerico illum indigere novimus coadjutore, assiduè, qui pro custodia in Gazophylacio ipso, suo jā cubiculo in remotiori latere instructo, diu, noctuque permaneat ; & tum Archiepiscopo, semper, ac opus fuerit, tum Ecclesiæ, necessaria præbeat, ac restituta suo inde loco componat. Præbendæ igitur, ac pro tempore existenti Thesaurario, opportunè super hoc nos providere cupientes, quingentorum ipsis ducatorum capitale donavimus : quorum fructus Coadjutori prædicto addiximus, conditionibus in Instrumento expressis, quod sequens exhibebit Appendix.

(a) Sess. 5. Tit III cap. 5.

(b) Tit IX cap. 4.

(c) Cap. 8 de officio Thesaur. n. 3. & 4.

TIT. VII.

TITULUS VII.

DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Ex prima Synodo cap. 9. n. 5. & quarta cap. 10. num. 10.

CAPUT I.

Sacra suppellectilia ab Archiepiscopo tantum benedicenda.

NOverint Parochi nihil sacris usibus adhibendum, quod vel peculiari, vel generali benedictione ad hoc non fuerit destinatum: quæ benedictio tantùm ad Archiepiscopum spectat. Et licet Abbates, & alii Superiores Regularium hac facultate fruantur, non possunt tamen, nisi in suis, & pro suis Ecclesiis, ea uti (a). Si quis autem ex nostris subditis aliquid ab hujusmodi Abbatibus benedictum voluerit, sciat ipso facto rem sic benedictam à Sacris Ministeriis esse suspensam.

(a) Congr. Rituum 24. Augusti 609. 30 Sept 1625 & 8 Aug 1626. quamlibet contrariam consuetudinem abrogat.

CAPUT II.

Quæ extra Diœcesim, vel in ipsa ab aliis, quam ab Archiepiscopo benedicta fuerint, eo ipso sint suspensa: Rectores quoque, qui id vel curaverint, vel permiserint, ipso facto sint suspensi, absolutione Archiepiscopo reservata.

SUppellectilia divinis cultibus, & sacris mysteriis apta non sunt, nisi à proprio Pontifice santificata, benedicta, & consecrata. Et licet hæc facultas Abbatibus quoque, &

Ex nova Synodo. Tit. III. cap. un.

Regularium Superioribus indulta sit, non possunt tamen, nisi in suis, & pro suis Ecclesiis ea uti, qualibet contraria consuetudine non obstante, ut quàm plurimis Sacræ Rituum Congregationis decretis est sancitum. Et licet nos in prima, & quarta Synodis nostris eadē suppellectilia extrà Diœcesim nostram, vel in ipsa Diœcesi ab aliis, quàm à Nobis benedicta, à Sacris Ministeriis suspensa declaraverimus; His non obstantibus, ne coram Nobis ea proferrent, quæ fortè non ad normam in S. Visitatione traditam, elaborata erant, repetito decreto non parvere: idcirco præsenti Constitutione tùm latam suspensionem, eo ipso, pro suppellectilibus confirmamus, tùm Ecclesiarum Rectores, qui præfata suppellectilia, vel extrà Diœcesim, vel ab aliis, quàm à nobis benedicenda sivè curant, sivè permittunt, suspensione à Divinis ipso facto, Nobis reservata, volumus irretitos.

TITULUS VIII.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

Ex XVI. Synodo tit. 3.

CAPUT I.

Curforum, aliorumvè Tribunali Archiepifcopali fervientium extorfionibus providetur.

CUm non fine gravi fori noftri Archiepifcopalis nota, dum citationes, aliæque executiones, partium, vel Fifci nomine, Curforibus five aliis eidem Tribunali fervientibus in noftra Diœcefi committuntur, extorfiones per ipfos fieri audiverimus, cum fcilicet ab Iis, contra quos expediuntur, fivè à Parochis, & Vicariis Foraneis, ultrà id à taxa Metropolitana præfcriptum etiam cibaria temeritèr, & arroganter expofcant; Vicario noftro Generali mandamus, ut, fi quos iniquum tale facinus commififfe probaverit, eos formali carcere, ac officii privatione punire non omittat, ftrictiffimam fuper his nobis rationem redditurus.

CAPUT II.

Ne quid eis etiam fpontè detur, præcipitur.

UT omnis autem querelarum via intercludatur, & Juftitia fuo curfu, abfque fufpicione undequaque percurrat, volumus, ne quid ipfi citati, feù Parochi, aut Vicarii noftri Foranei Curforibus, vel aliis prædictis, fivè in actu exequutionis officii, fivè aliàs, cum per eorum oppida tranfeunt, etiam fpontè fubminiftrent: fed id tantùm exolvant, quod noftræ Curiæ Cancellarius pro eorum mercede juxtà taxam prædictam folvendum effe fcripto judicaverit, fub pœna arbitrio noftro refervata.

TITULUS IX,

DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA.

Ex prima Synodo cap. 13. nu. 5.

CAPUT I.

Sacerdotes, & Diaconi ante Dominos temporales aperto capite nè ftent, fub pœna fufpenfionis à Divinis ipfo facto.

ILlud cum primis damnamus, quod temporalium Dominorum faftus eò devenit, ut qui in fortem Domini afciti funt, quafque Deos, Excelfique filios omnes Deus ipfe vocavit, ante fe aperto capite ftantes velint, quando Epifcopis ipfis Canon (*a*) præcipit, *Epifcopus in quolibet loco fedens ftare Presbyterum non patiatur*. Si verò Epifcopi tanta dignitas eft, ut ex Ambrofii (*b*) fententia, *fi Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferiùs, quam fi plumbi metallum ad auri fulgorem compares*; non eft cur temporales Domini eofdem, & fedentes, & aperto capite excipiant. Quamobrem Sacerdotes omnes, & Diaconi dignitatem fuam agnofcentes caveant, nè

(*a*) cap. Epifcopus in quolib. diftin. 95.

(*b*) lib. 2. de dign. Sacerd. c. 2. relata in c. 10. diftin. 96.

ne deinceps ante hujusmodi Dominos aperto capite stent; quod si fecerint, pœnam suspensionis à divinis ipso facto se noverint incursuros.

Ex tertia Synodo cap. 8.

CAPUT II.

Controversias omnes de præcedentia in processionibus præsertim ad Episcopum spectat componere, omni appellatione remota.

CUm Christi Ecclesia sit, ut castrorum acies ordinata, cujus ordinis gratia terribilis ejus hostibus semper visa est: & consequenter Ecclesiastici tùm maximè pugnant, cũ stellæ (a) sunt manentes in ordine suo, ne pulcherrimus hujusmodi ordo turbetur, Sac. Trid. Synodus (b), Episcopo tanquam Duci commisit, *ut controversias omnes de præcedentia, quæ persæpè maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tàm Seculares, quàm Regulares, cum in processionibus publicis, tùm in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus &c. amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque componat.* Ad controversias igitur, quas in nostra Ecclesia exortas deprehendimus perpetuò sedandas, decernimus, quæ sequuntur.

(a) Jud. 5. 20.

(b) Trid. sess. 25. c. 13. de refor.

CAPUT III.

Protonotarii honorarii rocchetto, & mantelletto induti locum in Presbyterio habent, & in processionibus post celebrantem incedunt.

PRotonotarii de non participantibus, Rocchettum cum mantelletto deferentes, cum ex decreto Sacr. Rituum Cong. in Ecclesiis, & Ecclesiasticis functionibus (c) prohiberi non possit; dictis functionibus intervenientes locum habeant in Presbyterio, & in processionibus post celebrantem incedunt juxta ejusdem Sagr. Cong. decretum (d)

(c) 28 Sept. 1630. & 5 Julii 611. apud Gavât. in Manuali verbo Protonotarii in addit. nu. 2.

(d) Die 1. Julii 1618. apud eundem verb. Præcedentia n. 33. vide cæterem lib. 1. c. 13.

CAPUT IV.

Collegiis Sancti Bartholomæi, & S. Spiritus in publicis functionibus unum quasi corpus efficientibus, Abbas Sancti Spiritus cæteris utriusque Collegii Dignitatibus præcedit; Ipsæ verò Dignitates inter se pro majoritate præferuntur.

SImiliter, quod ad controversias tollendas super præcedentiis Urbanorum Collegiorum nostrorum in Sancta Visitatione à Nobis habita die tertia Aprilis decurrentis anni decrevimus, idipsum præsenti constitutione firmamus: nempè, quia utrũque Collegium S. Bartholomæi, & S. Spiritus in publicis functionibus unum quasi corpus efficiunt, Abbas S. Spiritus, qui antiquiore, & majore dignitate pollet (cum post Pontificalem nulla major Abbate Clericorum in Sacris Canonibus habeatur) in omnibus præfatis functionibus præcedat cæteris utriusque Collegii dignitatibus; ita pariter quoties utrumque Collegium convenit, major semper alterutrius dignitas præcedat, nempè Prior S. Bartholomæi Præposito S. Spiritus; & sic de cæteris. Quod verò ad dexteram Canonicorum nostri Collegii Sancti Bartholomæi, & sinistram Canonicorum nostri Collegii Sancti Spiritus attinet, utrosque in suo statu, & in suo jure nihil innovando relinquimus.

CA-

CAPUT V.

Canonici per Civitatem incedentes Laicos quoscumq; ad suam dexteram non admittant, sub pœna suspensionis à Divinis ipso facto incurrenda.

QUod denique magnoperè admirati sumus, id est, Clericos pro inter se præcedentia usque ad scandalum excandescere; deindè Laicos, etiam infimæ notæ homines, ad Clericorum, etiam Canonicorum, dexteram incedentes a nullo, ut accepimus, prohiberi. Clerici igitur cotta exuti, omnem Ecclesiastici gradus decorem exuunt, & non sicut populus, sic, & Sacerdos, ut Propheta lugebat, (*a*) sed Sacerdos populo minor per vicos, & plateas incedit? Ad quid ergo sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda, (*b*) in prima nostra Synodo, nè Sacerdotes, & Diaconi ante Dominos temporales aperto capite stent, præcipimus, si tantum deijciuntur, ut etiam ignobilis notæ Laicos ad suam dexteram in incessu admittant? Eandem igitur suspensionis pœnam se noverint incurrisse Canonici nostræ Civitatis, si per eandem deinceps tantæ vilitatis notam suo gradui intulerint; Clericos enim humilitate demissos, non vilitate dejectos par est.

(*a*) Isai. 24. 2.

(*b*) Cap. XIII. num. 5.

Ex quarta Synodo. cap. X.

CAPUT VI.

Duodecim Diœcesani Abbates insigniores referuntur.

Inter cætera S. Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ decora, conspicui semper fuere ex Diœcesanis Abbatibus Insignioribus duodecim præcipui, quorum tituli sunt sequentes.

I. Abbas S. Mariæ de Strata.
II. Abbas S. Mariæ de Faifolis.
III. Abbas S. Mariæ de Heremitorio.
IV. Abbas S. Petri de Planisio.
V. Abbas S. Laurentii de Apicio.
VI. Abbas S. Mariæ de Guilleto.
VII. Abbas S. Mariæ de Rocca prope Montem Rotanum.
VIII. Abbas S. Mariæ de Decorata.
IX. Abbas S. Mariæ de Campobasso.
X. Abbas S. Mariæ de Ferrara propè Oppidum Sabinianum.
XI. Abbas S. Mariæ de Venticano.
XII. Abbas S. Sylvestri in Oppido S. Angeli ad Scalam.

CAPUT VII.

Usum mitræ, & Crosiæ habent in suis Ecclesiis, licet in Diœcesana Synodo Mitra tantum utantur.

ET quia hi omnes Diœcesanę Synodo singulis annis die 24. Augusti interesse tenentur, in ea tantùm *Mitræ* usum ob Archiepiscopi reverentiam habent. Cæterum in suis Ecclesiis usu *Mitræ*, & Crossiæ fruuntur, ut ex Provinciali Synodo, fel. recor. Prædecessoris nostri Hugonis Guidardi anno 1374. indict. XII. sub Pontif. Max. Gregorio XI. celebrata, in cap. de Sacramen. ordin. liquidò constat, in quo illie: *Habet etiam (nemo è Archiepiscopus) Abbates infrà Diœcesim omnes habentes Mitras, & Crossias ad suam dispositionem spectantes, & provisionem.* Nonnulli ex eisdem modernis Abbatibus Nobis humiliter supplicarunt, ut quid *Crosiæ* nomine intelligi debeat, declaremus: cum fuerint, qui Crossiam, eandem, ac Croceam esse, ipsis insinuarunt.

CAPUT VIII.

Crosia non eadem est, ac Crocea; ideoque hæc describitur.

HOc autem à vera vocis significatione multū distat. Crocea enim vestis est (qua nos S.R.E. Cardinales in Conclavi utimur) circa collum crispata, longa usque ad terram, & ex parte anteriori aperta: nomen, quod a Gallico vocabulo *cloche*, idest campana, descendit; similitudinem namque campani ęris in summo angusti, in imo amplioris præfefert. (*a*)

(*a*) De Crocea meminere Ord. Rom. lib 1. cap 4. Cōment. Iacobi Card. Papien lib. 2. ubi de Conclavi, in quo creatus est Pont. Maxim Paulus II Radcvic. Frisigen. in vita Feder. Ænobarb. libr. 2. cap. 67.

CAPUT IX.

Crosia, baculus Pastoralis à Pontificali diversus, designatur.

CRossia verò, vulgo Crozzia, baculus propriè est subalaris, italicè *Stampella* appellatus, cui similis est baculus pastoralis, quo hodiè Græci Abbates utuntur, quique depingi solet pro S. Antonii Abbatis insigni, forma T. majusculi in summitate exornatus. (*b*) Crossia itaque baculus est Pastoralis, a Pontificali diversus, Abbatibus nostræ Diœcesis, & cum Græcanico ritu uterentur, & modò etiam communis, ut clarissimè omnium præcl. mem. Prędecessor noster Cardinalis Archiepiscopus Sabellius in Synodo Provinciali de anno 1567. (*c*) ostendit, Inquiens: Multi præterea Abbates, usum Mitræ, & Baculi habentes in ipsa Beneventana Diœcesi existunt: duodecimque in ea inter cæteras extant Abbatiæ, quę à Beneventano Archiepiscopo conferuntur.

(*b*) De Crossia Bulla Martini V ad favorem Ecclesiæ Maceratensis. Cassiod. lib. 1. de Instit. cap 9. Isid. Pelusiota ep. 92. lib. 5. Iord de Saxon. lib. 2.

(*c*) Edit. Romæ apud hæredes Antonii Bladii Impressores Camerales.

CAPUT X.

Declaratur, usum Mitræ, & Baculi prædicti eisdem duodecim Diœcesanis Abbatibus competere.

QUapropter, ut æquivoca in posterū amputentur, & debitus cuique honor tribuatur, præsenti constitutione declaramus, præfatis duodecim nostræ Diœcesis Abbatibus usum Mitræ, & baculi, licet à Pontificali diversi, in suis Ecclesiis juxtà vetustissimum morem competere.

Ex

Ex eadem quarta Synod. cap. 11.

CAPUT XI.

Parochus non Canonicus cum Canonicis Collegiatarum in defunctorum exequiis procedens, licèt Parochus sit defuncti, cum novissimo Canonico propè Collegii Crucem incedet; idque multò magis cum Capitulo Metropolitano servabit.

AD dirimendas inter Collegiatarum nostrarum Canonicos & Parochos dissensiones, in defunctorum exequiis ortas, prætendente Parocho defuncti antè feretrum procedere, & ità Canonicis præcedere: Canonicis è contra, Parochum ante ipsos, cum novissimo Canonico propè Collegii Crucem incedere, & sic Parocho præcedere contendentibus: Nos Ritualis Romani Rubricam, quæ ait: *Parochus procedit antè feretrum*: explicamus (*a*) declarantes, quod ibi loquatur de Parochis inter Presbyteros ejusdem ordinis, & aliam prærogativam non habentibus, non autem inter Canonicos Collegiatarum, qui ejusmodi non sunt. Ideoque Parochus defuncti cum novissimo Canonico propè Collegii Crucem incedet, & multò magis, quando cum nostro Capitulo Metropolitano procedit, ut hactenus servatum est.

(a) Barbosa tractat. de Can. & dign. cap. 18. nu. 68.

Ex eadem quarta Synodo. cap. 18.

CAPUT XII.

Canon Concilii Matisconensis, de consensu Regis editus, circa honorem honoratis Clericis debitum, transcribitur.

CUm multæ summorum Pontificum Epistolæ, & Canones demonstrant honorem, qui honoratis Clericis (quos Sacerdotes, & Diaconos Sanctus Carolus (*b*) intelligi definit) tribui debet: tùm verò lectione dignus est Canon à Sanctissimis Concilii (*c*) Matisconensis Patribus, de consensu Regis (*d*) conscriptus in hæc verba: *Statuimus, ut si quis quempiam Clericorum honoratorum in itinere obviam habuerit, usque ad inferiorem gradum honoris veneranter, sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per cujus officia & obsequia fidelissima Christianitatis jura promeruit. Et siquidem ille secularis equo vehitur, Clericusque similitèr, Secularis galerum de capite auferat, & Clerico sinceræ salutationis munus adhibeat: si verò Clericus pedes graditur, & Secularis vehitur equo, illicò ad terram defluat, & debitum honorem prædicto Clerico sinceræ charitatis exhibeat; ut Deus, qui vera charitas est, in utrisque lætetur, & dilectione sua utrumque adsciscat. Qui verò hæc, quæ Spiritu Sancto dictante, sancita sunt, trãsgredi voluerit, ab Ecclesia, quam in suis Ministris dehonorat, quamdiu Episcopus illius Ecclesiæ voluerit, suspendatur.*

(b) Act. Eccl. Mediol. p. iv. Instruct. de Sacr. ord. fol. 548.

(c) Concil. Matisc. ii. can. 15. anno Domini 585 sub Pelagio II. actum generale. Interfuere Episcopi LXII.

(d) Apud Baron. eodem anno.

CAPUT XIII.

Imperatores, & Reges Sacerdotibus reverentiam debent exhibere.

ET rectè quidem sapientissimi illi Patres, ità senserunt, nam non aliter nec Gregorius ad Hermannum Metensem Episcopum scribens sentire visus est, ubi ait: (*e*) *Quis dubitet, Sacerdotes Christi Regum, Principum, omniumque fidelium Patres, & Magistros censeri: Nonnè miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse, & solvi?* Nec Joannes Papa alitèr sensit, dum de Imperatore in hanc sententiam

(e) C. quis dubitet d. 96.

(a) C. si Imperator d. cadē. loquitur (*a*) *Si Imperator Catholicus est, [quod salva pace ipsius dicimus] filius est, non Præsul Ecclesiæ. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates, quas (si fideles sunt) Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas.* Quibus verbis vel hæresis, vel infidelitatis argui videntur, qui Sacerdotes contemnunt. Gregorius item Mauritio Imperatori sic scribit: (*b*) *In divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur. Quid igitur mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus?*

(b) C. Sacerdotibus. xi q. 1.

CAPUT XIV.

Pœna suspensionis Sacerdotibus, & Diaconis ante Dominos temporales aperto capite stantibus, ut in superiori primo cap. hujus tituli imposita, & ob non reservationem neglecta, reservatur. Edictum XIV. hac super re editū evulgatur, ter in anno statutis diebus promulgandum. Qualibet publicationis omissio unius aurei pœna plectenda.

SI tantam Imperatores, & Reges Sacerdotibus reverentiam exhibere tenentur, quanta eosdem feudatarii Principes dignari debebunt? At frigescente charitate necesse est Dominos temporales, & Barones, non ut Sacerdotibus, & Diaconis colla submittant, sed nè sinant ad ipsis stantibus, & aperto capite adiri (ut cum cæteris de plebe consueverūt) iteratis legibus contestari. Quamobrem in prima nostra Synodo (*c*) ipsismet Presbyteris, & Diaconibus suam Hierarchicā dignitatem objecimus, nè minus quam par est, ad Dominos temporales accederent, addita suspensionis à Divinis ipso facto incurrendæ pœna, si aperto capite antè illos stetissent. Sed censuræ, quia Nobis non reservatæ, prorsùs obliti, in veterem vilitatem degeneri cōversatione rediere. Idcircò cum nostrum sit Sacerdotalem dignitatem tueri, suspensionē prædictam Nobis privativè reservamus, prout in Edicto hujus Synodi Appendici inserendo latiùs continetur, quod præsenti constitutione firmamus, tertiis Dominicis Quadragesimæ, post Pascha, & Pentecosten à Parochis sub pœna unius aurei pro qualibet omissione publicandum; & perpetuò servandum mandamus.

(c) cap. 5. nu. 13.

Ex quinta Synodo cap. 9.

CAPUT XV.

Usu Baldacchini temporalibus Dominis interdicto, reliquus eorum fastus in Ecclesiasticos damnatur.

QUem fastum Domini temporales, se nimium supra se erigentes novissimo Sacræ Rituum Cōgregationis decreto (quod in hujus Synodi calce apponemus, & ab omnibus servari mandamus) in Ecclesia omninò sibi vetitum cernunt, adhuc, vesania minimè ferenda, cum Ecclesiasticis exercere contendunt, eos vel ad pedes, vel ad genua ad summum inclinatos admittere non verentes; superbum Satanam imitati, qui Sacerdotem in æternum ad suos pedes cadentem, & adorantem (*d*) habere nitebatur cum hoc discrimine, quod hic omnia regna mundi ei dare spondebat, illi nec unum jota, nec hilum quidem. (d) Matth. c. 4. v. 9.

CA-

CAPUT XVI.

In sacris constituti inclinationes ad dominorũ temporalium genua nè exhibeant, sub pœna suspensionis ipso facto Presbyteris; Clericis verò excommunicationis latæ sententiæ, utraque Archiepiscopo reservata.

TAntum scandalum nullibi terrarum sinè horrore audiendum detestantes, præcipimus, ut in sacris constituti nè hujusmodi inclinationes ad Dominorum temporalium genua, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, & Nobis reservata; nève Clerici ad eorum pedes sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Nobis pariter reservatæ deinceps exhibeat; & decimum quartum Edictum nostrum in quartæ Synodi Appendice appositum, relegant: quatenus suæ dignitatis memores, in veterem vilitatem degeneri conversatione non redeant.

Ex nona Synodo. Tit. IV.

CAPUT XVII.

Laicis potestatibus in Ecclesiæ, vel Oratorii ingressu aspersorium ne porrigatur, sub pœna suspensionis ipso facto Archiepiscopo reservata.

CUm sinè contradictione, quod minus est, a meliore benedicatur (a) & procul dubio Sacerdotium sit ipso majus imperio: perperàm omninò agunt Presbyteri illi, qui superpelliceo, & stola induti, vel eisdẽ exuti, temporalibus Dominis in Ecclesiæ, vel privati Oratorii ingressu, quemadmodum Pontificibus solet, aspersorium porrigunt, ut ipsi se Laici, quicumque sint, dispergant potiùs, quam aspergant

(a) Hebr. 7. 7.

Quicumque ergo Presbyterorum id deinceps attentarit, suspensione à divinis, nobis privativè reservata, ipso facto innodetur.

Ex decima Synodo tit. 3.

CAPUT XVIII.

Perturbatus titulorum Ecclesiasticorum ordo componitur. Edictum, XXIII. pro hac re evulgatur.

SIcuti varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat: ita varietas personarum in diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem, & venustatem Sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Cum itaque diversis officiorum gradibus diversi debeant tituli respondere, ad tollendam super hoc ortam in nostra Civitate, & Diœcesi confusionem, Edictum in Appendice exhibendum omninò servari mandamus.

CAPUT XIX.

Campanæ in Laicorum Officialium electione non pulsandæ.

UT sacrarum campanarum sonitus, sacris tantùm ministeriis destinatus, in usum non convertatur profanum, districtè præcipimus, ne quis Archipresbyter, sivè quicumque Ecclesiæ Rector pro Syndici, sivè cujuslibet Laici Officialis electione eas pulsari patiatur.

CA-

TITULUS X.

DE FERIIS, ET FESTORUM DIERUM OBSERVANTIA.

Ex prima Synodo capit. 8.

CAPUT I.

Festorum dierum observantia inculcatur.

SI impensi totius vitæ nostræ temporis Deo exactissima reddenda est ratio, multò major exigenda erit ejus temporis, quod sibi Deus reservavit, nempe Dominicorum, Festorumque dierum; in quibus præcipit, ut à servilibus, & secularibus curis vacantes soli Deo inserviamus, Missæ, ac divinis instantes officiis, & verbum Dei attentis auribus haurientes, Regi seculorum sacrum illud tempus, quinimò animæ nostræ saluti, dedicantes.

CAPUT II.

Evulgatur Edictum III. super eadem Festorum observantia.

QUia verò circa hoc præceptum gravissimas invenimus transgressiones, Edictum huic Synodo addendum præsenti constitutione publicamus, quod vulgari sermone typis dandum jussimus, ut unusquisque quid servare debeat, percipere facillimè possit.

CAPUT III.

Parochis pœna ducatorum quinque, si pro festorum observantia non evigilarint, imponitur.

PArochi verò confirmatæ Synodi de anno 1646. pœnas dabunt, ducatorum quinque, & alias arbitrio nostro, si hujusmodi nostro Edicto observando omnimodam diligentiam non adhibuerint.

Ex quarta Synodo cap. 7.

CAPUT IV.

Festis Diebus altum silentium Curiæ indicitur.

FEstorum dierum observantiam, in quam abolendam antiquus hostis toto conatu nititur, sartam tectam à nostris subditis ad Dei gloriam exigere volentes, operæ pretium ducimus, ut Tribunal nostrum Archiepiscopale, rejecta litigantium importunitate, exemplo præeat, alto in eo silentio festis diebus indicto. Cumq; præterea omnes Curiæ nostræ Ministri Ecclesiastici sint, iis diebus sacris operaturi, a fori negotiis absolvantur, oportet.

CAPUT V.

Publicatur Edictum XIII. pro Feriarum observantia, in Cancellariæ Archiepiscopalis valvis fixum continuò habendum.

EDictum igitur, quod pro nostro Tribunali edimus, & huius Synodi Appendici adnectimus, omninò servandum, & in Cancellariæ nostræ valuis continuò affixum habendum districtè mandamus.

Ex quinta Syn. cap. 4.

CAPUT VI.

Alexander PP. VII. concessit festum S. Januarii Pontificis, & Martyris, necnon S. Dominici Confessoris Regni Patronorum, in eodem Regno de præcepto, & officium cum octava. Dubitant Beneventani, qui cum Regnicolis non computantur, an eis quoque concessio suffragetur.

CUm sanctæ memoriæ Alexander PP. VII. suo Brevi sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 28. Junii 1664. concesserit, festum S. Dominici, æquè àc S. Januarii, Regni Neapolitani Patronorum in eodem Regno de præcepto, & officium cum octava servari, & celebrari debere: quemadmodũ in universa nostra Archidiœcesi ab illo die servatum, & celebratum est: in nostra verò Civitate, quæ cum aliis Regni non computatur, Cives ancipites fuere, an id eisdem competeret.

CAPUT VII.

Decernitur suffragari, cum Civitas Caput sit Diœcesis, quæ tota ferè in Regno consistit, nè membra a capite dissideant.

(a) c. non decet, c. Placuit. c. de jis, qui. d. 12. c. Institut. de consec. dist. 2.

UT autem juxtà Sacros Canones (*a*) à capite membra discedere non decet, ita nec à membris caput convenit dissentire: & aliud fanè quod temporale est, aliud omninò quod spirituale. Idcircò mandamus, ut tàm S. Januarii Pontificis, & Mart. cujus locum, licet indigni, tenemus, quam S. Patris nostri Dominici, in Civitate nostra (quæ jamdiù eosdem speciali titulo Patronos veneratur) veluti, & in tota Archidiœcesi, & festa serventur, & eorum officia cum octava celebrentur. Quod præsenti constitutione perpetuò valitura sancimus.

Ex nona Synodo, tit. 5.

CAPUT VIII.

Terræmotus de anno 1688. anniversaria recurrente memoria, supplicatio in Urbe habenda decernitur.

(b) Cassiodorus in psal.

JUgitèr sibi subvenire facit, cui collatum beneficium antè oculos semper assistit. [*b*] Maximum sanè beneficium à Patre misericordiarum, Beata semper Virgine Dei Genitrice Maria interveniente, suscepimus, cum Sabbato, quod SS. Pentecosten præcessit anno 1688. ingens terræmotus nec Civitatem hanc funditus, ut nostra merebantur flagitia, evertit, nec animos ità ejecit, ut ad diruta instauranda non attollerentur. Quocirca, ne quod facto jam cœpimus sua careat in posterum stabilitate, præsenti decreto statuimus, ut quotannis Sabbato antè Pentecosten, post Completorium Capitulum, Clerusque Urbicanus secularis à Metropolitana ad Ecclesiam S. Mariæ Gratiarum, pro gratiarum actione devotam habeat supplicationem.

Ex XVII. Synodo. tit. III.

CAPUT XI.

Ludus eorum, qui nudi currunt ad bravia diebus, sivè festis, sivè ferialibus, anathemate prohibetur.

DOminicos, àc festos dies in solius Divini Nominis laudibus absumendos, veteris, novique Testamenti concinit tuba. Quò ergo servilibus operibus, publicisque curis secularibus ne temerentur, opor-

portunè providimus [a] eò sollicitiùs in hoc animadvertere debemus, ne ab ociosis illos spectaculis, inhonestis, & impudicis violari sinamus. Cumque in quibusdam nostræ Diœcesis Oppidis Sanctorum festivitates in id cõvertantur, ut pueri, ac Juvenes, ne quidem minoris ætatis, inducantur, qui naturalis verecundiæ obliti, nudi in stadio currant, ut eorum unus accipiat bravium: nè, quod non rarò etiam cum Intuentium offensione efficitur, de cætero quovis die, tametsi profesto fiat, sub anathematis pœna, nobis reservata, inhibemus. Parochis verò, ubi hoc fieri conspexerint, sub pœna suspensionis præcipimus, ut in eorum Parœcia prædictum Synodale Decretum nostrum vulgari idiomate indicant: ne publicam ignorantes honestatem, in delictis suis inveniant excusationem.

(a) 1. Synod. cap. viii. & iv. Synod. c. vii.

Ex XXIII. Syn. tit. 3.

CAPUT X.

Die 14. Martii, anniversario Terræmotus anni 1702. annua instituta supplicatio habeatur.

DOluistis equidem, dilectissimi, cum die 14. Martii 1702. terra tremuit, & conturbatis, commotisque Montium fundamentis (b) Civitas hæc nostra, non dum è præcedenti casu (c) subsistens, secundò temporibus hisce nostris penè concidit universa. Supremum omnes nunc etiam ejusdem Urbis doleremus exitium, nisi Misericors ille, qui domum ædificat, ac Civitatem custodit (d), Deus, Beatissimæ semper Virginis Genitricis ejus Mariæ Patrocinio, vel debentia sustinuisset, vel diruta iterum per imbecillitatem nostram magnificentiùs instaurenda donasset. Pro debita igitur Deo, perpetuæque servatrici, ac Sublevatrici nostræ gratiarum actione per secularem Clerum Urbanum publicam alteram supplicationem feralis diei illius anniversario, è Metropolitana ad Ecclesiam S. Mariæ de Monte Carmelo, prout hactenùs ex tunc consuevimus, perpetim habendam volumus, atque decernimus. Caveamus autem, nè, quibus pientissima Domina intercedente, pleni servati sunt dies, (e), vacui in ipsius conspectu appareamus (f); sed illam & corde, & ore, & manu pro futuris in nos misericordiis obligemus: meliora namque meretur suscipere, qui collata bona de corde non amittit. (g)

(b) Psalm. 17.
(c) 5 Junii 1688.
(d) Psal. 126.
(e) Ps. 72. v. 10.
(f) Exod. 23. v. 15.
(g) Cassian. super Psal.

Ex XXVI. Syn. tit. 2.

CAPUT XI.

Festum Conceptionis B. V. M. de præcepto observandum, Apostolica recens edita Constitutione indicitur.

APostolicam, quàm nuper de Celsissimæ Angelorum Reginæ, & Mundi Dominæ Immaculatæ, àc semper Virginis Dei Genitricis Mariæ Conceptionis festivitate, de præcepto ubique Terrarum servanda, Constitutionem accepimus, exultantibus animis, eidem Patronæ nostræ, cujus Conceptio gaudium annunciavit universo Mundo, gratulantes, in nostra hac Synodo publicandum decernimus: ipsumque festum, majori quatenùs devotione, ac solemnitate celebretur, & custodiatur singulis quibusque annis per Parochos, alia velut consimilia de præcepto, suo tempore subjectis sibi plebibus præindici, & enunciari mandamus, Deum iterum, qui Sanctissimæ Virginis humilitatem ab æterno respiciens, dignum illam sui Unigeniti habitaculum Sancti Spiritus præparatione constituit, humillimè depre-

precamur, ut, pia intemeratæ ejusdem Virginis, & Matris intercessione, à noxiis hìc semper protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi mereamur.

Ex XXVIII. Syn. Tit. II.

CAPUT XII.

Inverecundorum hominum conventus juxtà Civitatis Portas Vindemiarum tempore, mulierum honestati consulendo, prohibentur. Edictum XLIII. super hoc evulgatur.

CUm scrupulo non careat confensionis occultæ, qui manifesto desinit obviare delicto; honoratorum idcircò nostræ Urbis Civium fuit nuper nobis ex parte relatum, non paucos esse, qui Vindemiarum tempore, licitum, quod nunquam licuit, arbitrantes, in ipsis nostræ Civitatis Januis pudicarum non erubescunt verbis, cantu, gestibusque impudicis, transeuntium temerare mulierum honestatem. Quamobrem publicam Nos istorum impudentiam publico, cum Appendice evulgando Edicto corripientes, nostris prætereà Parochis mandamus, ut pro illius quàm sedulò vigilent observantia; & ad nos, si quem compererint hoc in scandalo perseveraturum, deferant, ne, dum malefacta hominum, tacendo, non arguimus, quod increpari debet damnabilius augeatur.

Ex XXXI. Synodo tit. 2.

CAPUT XIII.

Novendio inter Nativitatem Domini, & Epiphaniam, populum ad Sermones, & Sanctissimi Rosarii recitationem antè Christi Præsepe in Metropolitanam Ecclesiam generaliter convocandum indicitur.

FEsti dies, ab Ecclesia demandati, in nostra licet Metropolitana, omnes, qua convenit, per anni totius orbem Rituum observatione celebrentur; tres ultrà tamen, Dolorum scilicet B. V. feria vi. post Dominicam Passionis: S. Philippi Nerii 26. Maii: & S. Januarii 19. Septembris, pietate quos pari, ac pompa nostrorum quorundam agit devotio privata Canonicorum, alius haud est dies, singulari, qui populi coactione recolatur. Cumque, si quem, Nos magis oporteat æmulari charismata meliora; (a) a Dominica idcircò Nativitate ad Epiphaniam usque inclusivè, Communionem præter generalem manè S. Joannis, Novendialium item de Dei nati Mysteriis Sermonum usum post Vesperas, consueta cum Sanctissimi Rosarii cantatione ante Christi Præsepe, septem illis festivis diebus, ac duobus Sabbatis occurrentibus, in nostram eandem Metropolitanam inveximus. Omnem itaque pro diebus iis populum per Parochos convocari volumus: Eumque, ut devotè, ac reverentèr accedat, ac perspicuo Præsepe illud, nedum corporis, sed & mentis oculo intueatur, hortentur.

(a) 1. Cor. 12. v. 31.

CAPUT XIV.

Singulis annis in Metropolitana Præsepe de more construendum decernitur. Pro hujusmodi expensarum dote capitale ducatorum mille ab Archiepiscopo donatur.

PIam hanc nos sacri effingendi Præsepis praxim, a Majoribus acceptam, & actu a Seraphico Patriarcha Francisco excultam imitantes, Præsepe ipsum ad Infantis Jesu, ejusque Sanctissimæ Virginis Matris venerationem, populique Christiani utilitatem, in nostra tunc temporis Ecclesia de more erigi, & ornari mandamus. Quod ut in futurum adimpleri faciliùs possit, & valeat, eidem Ecclesiæ nostræ supellectilem universam, a Nobis pro tota Præsepis, eique annexorum mole instruenda, præparatam; ac insuper ducatos mille currenti hoc anno donavimus: quorum fructus, ut fidelitèr expendantur, quicquid propterea in instrumento, sequenti Appendici alligando, abundè est cautum, Synodali hoc iterùm Decreto confirmamus.

Ex XXXIII. Synodo tit. III.

CAPUT XV.

Candelas quatuor singulis Festis B.Virginis in Ara S.Mariæ Majoris Ecclesiæ Metropolitanæ: ac totidem in Aris reliquis Festo die Sancti Principalis accēdendas instituit Archiepiscopus.

SAnctissimæ Virginis, Matris Dei Mariæ, Dominæ, ac Patronæ nostræ præsentissimæ, cæterorumque Sanctorum patrocinia semper sint licèt, & ubique recolenda, speciali tamen, & proprio, festiva dum eorum memoria, vel natalitia celebrantur, cultu, ac veneratione prosequamur, oportet. Ad majorem igitur fidelium pietatem excitandam, singulis quibusque gloriosæ Virginis festis in ejus Ara, S. Mariæ Majoris dicta, ac in unoquoque ex reliquis sexdecim nostræ Ecclesiæ Altaribus, Sancti Principalis die, candelæ quatuor manè, & vesperè, prout hactenus, volumus, accēdantur; sitque in signum, ut Aræ ipsæ à populis eo die invisantur, & Deo ibi pro acceptis per Virginem, & Sanctos gratias exhibentes, beneficia in posterum consequi potiora mereantur.

CAPUT XVI.

Pro hoc onere subeundo ducatos septingentos Archiepiscopus assignat.

ONus autem hujusmodi nè deinceps subeant Ecclesiæ, vel Altarium dotes, Ecclesiæ, & Altaribus ipsis annuos, qui expensas jam computatas exuperant, ducatos triginta quinque ex nostra septingentum ducatorum donatione assignavimus: expressiùs prout in instrumento dicitur, Synodali cum Appendice legendo.

TITULUS XI.

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

Ex prima Synodo cap. XI.

CAPUT I.

Legale Inventarium infrà sex menses conficiendum præcipitur Beneficiatis, Capitulis, Canonicis, ac piorum locorum Administratoribus. Instructio pro recta confectione indicatur. Qui Inventarium malitiosè diminutum fecerit, si Sacerdos pœnam suspensionis à Divinis, si Clericus, vel Laicus, excommunicationis sententiam, utramque ipso facto, & reservatam incurret.

NE quis in Christi patrimonio custodiendo, ea negligentia, qua hactenus laboratum est, obruatur, nève Laici, sive Clerici usurpationis crimen ignorantia possint obtegere, mandamus omnibus curata, aut simplicia beneficia obtinentibus, Capitulis, Canonicis, ac piorum locorum, seu Confraternitatum Administratoribus, ut infrà sex menses à promulgatione præsentis Synodi, bonorum Ecclesiasticorum, quorum cura ipsis commissa est, legale conficiant Inventarium, in omnibus prædecessorum nostrorum Synodis inculcatum, ad tenorem Sixtinæ Constitutionis, quę incipit *Provida*, emanatę anno 1585. die 8. Iulii, in quo Inventario annuos census, ac redditus, bona mobilia, credita, ac immobilia, locorum finibus appositis, ac cætera hujusmodi describent, cujus conficiendi Inventarii *Instructionem* in fine præsentis Synodi dabimus. Facti Inventarii duo erunt exempla, utraque in libro tanto, quantum est chartæ folium, descripta, & publici Notarii auctoritate roborata, quorum alterum penes se retinebunt, alterum verò in nostro reponendum Archivo transmittent. Si quis verò sex mensibus elapsis, Sixtinam Cōstitutionem prędictam, hoc nostro decreto executioni non demandato, incuria, vel negligentia sua transgressus fuerit, pœnas ducatorum quinque, & viginti dabit. Si autem malitia sua, vel affectata ignorantia quis Inventarium præfatum non absolutum, sed diminutum fecerit, rebus non omnibus & singulis adnumeratis, si Sacerdos fuerit, pœnam suspensionis à Divinis, ipso facto incurrendæ Nobis reservatæ, si inferioris Ordinis Clericus, sive Laicus, excommunicationis sententiam, ipso facto incurrendam, Nobis pariter reservatam, se noverit incursurum.

CAPUT II.

Eadem excommunicatio fertur in surripientes, aut retinentes scripturas, sive ad Ecclesias, sive ad Mensam Archiepiscopalem spectantes, necnon in eos, qui aut inquirentes impediunt, aut inquirentibus tradi non permittant.

SUrripientes verò, aut surreptas detinentes scripturas ad Ecclesias, sivè ad nostram Mensam Archiepiscopalem pertinentes, vel impedientes, nè hujusmodi scripturæ inquirantur, sive inquirenti tradantur, excommunicationis Nobis reservatæ vinculo sint ipso facto innodati.

Ex tertia Synodo : cap. 12.

CAPUT III.

Confectio Inventariorum in prima Synodo demandata rememoratur.

IN prima nostra Synodo bonorum Ecclesiasticorum Inventaria, in omnibus prædecessorum nostrorum Synodis inculcata, ad tenorẽ Sixtinæ Constitutionis, quæ incipit *Provida* die 8. Julii anno 1585. emanatæ infrà sex menses, sub pœna ducatorum quinque, & viginti, conficienda præcepimus. Utque etiam faciliùs illa persolverentur in Appendice ejusdem Synodi expeditam Instructionem elaboravimus.

CAPUT IV.

Negligentibus stata pœna ducatorum 25. in S. Visitatione, omninò exigenda, intimatur.

NOnnulli verò hujusmodi opus vel non dũ effecere, vel non ritè, & rectè profecuti sunt. Eos idcircò monitos volumus, quod si in S. Visitatione suarum Ecclesiarum Inventaria *ad normam* præfatæ instructionis non exhibebunt, statam pœnam omninò persolvent.

CAPUT V.

Sub eadem pœna Ecclesiarum Rectoribus, piorumque locorum administratoribus præcipitur, ut Catalogus rerum terremotu dejectarum fiat, & Archiepiscopali Curiæ tradatur.

OMnes tandem Rectores earum Ecclesiarum, eorumque locorum piorum administratores, quæ in præterito terræmotu jacturam passa sunt infrà duos menses catalogum scribant omnium quarumcumque rerum, & domorum ad ipsas Ecclesias, & loca pia pertinentium, quæ tali casu periere, & scriptum, suaque manu firmatum ad nos mittant, ut censuum deperditorum, & locorum saltem confinium monimenta de cætero habeantur. Qui secus fecerint prædictam pœnam ducatorum quinque, & viginti se noverint incursuros.

Ex Sexta Synodo. cap. 10.

CAPUT VI.

Constructo Archiepiscopali Archivo, in eoque uno, & viginti ingentibus voluminibus Inventariorum bonorum omnium Ecclesiasticorum Civitatis, & Diœcesis repositis, præcipitur, ut unaquæque Ecclesia sive Collegiata, sive Conventualis, sivè Parochialis, infrà mensem suum construat Archivum, in quo infrà tres menses documẽta omnia dispersa colligantur. Archivi clavem, & scripturarum Inventarium, cujus duplicatum ad Curiam Archiepiscopalem mittent in Communitatibus Archivista, in Parochialibus Parochus ipse servabunt. Decem ducatorum pœna transgressoribus infligitur.

CUm bona Ecclesiarum, pretia peccatorum, deposita pietatis, & patrimonium Christi sint, earum Rectores cum omni diligentia,(a) & bona fide, quæ Deo debetur, qui omnia providet, gubernare debent & custodire. Quamvis autem nos pro pastorali nostra sollicitudine in Archivo nostro Archiepiscopali omnium Ecclesiasticorum bonorum tam Civitatis, quàm Diœcesis Inventaria uno, & viginti ingentibus voluminibus comprehensa reposuerimus, convenit tamen, ut unaquæque nostræ Diœcesis Ecclesia sivè Collegiata, sivè Conventualis,

(a) c. quæcumque. x. q. 1.

&

& Receptitia, sive Parochialis suum habeat Archivum, quod infrà mensem post hanc publicatam constitutionem conficiatur. In eo documenta omnia hactenus dispersa infrà tres menses collecta reponantur, & Inventarii nobis traditi duplicatum habeatur, ac quę deinceps conficientur instrumenta serventur. Archivi Clavis, ubi Communitas est, ab Archivista, ad id à communitate electo, custodiatur, qui documentorum Inventarium habeat, quod singulis annis successori Archivistæ, & tunc pariter authenticum ejus duplicatum Curiæ nostræ omninò tradet. Ubi solus Ecclesiæ Rector, ibi ipse sit custos, & si non Archivum, Armariolum saltem benè compactum, tutum, & clavi munitum sibi construat. Quorum si quispiam neglector fuerit, pro quavis transgressione decem ducatorum pęnas dabit.

CAPUT VII.

Instrumenta eorum, quæ in emphyteusim traduntur, suo tempore renoventur, sub pœnis extravagantis Ambitiosæ contra alienantes latis.

AD eorundem bonorum conservationem facit, ut eorum, quæ in emphyteusim tradita sunt, nè detrimentum patiantur, nève lineas sensim excedant, expleto census tempore, instrumenta renoventur, servatis aliàs de jure servandis. Qui secus fecerint, pænas extravagantis Ambitiosæ contrà non renovantes latas se noverint incurrisse.

Ex XVII. Synodo. Tit. IV.

CAPUT VIII.

Propriam Inventariorum copiam unaquæque Ecclesia, & loca pia è Metropolitano Archivo desumant.

QUod à nobis, in prima nostra Diœcesana Synodo (*a*) *cap. XI. de Inventariis*, ac primo Provinciali nostro Concilio (*b*) *hoc titulo, cap.* 11. juxtà Sixtinam Constitutionem, quæ incipit *Provida*, sancitum fuit, ut legalia bonorum omnium Ecclesiasticorum Inventaria a nostræ Diœcesis Ecclesiis, & locis piis efformarentur, Deo benedicente, nostra jam est assecuta solicitudo. Quapropter omnibus, & singulis Collegiis, & Cleris Receptiitis, Abbatibus item, Archipresbyteris, Parochis, Animarum Rectoribus, Beneficiatis, ac Confraternitatum, Hospitalium, cæterorumque locorum piorum Oeconomis, & Administratoribus districtè mandamus, ut authenticum ipsorum Inventariorum exemplare nostro Archiepiscopali Archivo, ubi asservantur, in propriæ Ecclesiæ, vel loci pii Archivo respectivè collocandum, infrà tres menses excipiant. Si quæ autem loca pia peculiare non habuerint Archivum, eorum Inventaria in Ecclesiæ Parochialis Archivo custodienda reponantur: aliàs, qui supradictorum contravenerit, proposita vigintiquinque ducatorum pęna mulctabitur.

(*a*) Anno 1686
(*b*) Anno 1693

Ex

Ex XXIV. Synodo tit. II.

CAPUT IX.

Bibliothecæ Metropolitanæ Visitatio, ejusque Scripturarum digestio, opera, opeque Archiepiscopi, hoc anno habita, exhibetur. Illius decreta, hic iterum publicata, Synodali Constitutione confirmantur.

FOrmalis Metropolitanæ nostræ Bibliothecæ visitatio ad hæc usque tempora dilata, & cum primum licuit, post materialem ejusdem, quam prima dejecit (*a*), altera (*b*) quassavit dira terræ commotio, binam vel ternam restitutionem, per nos hoc anno exequuta, ea nobis decreta ferenda suggessit, quæ in nostræ hujus Synodi calce dabit Appendix. Spei proindè indulgemus, nil nobis maneat pro tanti operis necessitate, dignitatevè desiderandum, qui ut scripta omnia, ab annis invisa, & confusa, ad supremum usque folium videremus, atque ordine digesta inscriberemus titulis, recenseremus numeris, propriaque statione locaremus, tempori, labori, sumptui parcendum nefas existimavimus. Reliquum hoc tantum est, ut decreta omnia, & singula in præfata Visitatione emanata, inconcussa semper, & absque ulla penitus immutatione servanda, pro majori in posterum illorum observantia, in hac iterum Synodo publicata, confirmemus; prout Synodali hac nostra Constitutione futurorum memoriæ nunquã moritura, confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimùs.

(*a*) 5. Junii 1688.
(*b*) 14. Martii 1702.

CAPUT X.

Alia aliarum Ecclesiarum Civitatis monimenta Archiepiscopus visitat; eademque ordine componit: & pro futura illorum conservatione Instructiones, pro Bibliotheca datas observari decernit.

QUamplura insuper cum aliarùm quarundam nostræ Urbis Ecclesiarum, piorumque locorum monimenta, hujusmodi occasione Visitationis, inviserimus, quæ in decretis numerata leguntur; ea omnia ad regulam, in præfatæ Bibliothecæ digestione servatam, componenda voluimus, & suis quoque locis aptanda curavimus. Quæ igitur vel pro digestis suo ordine manutenendis, vel pro novis præscripta methodo collocandis nostræ Ecclesiæ Bibliothecario in Decretis ipsis exequenda præcipimus, singula per singulos, jurisdictioni nostræ Archiepiscopali subiectos, earundem Ecclesiarum, & piorum locorum Archivistas, Rectores, & Ministros, sub pœnis ibidem latis, respectivè exequi, & in futurum observari mandamus.

Ex XXV. Synodo Tit. 2.

CAPUT XI.

Reliqua Ecclesiarum Civitatis, ac Diœcesis monimenta juxtà regulam in Metropolitanæ Bibliothecæ compositione servatam, per Archiepiscopum digesta, indicantur.

COelesti ex quo Patrisfamilias ad suam excolendam Evangelicam vineam, fortes tot inter operarios, infirmos Nos placuit advocare; inanenobis in æstimandis laboribus studium evitandum indiximus; opusque, gratia suffragante divina, faciendum potius, quam metiendum proposuimus Nobismet

ita

ita suadentes, facilè ad rei finem, nostrique consummationem propositi deventuros, si rem serio, alacrique animo aggrederemur. Hinc sanè quid actum esset ne ignoretis, ut, post exhibitam in præcedenti XXIV. Synodo Bibliothecæ nostræ Metropolitanæ compositionem, non ita curis aliis, & difficultatibus prædiri: non sumptibus, & laboribus turbari: nec temporis, & cooperantium necessitate nos angi potuerimus, quin reliqua, in membranis, seu pergamenis chartis exscripta, Civitatis, ac Diœcesis Ecclesiarum monimenta juxtà regulam in laudatæ Bibliothecæ digestione servatam Deo adiuuante legere, dividere, titulis, summis, & indicibus illustrare; in codices componere, & nostra tandē subscriptione auctorizare feliciter, & expeditè valuissēmus. Reliquum est, Filii Charissimi, ut divinam nè incurratis indignationem, digesta omnia suo ordine manuteneatis, & nova veteribus addenda, eadem quoque methodo collocetis.

CAPUT XII.

Regularibus, & Civitatis Communitate instantibus, consimilia earum monimenta Archiepiscopus ordinasse dicit.

INter hæc à nobis, ut retulimus, digesta Ecclesiarum monimenta, non pauca numerantur ad Venerabiles aliquos Regularium Conventus, & præclarissimam nostræ Civitatis Communitatem spectantia, quæ & Regulares ipsi, ac dilectissimi Consules, quorum voluntas erga nos, nostraque erga ipsos par semper in Domino fuit, atque mutua, instantes, sibique de nostra fide pollicentes, eodem per nos modo ordinanda, & componenda tradidere, quorumque numerum cum Notificatione dabimus in Appendice. Spes superest, ut qui documenta ipsa è confusionis sepulchro penè revixisse mirati sunt, in nova, quam illa sortita sunt, luce perpetuò conservent.

Ex XXXI. Synodo tit. 3.

CAPUT XIII.

Fructus omnes Ecclesiastici quò post recens in Civitate, & Archidiœcesi expletam Inventariorum confectionem excreverint, ex antiqua, & nova eorum summa, in Appendice legenda, probatur.

BOnorum omnium ad nostræ Civitatis, & Archidiœcesis Ecclesias, Beneficia, Confraternitates, Hospitalia, cæteraque loca pia spectantium Inventaria, nostram uti assiduam, a primo die, quo in hanc ingressi sumus Ecclesiam, in dilucidandis iis, vindicandis, & meliorandis, ipsorumque juribus, & proprietatibus describendis, atque confinibus Plantarum formatione designandis solicitudinem occuparunt; Dei ita benedictione, nostri sub Divi Thomæ Aquinatis patrocinio, perfecta jam fuisse vidimus: eo autem felici, ed utili successu, ut, multiplici nunc reddituum acquisitione antiquos quàm ubertim exuperari gaudeamus: Fructus enim de anno 1686. duc. attingebant 67051. 84. 7. Anno autem elapso 1715. ad ducatos ascenderunt 135936. 28. 4.

Cumque multos, nimis hujusmodi vexatos negotio, doluisse audiverimus; & nostram adhuc a non paucis occupationem illam, & expensas, ut inutiles, ac infructuosas calumniari perferamus: ad obloquentiū idcirco obstruenda ora, & illos, quā à veritate aberrent, ultrà nè lateat; utrumq; fructuum eorundem statum in summa, omnibus legendum, damus in Appendice.

CA-

CAPUT XIV.

Pro abundanti hac à Deo accepta benedictione, ut laudes ipsi, gratesque agantur, decernitur.

PAlpabili hac agnita veritate, debitas ab unoquoque Benefactori Deo, à quo, si priora nostra fuerunt parua, novissima multiplicata sunt nimis (a), laudes, & gratias referri volumus. Quãobrem in nostra Metropolitana, & in singulis quibusque tum Vrbanis, cum Diœcesanis Collegiatis, ac Conventualibus, sivè Receptitiis Ecclesiis, primo post hujus Synodi dimissionem non impedito die, Sacrum semel solemne de Summa Trinitate cum Oratione pro gratiarum actione, & memoria de Divo Thoma fieri decernimus, & mandamus.

(a) Job cap. 8. v. 7.

Ex XXXV. Synodo. Tit. 2.

CAPUT XV.

Bonorum Inventaria, decennio expleto ab eorum confectione renovanda. Pro illorum renovatione instructio datur in Appendice.

PAstorali id nostræ noscimus convenire solicitudini, ut quæ, Pontificias (a) juxta, ac Provinciales (b), simulque Diœcesanas nostras (c), pro legalibus, in Civitate, et Archidiœcesi conficiendis, bonorum omnium Ecclesiasticorum Inventariis, egimus Constitutiones; iis jam, Deo auxiliante, perfectis, quorum originalia cum suis Plantis in Metropolitano, & exemplaria in uniuscujusque Ecclesiæ, piique loci asservantur Archivo; pro eorundem etiam à decennio in decennium renovatione, studio perseverante curemus. Ubi itaque Inventariorum modò renovatio sit efficienda hujusmodi, in Notificatione cum Appendice legenda, significamus: eaque utiliter quatenus efficiatur, & labores, expensæque devitentur inutiles, quam ibidem in ipso Synodi calce proponimus, Instructionem omninò servandam volumus, ac jubemus.

(a) Sixti V. Provida de anno 1585.
(b) Conc. Prov. 1. hoc Tit. cap. 2.
(c) Syn. 1. Diœc. cap. 11 de Inventariis.

TITULUS XII.

DE APPELLATIONIBUS.

Ex XXXIV. Synodo tit. 2.

CAPUT I.

Seculares Judices, Ecclesiarum affectantes nescientiam privilegiorum, objurgantur. Apostolica Indulta, quæ generalem Archiepiscopi Vicarium in Laicorum causis Beneventi Judicem constituunt Appellationum, edicuntur.

SEcularium non est quorundam Judicum praxis ferenda Curiarum, imò nota reprehensibili obsignanda temeritatis, privilegia, qui Ecclesiis, & Ecclesiasticis concessa personis suo libito temerare ut valeant, fingunt illa vel ignorare,

cum

cum noverint, vel cum possunt, velle scire detrectant. Absurda enim quatenùs de medio tollantur hujusmodi, & venerabilium semper appareant sacra jura Ecclesiarum; hæc ipsa Episcoporum prudentiæ interesse dignoscimus, & Synodis, dum coguntur, edicere, & typis etiam, omnibus clariùs, ut innotescant, evulgare. Inter hæc itaque, quatuor Apostolicæ Sedis indulta, causas quibus civiles inter laicos, & criminales, ubi rei puniendi pœna corporis afflictiva non veniant, noster ut Vicarius Generalis in secunda Instantia, per appellationem à Temporali quovis nostræ Civitatis Iudice, cognoscat, terminet, decidatque, statuitur, in Archivo nostro Metropolitano custodiri denunciamus. Idque sanè, ipsi aliàs Civili legi consentaneum (a), communibus nostræ ejusdem Civitatis petitionibus annuens, concessit primo fel. rec. Innocentius VIII. uno, & altero Brevi sub annis 1487. (b), & 1491. (c) & Paulus inde III. qui noster fuit, Alexandri Farnesii nomine, in hac sede antecessor, sua Bulla de anno 1538. (d) ac Pius IV. Brevi alio in anno 1560. (e) confirmarunt.

(a) Authentic. ut differêtes, collat. 9 ut x cap. 1. & 2.

(b) Die 19 Ianuarii.

(c) Die 18 Junii

(d) Die 23. Augusti.

(e) Die 20. Augusti.

CAPUT II.

In prænarratis cognoscẽdis caussis appellationum Curiæ Archiepiscopalis possessionem demonstrat Rotæ Romanæ decisio anni 1649. *& suo decreto elapsi* 1718. *quod in Appendice legitur, Signatura Justitiæ declarat.*

ILlud etiam secundo est hoc capite narrandum, quod, quæ relata jam deposuerunt scripta Apostolicorum, hæc in Curia nostra Archiepiscopali pacifica huc usque fuerunt exercita possessione: Sacra hoc item perhibente Romana Rota (a), quæ in Beneventana manutentionis inter Hieronymum Carafam, & Fulviam Mascambrunam de anno 1649. Gen. Vicarium nostrũ Judicẽ appellationis appellat: id quod suo declaravit decreto Signatura Justitiæ delapso Decembri 1718. dum in causa ad nos appellationis DD. Consulum, perperam coram illa reclamante laicalis hujusce Curiæ Fisco, causam ipsam, servatis servandis, ad nostram dixit Curiam spectare Archiepiscopalem: cujus originale decreti in Archivo Metropolitano servatur; & exemplatum, ad perpetuam rei memoriam, legendum damus in Appendice.

(a) Decis. 312. par. 10 Recent. n. 2.

TITULUS XIII.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

Ex prima Synodo cap. XIII.

CAPUT I.

Evulgatur Edictum IV. ea, quæ vitam, & honestatem Clericorum concernunt, complectens.

QUÆ ad Clericorum vitam, & honestatem attinent, ut uniuscujusque captui indulgeamus, in Edicto vulgari idiomate conscripto, quod in hac Synodo publicamus, & in calce harum constitutionum apponimus, luculenter trademus. Hic tantum nonnulla subdimus, quæ pariter executioni demandanda jubemus.

CAPUT II.

Clerici possessores beneficiorum tenuium, habitum, & tonsuram Clericalem deferre tenentur, sub pœna privationis beneficiorum ipso facto.

NOverint primo Beneficiati omnes, sibi in habitu, & tonsura decentibus omninò incedendum esse, nulla tenuitatis beneficii habita ratione, prout à Sacr. Congreg. Concilii decretum est, quod decretum Episcopi omnes acceptū deferre debent pastorali vigilantiæ Illustrissimi, & Reverendissimi Domini D. Caroli Loffredi Cler. Reg. Episcopi Melphicten. a quo illud autographum accepimus tenoris sequentis.

„ *Melphicten. Clericatus*. Aliàs „ XIII. Septembris 1675. in una „ Bituntina S. Congr. censuit, Cle„ ricos possessores beneficiorum te„ nuium infra summam ducato„ rum sexaginta auri de Camera, „ teneri habitum, & tonsuram Cle„ ricalem deferre, juxtà constitu„ tionem Sixti V. la 92. Et quia „ Clerici Melphictenses adhuc op„ ponunt, quod talis constitutio re„ vocata fuit ab alia ejusdem Pon„ tificis incipiente: Pastoralis &c. „ anno 1589., licèt illa non videa„ tur loqui de beneficiatis, sed de „ his, qui pensiones, fructus, aut „ prædia, vel bona Ecclesiastica si„ bi reservata, concessa percipiunt „ &c. Supplicat Episcopus declara„ ri, An possessores dictorum be„ neficiorum tenuium, ut supra, te„ neantur habitum, & tonsuram „ deferre Clericalem, non obstan„ te dicta Constitutione: Pastoralis „ &c. Die 18. Septembris 1677. „ Sacr. Congr. Eminentiss. S.R.E. „ Cardinalium Concilii Tridentini „ interpretum respondit: AFFIR„ MATIVE. I. Cardinalis Colu„ mna Præfectus. Stephanus Ar„ chiepiscopus Brancacius, Epi„ scopus Viterbiensis Secr. Adest „ Sigillum Emin. Cardinalis Co„ lumnæ Præfecti.

Quapropter hujusmodi Beneficiati habitum, & tonsuram decentes omninò deferant, aliàs suis beneficiis ipso facto se privatos sciant juxta formam Constitutionis S. M. Sixti V. quæ incipit: *Cum Sacrosanctam*, editæ anno 1589.

CAPUT III.

Clerici tam Urbani, quam Diœcesani singulis Dominicis, & festis diebus inservire debent Ecclesiis, quibus in ordinatione adscripti fuerint. Rectores Ecclesiarum singulis tribus mensibus hujusmodi observantiam Archiepiscopo testentur.

QUoad Clericorum servitium in Divinis præstandum, ad quod principaliter promoti sunt, decretum felic. record. Maximiliani de Palumbaria Prædecessoris nostri in Synodo edita de anno 1594. innovamus, cujus tenor hic est:

„ *Clerici* tam Urbani, quam Diœ„ cesani singulis Dominicis, & fe„ stis diebus in Ecclesiis in Divinis „ meminerint inservire, quibus in „ ordinatione adscripti fuerunt. An „ autem hoc observetur, singulis „ saltem tribus mensibus Rectores „ Ecclesiarum, in quibus conve„ nire deberent, nobis significent; „ visis priùs Bullis ordinatorum, „ pro cujus Ecclesiastico servitio „ ordinati fuerunt; similiter etiam „ si in habitu, & tonsura Clericali„ bus incedant; & vitam, ut Cle„ ricos decet, agant, ut opportu„ no, si contrafecerint, per Nos „ remedio provideatur. Tandem, „ Clerici omnes in conversatione „ cum Laicis ita se habeant, ut ne„ que

„ que ex nimia familiaritate con„ temnantur, nec ex nimio, fa„ stu, aut pompa superbi videan„ tur.

Ex secunda Synodo tit. V.

CAPUT IV.

Prima Tonsura initiati, Clerici in minoribus, Subdiaconi, & Diaconi singulis quindenis diebus sacra communione reficiantur. Parochi sub pœna suspensionis, hac in re defectus ordinationis tempore Archiepiscopo significent.

SEcularibus exemplo sint omnes Clerici, sive in minoribus, sive in sacris Subdiaconatus, & Diaconatus ordinibus constituti, qui omnes & singuli, etiam sola prima Clericali tonsura initiati, quindenis saltem quibusque diebus Pœnitentiæ Sacramento expiati, Sacra communione reficientur. Ipsi verò Parochi notulam habeant, in quam singulos singulorum in hac re defectus, & negligentias redigant, quam deinde ad nos ordinationis tempore mittent, ut hujusmodi vecordes à Sacra ordinatione rejiciantur. Iidem verò Parochi, si ab hujusmodi notitia nobis exhibēda abstinuerint, vel in exhibita fidem non servaverint, suspensionis pœnam se noverint incursuros.

Ex eadem secunda Synodo. cap. 19.

CAPUT V.

Præcipitur, ut singulis hebdomadibus Sacrorum Rituum, & conscientiæ casuum Congregatio in quolibet Vicariatu habeatur. Methodus tenenda ostenditur.

SI in Secularibus, quam quisque novit artem, in hac se exercet: cur id non potius in Ecclesiasticis reperire est? Papæ (a) Filii hujus seculi prudētiores Filiis lucis in generatione sua sunt. Pudet dicere, quam plurimos, qui rubricas non legerint, nedum sacros Ritus non calleant invenisse.

(a) Lucæ cap. 15. ver. 8.

Idcircò districtè præcipimus, ut in qualibet Diœcesis Vicaria, semel in hebdomada, Sacrorum Rituum, & conscientiæ casuum Congregatio habeatur, juxta methodum huic Synodo in Appendice apponendam: ut in singulis Congregationibus singula capita nostrarum Synodorum legantur, & explicentur: ut in libro ad hoc destinato casus, & eorum resolutiones sub die, qua fuit congregatio habita, adnotentur: utque Clericorum in Sacris constitutorum catalogus habeatur, ex quo non interessentes adnotentur.

CAPUT VI.

Pœna carolenorum quinque, absque causa non intervenientibus imponitur.

QUi denique, sine legitima causa, a Congregationis Præfecto probanda, præfatæ Congregationi non interfuerint, pœnam carolenorum quinque subibunt, quam Præfectus in eadem hebdomada ejus locis pauperibus erogabit.

Ex quarta Synodo. Cap. 3.

CAPUT VII.

In Congregatione Rituum SS. Eucharistiæ communicandis impertiendæ cæremonias Præfectus practicè doceat.

IN Rituum Congregatione Cæremonias SS. Eucharistiæ populo communicandæ, Præfectus doceat, & ad praxim deducat; cum &

& in re tam facili, vel ipsos gestus animadversione dignos inspexerimus.

Ex eadem quarta Synodo. cap. 19.

CAPUT VIII.

Damnatur in Sacerdotibus ignorantia.

OMnem nostram requirit solicitudinem quicquid ad Clericorum sacram pertinet eruditionem: (a).

(a) Conc. Tolet. 4 cap. 24.

„ Ignorantia enim mater errorum „ maximè in Sacerdotibus vitanda „ est, qui docendi officium populi „ susceperunt.

CAPUT IX.

Tabella materiarum Moralium, Ritualium, & spiritualium tractandarum instituitur.

CUm igitur in secunda nostra Synodo (b) sacrorum Rituum & conscientiæ casuum Congregationes instituerimus, earumque habendarum methodum præfixerimus, ut prætera in proponendis ad discussionem casibus Præfecti minimè laborent, & quicquid proponendum erat cum fructu discutiatur, Tabellam instar illius, quam Eminentissimus CARDINALIS DENHOFF Cæsenatensis Pontifex vigilantissimus ad sui Cleri profectum adinvenit, in Appendice apponimus, ut quid in singulis Congregationibus agendum sit, quibus libris studendum in promptu habeatur. Rerum materiæ tali ordine digestę sunt, ut nihil necessariò sciendum relinquatur, & si omnes primus annus non præstabit, sequens, & subsequens cum fœnore dabunt.

(b) Cap. 19. nu. 1. & seq.

Ex sexta Synodo. Cap. XI.

CAPUT X.

Clerici sivè in minoribus, sive in sacris constituti, Locùtenentis, aut cujusvis laicalis officii pro causis sivè criminalibus, sivè civilibus nullum munus subeant, aliàs excommunicationi subjaceant.

DIvinis eloquiis, quibus nemo militans Deo, negotiis sæcularibus implicari permittitur, (a) sacrisque Canonibus (b) quibus Sacerdotes, & Clerici nè ministri Laicorum fiant, nè in rebus eorum procuratores existant, jubentur, & sub interminatione anathematis, nè quis Sacerdos habeat officium Vice-comitis, aut Præpositi secularis interdicitur (c) inhærentes, præcipimus, ne quis Clericus sive in minoribus, sivè in sacris existens, fluctibus seculi, ut Potestatibus placeat, se immergens, Locum-tenentis, sive alterius laicalis officii, quocumque nomine censeatur, pro causis civilibus, & multo minùs pro criminalibus ministerium exerceat. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, & hac constitutione monitus, emendare noluerit, excommunicationi se noverit subjacere.

(a) 2. ad Tim. 2.

(b) Cap. Sacerdotibus, & Clericis.

(c) Cap. Sed nec ne Cler. vel Mon.

Ex nona Synodo tit. VI.

CAPUT XI.

Sacrorum Rituum, & conscientiæ casuum collatio per turnum facienda designatur.

QUoniam jugum Domini suave est, & onus ejus leve, Diœcesanorum Clericorum commoditati consulentes, præcipimus, ut Sacrorum Rituum, & conscientiæ casuum collationes, quas Congregationes vocant, juxta landabilem in quamplurimis aliis Diœcesibus

bus

bus servatum morem per turnum fiant, ad normam distributionis oppidorum, quam Appendici inseremus.

Ex undecima Synodo tit. X.

CAPUT XII.

Tabellæ materiarum moralium, Ritualium, & spiritualium indicantur; earum tractandarum tempus præfigitur.

Tabellæ novem materiarum moralium, tres Ritualium, tres spiritualium statuuntur. Novem novenis annis repetentur, ternæ ternis. Noveno itaque anno omnes materiæ morales præscriptæ, terno anno omnes materiæ Rituales ex Gavanto, & omnes spirituales ex aureo libello Thomæ de Kempis tractabuntur, quæ omnia novennali, & triennali repetitione perpetuo reditu menti altiùs insidebunt.

Ex XVIII. Synodo tit. 2.

CAPUT XIII.

Sacræ Scripturæ lectio Clericis commendatur.

Contigit Nobis dilectissimi; præsentem nostræ Diœcesis visitationem agentibus, quod Nobis contigisse oportuit, sed contigisse profectò non libuit; in quibusdã scilicet oppidis, populo adhuc non ignobili, Clero non exiguo conspicuis, Sacrum Bibliorum Codicem apud quemquam nõ reperire. Quod scelus in Sacerdotibus præcipuè, & Ecclesiarum Rectoribus damnantes, quos divinarum, oportet literarum habere peritiam (*a*), ut parati sint ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de fide, quæ in eis est (*b*); mandamus, ut de libro hujusmodi, vel eo saltem, veteris novique Testamenti narrationem complectente, à celeberrimo scholasticæ Historiæ Magistro Petro Comestore clarissimis, ac sapientissimis interpretationibus explicatam, qui modo in nostra Civitate ex antiqua, & mendosa impressione, novis, & purgatis typis in lucem prodiit, singuli supradicti, ac Clerici omnes, ad Superiores ordines, aliàs non promovendi, infrà mensem omninò provideantur. Acceptum autem ne seponant: verum ad Ezechielis instar (*c*), lectioni illius assiduè attendentes, volumen illud, quod à Deo est, inexplebili aviditate comedant, pro spirituali etiam contra sensus illecebras antipharmaco, juxtà illud Hieronymi ad Rusticum (*a*) „ Ama studia scri„ pturarum, & carnis vitia non „ amabis.

(*a*) Cap. ignorantia. dist. 38.
(*b*) 1. Petr. 3. nu. 15.
(*c*) Cap. 3. n. 1.
(*d*) Cap. nunquã de cons. dist. 5.

Ex XXV. Synodo tit. IV.

CAPUT XIV.

Epistola Sacræ Congregationis Concilii pro Exercitiis Spiritualibus, à Clero agendis, publicatur.

Optandum profectò est, ut Clerici omnes, in sortem Domini vocati, quemadmodum cæteros, qui seculo vivunt, Religionis dignitate præcellunt, ita præ ceteris Deo, cui proximè famulari videntur, intima magis, ac perpetua consuetudine uniantur. Nostrorum itaque ut, si qui sunt, Clericorum animas, à Dei, sacrorumque munerum cogitatione abductos, ad sua pro debito, reducamus, Apostolica SS. Patris nostri sollicitudine admoniti, Encyclicam Sacræ Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii interpretum Congregationis Epistolam super Exercitiis Spiritualibus, ab universo Clero peragendis, nuper suæ Sanctitatis jussu conscriptam,

qua

qua nihil aptius per nos pro hujusmodi Exercitiorum fructu explicando, nihil uberius, clariusque nihil, vel addi hic, vel proponi, dicive potest, publicamus, tenoris sequentis.

Eminentiss., ac Reverendiss. Domine Observandissime.

„ Inter gravissimas Pastoralis „ Officii curas, quibus Sanctissimus Dominus Noster assiduè „ premitur, in eam præcipuo studio incumbit, ut quicumque in „ sortem Domini vocati sunt, præsertim verò Sacerdotes, & Animarum Rectores, tùm Sacrarũ „ literarum, Divinarumque rerum scientia, tùm etiam vitæ „ morumque honestate, cæteris antecellant, ac in omnibus, juxta „ monitum Apostoli, præbeant semetipsos exemplum bonorum „ operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Cum etenim „ ipsi sint Sanctiora Ecclesiæ membra, Dispensatores mysteriorum „ Dei, Christiani Populi Duces, & „ Magistri, Mediatores inter Deũ, „ & Homines, Lucernæ super candelabrum positæ, ut luceant omnibus, qui in Domo sunt, nihil „ est, quod alios magis ad pietatem „ divinumq; cultum accendat, quã „ illorum vita, & exemplum; Omnes siquidem in ipsos, tamquam in „ speculum, oculos coniiciunt, ut „ inde sumere possint, quod imitentur. Porrò cum diuturna „ experientia compertum sit ad „ retinendam, conservandamque „ SacerdotalisOrdinis dignitatem, „ & sanctimoniam maximè conducere, ut Ecclesiastici viri spiritualibus Exercitiis aliquando „ vacent, quibus quidquid fordium de mundano pulvere contractum est, commodè detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem „ extollitur, rectè, sanctèque vivendi norma vel instituitur, vel „ confirmatur; Proinde Sanctitas „ Sua pro eximio, quo flagrat, omnium salutis zelo, vehementer „ exoptans, ut pium hoc, & saluberrimum Exercitiorum spiritualium opus, ubique locorum „ magnoperè frequentetur, ac vigeat, universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque tùm Italiæ, tùm etiam Insularum adjacentium Ordinarios „ enixè admonet, ac in Domino „ hortatur, ut illud in sua quisque „ Diœcesi, quo majori poterunt „ conatu, & studio promovere satagant; Præcipuè verò iis districtè jungit, ac præcipit, ut „ quæ dudum san. mem. Innocentius XI. P. M. per encyclicam „ Epistolam à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium „ Consultationibus præposita ad „ universos Italiæ, Insularumque „ adjacentium Episcopos datam „ die 9. Octobris 1682. quoad hujusmodi spiritualia Exercitia à „ singulis Clericis decem dierum „ spatio, antequam ad Sacros „ Ordines assumantur, peragenda „ mandavit, exactè, ac inviolabilitèr observari, & exequi curent, „ & quos iisdem Exercitiis per antedicti temporis spatium minimè operam dedisse cognoverint, „ à Sacra Ordinatione repellant „ penitus, & arceant. Præterea „ Sanctitas sua eosdem Ordinarios „ admonet, & hortatur, ut fructu, qui sanè uberrimus ex prædictis Spiritualibus Exercitiis „ percipitur opportunè proposito, „ ac explicato, universos ex Clero sibi subiecto, sed præcipuè animarum Rectores, Confessarios, „ aliosq; Beneficiatos, Chori servitio adstrictos, diligenter excitent ad eadem Exercitia, saltem „ semel in anno peragenda, in Domibus Religiosorum Societatis „ IESV, seù Presbyterorum Con-

„ gre-

„ gregationis Missionis si adsint, sin „ minùs in alia Pia, seù Regulari „ domo, ab ipsis Ordinariis ad id „ designanda, & approbanda. Vt „ autem alacriùs ad ejusmodi Spi- „ ritualem secessum singuli conve- „ niant, Sanctitas sua omnibus prę- „ fatis animarum Rectoribus, Con- „ fessariis, Canonicis, Beneficia- „ tis, aliisque Sacerdotibus, & „ Clericis, qui per decem dies sin- „ gulis annis eadem Exercitia per- „ egerint in Domibus præfatis, „ ibique diù, noctuque perman- „ serint, ac intereà temporis verè „ pœnitentes, & Confessi Sacrosan- „ ctum Eucharistiæ Sacramentum „ sumpserint; quoties id egerint, „ plenariam omnium suorum pec- „ catorum indulgentiam, & remis- „ sionem misericorditer in Domino „ elargitur. Parochos insuper per „ idem tempus, semel tantum in „ anno, Exercitiis hujusmodi va- „ cantes, a residentia benignè ab- „ solvit. Quod ipsum servari præ- „ cipit quoad Canonicos, Benefi- „ ciatos, aliosque personali resi- „ dentia obstrictos, & Chori servi- „ tio mancipatos, quos nihilomi- „ nus lucrari decernit integros „ fructus, & quotidianas suorum „ respectivè Canonicatuum, & Be- „ neficiorum distributiones quas- „ cumque, perinde ac si Choro, „ divinisque officiis personaliter „ interessent, dummodò tamen „ eadem Exercitia peragant, ob- „ tenta prius ab Ordinario licentia, „ a quo nullatenus concedenda „ erit Adventus, & Quadragesimę „ tempore, ac in solemnioribus „ festivitatibus, nec umquam om- „ nibus simul Canonicis, aliisq; Cho- „ ro inservientibus, sed eo adhibito „ modo, ut Chori servitiū nequa- „ quā intermittatur: & quoad Paro- „ chos idoneis priùs subrogatis Oe- „ conomis ab ipsomet Ordinario „ approbandis, qui animarum curā „ laudabiliter administrent. Man- „ dat insuper Sanctitas Sua, ut hæ „ literæ publicentur in ista Diœce- „ si, & in Cancellariæ regestis pro „ perenni eorum, quæ in illis con- „ tinentur, observantia describan- „ tur, & ad hunc ipsum finem quo- „ libet triennio earum publica- „ tio in posterum renovetur.

„ Quæ omnia ità diligenter ab „ Em. Vestræ vigili providentia, „ ac pastorali solicitudine præstan- „ da fore confidit Sanctissimus Pa- „ ter, ut a Sanctitate sua laudem, „ ac Cœlesti vero bonorum ope- „ rum Retributore condigna prę- „ mia valeat promereri: & Emi- „ nentiæ Vestræ manus humillimè „ deosculor. Datum Romæ die 1. „ Februarii 1710. Humillimus, & „ Addictissimus Servitor B. Cardi- „ nalis Panciaticus Præf. V. Petra „ S.C.C. Secret.

Ex Synodo XXVIII. tit. III.

CAPUT XV.

Methodus, aliàs lata, super hebdomadalibus minorum Urbis Clericorum Congregationibus in Seminario habendis, Synodi Decreto confirmatur, ejusque observantia inculcatur.

UT Clerici in Dei sortem vocati, non quæ hominum quærant, sed quæ Dei, sunt, sapiant (*a*), eo debet unusquisque a Seculi conversationibus abstinere, quò eorum Status à Secularium nosci- tur ratione distare. Hac Clericos pro nunc omnes, nostrā qui qualibet ex causa incolunt Civitatē, disciplina imbuendos, singulis diebus Dominicis in nostro Seminario, mentalis ubi orationis praxi, sacrorumque Ecclesiæ incubent ministeriorum exercitio, congregari mandavimus. Quam verò in lata Notificatione, sequenti Appendici annectenda, super his methodum prę- scripsimus, Synodali modo hac no- stra

(*a*) Matth. 16. v. 23.

ſtra Conſtitutione firmamus, & debitæ ab his ſemper, ad quos ſpectat, executioni mandari jubemus.

TITULUS XIV.

DE CLERICIS CONJUGATIS, ET DIACONIS SYLVATICIS.

Ex prima Syn. Cap.13.

CAPUT I.

Clerici conjugati à Vicario Generali, & Parochis non admittantur, niſi probatorum requiſitorũ ſchedulam habeant ab ipſo Archiepiſcopo ſubſcriptam.

CLericos illos, quos chimæricos potius dicimus, nempè conjugatos, non bigamos, qui ſi veſtem deferant, dempto colore, laicalem forma, ornatu, & inciſuris præſeferunt: Tonſuram nullam agnoſcunt: nulli Eccleſiæ deſerviunt; ſed in aliquibus interdum proceſſionibus apparent, ad deformandum potiùs, quam ad Clericalem cœtum complendum, pro nihilo habentes, quicquid cap.unicum de Cleric.conjug. in 6. & Trid. 23.cap. 6. præcipiunt; hos, inquam, Conjugatos Clericos hujuſmodi à Clericali ordine proſcribimus, diſtrictè mandantes, ne Vicarius noſter Generalis monitorium ullum pro eiſdem, ſi in laicalem Curiam inciderint, expediat; nève Parochi ad Proceſſiones inter Clericos admittant, niſi ſchedulam oſtendant, noſtra manu ſubſcriptã, qua Vicarius, & Parochi prædicti doceantur, eos omnia Clericalia requiſita habere, quorum probationem nobis ipſis reſervamus, ut his monſtris aditus præcludatur, qui dum actu foris vivunt, & in Canonem peccant, Canonis & fori privilegio gaudere fraudulenter contendunt.

Ex Decima Synodo tit. 4.

CAPUT II.

Diaconi Sylvatici qua diſciplina continendi.

NE Diaconi, qui Sylvatici appellantur, ad Sylvas potiùs, quam ad Eccleſias pertineant, Rectores Eccleſiarum, quarum ſervitiis adſcripti ſunt, eos ad illa compellant: ut earundem ſcilicet Eccleſiarum pavimenta verrant, lampades concinnent, campanas pulſent; parœciæ pueros, puellaſque, Chriſtianæ Doctrinę rudimentis imbuendas convocent, & ad Eccleſiam ducant, docenti aſſiſtant, eumque coadjuvent. Quod ſi hujuſmodi ſervitia præſtare contempſerint, eorum nominibus ad Nos delatis, in antiquas Sylvas reiicientur.

TITULUS XV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

Ex Synodo XXI. tit. II.

CAPUT I.

Parochi ultra biduum, sine Archiepiscopi licentia, ab eorum cura non absint, sub trium aureorum pœna. Graviter contumaces fructuum subtractione, aliisq; pœnis canonicis punientur.

CUm Sacrosancti Trid. Concilii Decreto sancitum sit (*a*), ut Parochi, *quandocumque* eos ab eorum cura abesse contigerit, causam coram Episcopo cognoscendam, & per ipsum probandam, exponant: pro hinc Nos omnibus, & singulis nostræ Civitatis, & Archidiœcesis Parochis, qui ut nuper relatum est Nobis, per bimestre, absque pœnarum per Sacros Canones inflictarum metu, a cura, Nobis inconsultis, abesse, putant sibi licere, præcipimus, ne ultrà biduum (*b*) absque facultate per Nos, nostrumve Generalem Vicarium in scriptis, & gratis, cõcedenda, idoneo tamen Oeconomo relicto, sub trium aureorum pœna pro unaquaque vice exigenda, ullatenus ab eorum Parochiali statione discedant. Si quis igitur contra Decreti hujus dispositionem graviter abesse prosequetur, eum pro rata temporis absentiæ fructuum subtractione puniemus; aliis quoque pœnis, contra non residentes impositis, (*c*) cum contumacia creverit, irremisibiliter processuri.

Ex Synodo XXXIV. tit. III.

CAPUT II.

Pro Clericis discessuris a Diœcesi dimissoriales literæ de more nonnisi a Curia Archiepiscopali expediendæ: quæcumque aliæ, a quovis concessæ, nullæ, & irritæ decernuntur.

SAcrorum Canonum (*d*), ac præcipuè Tridentini Concilii, (*e*) sanctionibus inhærentes, Clericis quibuscumque ab Archidiœcesi nostra pro libito exeundi, & absque Curiæ nostræ licentia in scriptis obtinenda, dato Edicto in I. nostra Diœcesana Synodo (*f*) facultatem omnem ademimus. Cumque Clericorum quidam, ac ipsi certè Ecclesiastica, quæ personalis residentiæ munus exquirunt, beneficia obtinentes, licentiam aliquandò a Vicario nostro Generali, plerumque ab Auditore, & a Nobismet (altero, ab altero concessam ignorante) extorqueant; unde sæpiùs, & quosdam delicto aliquo penès Curiam irretitos, liberos abire, & ut plurimum Ecclesiarum servitium ab eis, qui tenentur, longa pati detrimenta contingit: decernimus idcircò, consuetas literas dimissoriales, nonnisi a Vicario Generali prædicto, vel eo a Civitate absente, a Provicario in Curia nostra Archiepiscopali deinceps expediendas: licentiam quamlibet abeundi a quovis alio, etiam a Nobis, impetratam, seù potiùs extortam, nullam ex nunc, ac irritam declarantes, nemini, quin pœnas in Edicto præfato statutas incurrat, suffragaturam.

(*a*) Seff 23 de refor.cap.1. (*b*) S.C.C in Terracin.11.Febr.1628.& in Monopolitan. 16.Dec ejusdem ann.apud Barbos in Collect supra cit.cap. Syn. XI Diœc Mediol Tit. Monita, quæ ad Sacramental.& Sacramenta pertinent. Et ibid.Tit. quæ ad Divina Officia pertinent, & par.IV.Tit Instr.Variç in Instruct.ad Vicarios Foraneos.

(*c*) Conc.Trid.loc.cit.& sess.6 c.1.& 2. (*d*) Can.Dimissorias, & Canon.Episcopus dist.72.& Can.Non oportet de Conf dist 5. (*e*) Sess.6.de ref.cap.1.& sess 23.cap.1.

(*f*) Edicto IV.de Vita, & Honest.Cleric.§ 9.& 15.

TITULUS XVI.

DE PRÆBENDIS, DIGNITATIBUS, ET CANONICIS.

Ex prima Synodo cap. III.

CAPUT I.

Theologus vulgari sermone, & morali doctrina sacros libros exponat.

NE Cælestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Summa liberalitate (ut Tridentinum loquitur) Spiritus Sanctus hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuimus, & decernimus, ut singulis Dominicis diebus per Patrem Theologum vulgari sermone, moralique doctrina, omnium captui aptè disposita, referetur in eum modum, quo jam laudabiliter a nostro in hanc Civitatem adventu inchoavit.

CAPUT II.

Clerici Choro addicti lectioni quoque assistant sub pœna amissionis distributionum illius diei.

QUia verò frustra paterent thesauri valvæ, si nullus esset, qui ad Cœli divitias sibi comparandas introiret, mandamus, ut singuli Clericorum cujuscumque dignitatis, & gradus existant, qui Choro interesse tenentur, lectioni pariter assistant; quod si secus fecerint, pro illa die punctentur, veluti si a Divinis Officiis absentes fuissent. Crescente denique contumacia, crescet pœna arbitratu nostro exigenda.

CAPUT III.

Confessarii etiam intersint, alias a Confessionibus audiendis suspendantur.

COnfessarii pariter ab eadem lectione non absint; quod si notabiliter absfuerint, a Confessionibus audiendis se suspensum iri pro certo sciant.

CAPUT IV.

Cæteri Presbyteri huic lectioni non assidui a beneficiis arcebuntur; Clerici non interessentes ad majores ordines non provehentur.

REliqui Sacerdotes, si hujusmodi lectioni audiendæ assidui non fuerint, ad Beneficia Ecclesiastica non admittentur. Clerici verò, nisi P. Theologus testatus fuerit, eos ab lectionibus non absfuisse, ad ordines non promovebuntur, nā qui scientiam repulère, repelli debent, nè Sacerdotio fungantur.

CAPUT V.

Theologus absentium nomina deferenda curet, ut impositas pœnas contumaces persolvant. Ipsa autem crescente contumacia, pœna unius libræ ceræ elaboratæ contrà ipsos infligitur.

IDcircò Pater Theologus aliquem sibi notum destinet, qui absentium nomina in catalogum referat, & absentiæ vices adnumeret; ut impo-

po-

poſitas pœnas contumaces perſolvant, quæ ſi creverit contumacia, ſingulas elaboratæ ceræ libras (*a*) pro ſingulis abſentiis exigendas præcipiemus.

CAPUT VI.

Theologus duodenas tantùm lectiones ſingulis annis omittere poterit, ſi feriari velit.

QUod denique ad P. Theologum pertinet, ſi animi gratia, velit aliquando a lectionibus feriari, id ſibi permiſſum ſciat, dummodo a S.T.C. præſcriptum tempus feriæ non excedant, quod tempus tribus tantùm menſibus metiri fas eſt; & Nos duodenas lectiones ſingulis annis omitti poſſe declaramus; cum quaternæ in menſes ſingulos haberi ſoleant.

Ex eadem prima Synodo. cap. 12.

CAPUT VII.

Canonicalium Ordinum diverſitas in Eccleſia Metropolitana ſemper fuiſſe oſtenditur.

CVm militantis Eccleſiæ Hierarchia, quam Archiepiſcopus cum ſuo Capitulo præcipuè efformat, triumphãtis inſtar inſtituta ſit; ſicut in illa diverſorum Ordinum Angeli adnumerantur, ita & in iſta eadem ordinum diverſitas Eccleſiaſticum decus mirum in modum adauget. Quamobrem factum eſt (ut uſque a S. Martyre Januario, & Succeſſoribus ejus in hac Cathedra, innumeris documentis habetur) ſemper in hac Metropolitana Canonicalium ordinum diverſitatem fuiſſe, in eaque alii Canonici Presbyteri, alii Diaconi, alii Subdiaconi inſerviſſe perhibentur.

CAPUT VIII.

Ordinum diſtributio intermiſſa reſtituitur. Presbyt. 17. Diaconorum 7. & Subdiaconorum trium numerus, & locus in Choro ſtatuuntur.

QUia verò aliquando hæc laudabilis, & perantiqua conſuetudo intermiſſa fuit, Nos Sacri Concilii Trid. Sanctionibus (*b*) & Sacrar. Congregationum (*c*) Epiſcoporũ, Rituum, & Concilii declarationibus (ex quibus habetur, quod de Conſilio, non autem de conſenſu Canonicorum fiat talis Ordinum diſtributio, etiamſi præſupponatur adeſſe conſuetudinem omnes Canonicatus eſſe Presbyterales) firmiſſimè inhærentes; eo vel maximè, quod hęc ordinum diſtributio, ut prætulimus, in hac noſtra Metropolitana ſemper fuit, habito conſenſu, nedum conſilio Canonicorũ noſtrorum; mandamus, perpetuoque ſtatuto firmandum decernimus, ut ex ſeptem, & viginti Canonicis comprehenſis paritèr Dignitatibus, ſex Dignitates, undecimque primi antiquiores Canonici Ordinis ſint Presbyteralis: ex reliquis decem, ſeptem penultimi pro tempore ſint Diaconalis, juxta numerum Sacris Canonibus (*d*) præſcriptum: tres ultimi item pro tempore (hoc eſt, ut novis accedentibus Canonicis, quiſque ſivè Diaconalis, ſivè Subdiaconalis ſit Ordinis, ad majorem ordinem ſuo jure, & abſq; ulla declaratione aſcendat) Subdiaconalis Ordinis nuncupentur. Qui Canonici, & Diaconi, & Subdiaconi in ſedendo ordinem diſtinctum a Presbyteris conſtituant; ita ut in Stallo, quod ultimum nunc eſt, ſedeat primus Diaconus, & alii ſucceſſivè in parte Superiori: deindè Subdiaconi.

I 2 CA-

(*a*) Congr. Epiſc. 16 Mart. 1593. (*b*) Seſſ. 24. de ref. c. 12. (*c*) Congr. Epiſc. Regien. 21 Febr. 1581. Cõgr. Rit. Sarzan. 15. Jan. 1640 C.C. Cæſenat. 1. Junii 1660. 23. Nov. 1680. (*d*) Cap. Diaconi 2. diſt. 93.

CAPUT IX.

Consueta Canonicorum Canonico celebranti assistentia, ut laudabilis confirmatur.

LAudabilem prætereà consuetudinem, quam in hac nostra Metropolitana reperimus, nempè ut Canonici Canonico Sacris solemniter operanti pro Epistola, & Evangelio decantandis assistant, commendamus; quinimmò, quia duo ultimi Canonici hoc munus anteà præstabant, nunc facta Ordinum distributione, eos tanto labore levamus, cum inter decem partiendum sit onus, quod duobus tantum incumbebat.

CAPUT X.

Unus ex septem Diaconibus, & alter ex tribus Subdiaconibus Canonico solemniter celebranti suis vicibus assistent.

EX Septem itaque Diaconibus, & tribus Subdiaconibus, suis vicibus, unus Diaconus & alter Subdiaconus Canonico solemnitèr celebranti deinceps assistent, qualibet contraria consuetudine, (*a*) quam abusum Sacra Rituum Congregatio declaravit, non obstante.

CAPUT XI.

Assistente Archiepiscopo, nullus Canonicorum, etiam vacationis prætextu, à Choro absit, nisi de ejus licentia.

QUod verò ad Chori frequentiam attinet, ut Nos nostri muneris partes implemus, Dominicis (*b*), festivisque diebus, juxtà Sac. Can. divinis officiis interessentes, ita & præcipimus, ut Nobis assistentibus, nullus Canonicorum, nec etiam titulo vacationis, [*c*] à Choro absit, nisi de nostra expressà licentia, ut a Sacro Tridentino Concilio (*d*) cautum est, aliàs pro contumaciæ modo pœnas arbitratu nostro solvendas dabunt. Pati enim non possumus, ut (quod non raró accidit) cum tribus, aut quatuor tantum Canonicis, præsentibus Nobis, divina officia persolvantur.

Ex tertia Synodo. Cap. 15.

CAPUT XII.

Canonici insignia sua contemnentes tali nomine indigni.

NOn raró in Sacris Canonibus Clericalis militia cum Seculari confertur. [*e*] Sicuti ergo Seculares militiæ suæ tesseram abjicientes, inter desertores numerantur, ita, & Canonici Insignia sua contemnentes, Canonicorum nomine sunt indigni.

CAPUT XIII.

Caputia Canonicorum Sancti Spiritus ad pristinam formam revocantur. Abbati, si Protonotario rocchettum, & mantellettum in Sacris functionibus permittitur.

HAnc solicitudinem commendavimus in nostro Collegio S. Spiritus, quod cum olim de anno 1367. Almutialibus Caputiis ab Hugone prædecessore nostro decoratum fuisset; moderni Canonici præfata insignia in deformem laciniam conversa reperientes, in Sacra Visitatione nobis humiliter institе-

(*a*) C. Rit. 7. Sept. 1593. 14 Febr. 1615. 31. Mart. 1629. 8. Mar 1631. 8. Febr. 1632.
(*b*) C. Episcopus si infirmitate 4. de consecrat dist. 3. (*c*) Garz. p. 3. c. 2. n. 496.
(*d*) Sess. 24. cap. 12. (*e*) C. si officia dist. 59. & C. C. seq.

ſtiterunt, ut præfata Caputia ad priſtinam formam revocaremus, & quatenus opus eſſet, rurſus concederemus (*a*). Nos juſtis eorum precibus annuentes die 3. Aprilis currentis anni in eadem Sancta Viſitatione decrevimus, ut deinceps Almutialia Caputia ex pelle alba, & rufa (quam griſam vulgus appellat) cum ſubtegmine ex ſerico roſaceo deinceps geſtarent. Abbas verò, cum Protonotarius Apoſtolicus fuerit, ob decentius ſuæ dignitatis ornamentum, quod & Sacra Rituum Congregatio definivit (*b*) tam in Eccleſia, quam extra, in Sacris functionibus cum Rocchetto, & Mantelletto incederet. In cujus noſtri Decreti executionem die 14. Aprilis ejuſdem anni dilectus Filius noſter M. R. D. Pompejus Sarnellius S. Theol. & V. J. Doct. Protonot: Apoſtolicus, Auditor noſter, & ejuſdem Collegii Abbas præfatos S. Spiritus Canonicos nobis humiliter præſentavit, quibus, eo rurſus inſtante, præfata Almutialia Caputia ſolemniter impoſuimus. Ideoque idipſum Decretum præſenti conſtitutione firmamus, eique perpetuum firmitatis robur adiicimus.

CAPUT XIV.

Canonicis Collegiatarum Diœceſenarum Zambardæ inſtar Collegiatæ S. Bartholomæi ſub pœna ducatorum decem geſtandæ præcipiuntur, excepto Abbate Paludis, qui Rocchetti, & Mantelletti uſum habet, & Collegio Montis Calvi, cujus Abbas Cappa more Canonicorum, cujuſque Canonici Cappis more Manſionariorum Metropolitanæ ex Apoſtolico indulto utuntur.

Hoc exemplum ſecutæ reliquæ Collegiatæ Eccleſiæ Diœceſanæ, quæ Canonicalia inſignia vel abjecerant, vel deformia geſtabant, nempè Altavillæ, Montisfuſcoli, Morconis, Paludis quoque, (excepto Abbate, qui Rocchetti, & mantelletti uſum habet, & in Collegiata Montis-Calvi, ex Apoſtolico Indulto, uſus eſt Capparum, Abbati inſtar Canonicorum noſtræ Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ, & Canonicis inſtar Manſionarorum noſtrorum) nobis humiliter inſtiterunt, ut in hac noſtra Synodo abuſum, vel inſignia non deferendi, vel deformia geſtandi eliminare dignaremur: Nos igitur, cum juſta petentibus non ſit denegandus aſſenſus, præſenti conſtitutione, ſancimus, ut Canonici Collegiatarum noſtrarum Altavillæ, Montisfuſcoli, Morconis, Paludis, infra tres menſes Canonicalia inſignia uniformiter habeant, inſtar eorum, quæ Zambardas nuncupata, Canonici noſtræ Collegiatæ Eccleſię S. Bartholomæi geſtare conſueverunt, ſub *pęna ducatorum decem*, à quolibet Canonico Decretum hoc infrà ſtatum tempus non exequente ſolvenda, & aliis pro contumaciæ modo, arbitrio noſtro reſervatis.

CAPUT XV.

Canonici Collegiatarum omnium ſua inſignia in Sacris functionibus tàm intrà, quam extrà Eccleſiam deferant: quoties dimiſerint toties diſtributiones per tres dies amittant.

Diſtrictè quoque præcipimus, ut Canonici omnes Collegiatarum noſtrarum tam Civitatis, quàm Diœceſis, ſua inſignia ſemper in Choro, in Eccleſia, & in aliis functionibus deferant; aliàs qui neglexerint, ſi quod Canonicale munus ſine præfatis Canonicalibus inſignis tam intrà, quàm extrà Eccleſiam exe-

(*a*) Novarius, & Zerola citati apud Dian. Coord tom. 3. tract. 3. reſol. 83. num. 2.
(*b*) Sac. Rit. Congr. 21. Aug. 1601. apud Gavant. in manual. verbo Proton. in addit. n. 9.

qui præsumpserint, *quotidianas distributiones per tres dies amittant*, & crescente contumacia, alias pœnas arbitrio nostro reservatas se noverint incursuros.

CAPUT XVI.

Quatuor dignitates Collegij Sancti Spiritus olim annuales, bullatæ, & perpetuæ fiunt.

DEcretum tandem a Nobis editum in Sancta Visitatione die 3. Aprilis currentis anni, ut quatuor Dignitates nostri Collegii S. Spiritus, nempè Abbas, Præpositus, Primicerius, & Decanus, quæ ab ipso Collegio olim annuatim vel eligebantur, vel confirmabantur, deinceps a præfato Collegio nominatæ, & præsentatæ, & a Nobis, ac Successoribus nostris Archiepiscopis, per consuetas Bullas sub plumbo institutæ, & confirmatæ, perpetuæ sint: præsenti constitutione, firmatum, perpetuò servari præcipimus.

Ex Quarta Synodo cap. 15. & 16.

CAPUT XVII.

Dantur Regulæ pro Capitularibus Congregationibus, singulis hebdomadibus habendis.

CApitale Capitulorum crimen est, Capitulares Congregationes, quæ singulis hebdomadibus habentur, non ea, qua par est, ratione cogere. Ex hoc enim multa mala in communitatem derivantur. Ad ea igitur removenda, Regulas damus, & Appendici hujus Synodi evulgamus insertas, ac præsenti Constitutione firmamus, quibus se Capitula omnia, tam nostrum Metropolitanum, quàm nostrorum Collegiorum Civitatis, & Diœcesis deinceps conformabunt, ni pœnas in illis statas, & contentas subire maluerint.

CAPUT XVIII.

Diversi in Ecclesia gradus instituti, ut per eos meritum provehatur.

NOn idcircò diversi in Ecclesia gradus Ordinum, Officiorum, & Dignitatum instituti, ut quisque in eo, quem suscepit, perpetuò subsistat; (a) sed ut tyro ante sit, quàm Dux, & priùs velit discere, quàm docere, donec per gradus ascendendentis, & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia anteacta testentur.

CAPUT XIX.

Ut Mansionarii idonei magis deinceps habeantur, ex eisdem tantùm ad Canonicatus assumentur.

CUm igitur sexdecim in nostra Metropolitana Ecclesia Mansionarii sint, qui Chori pondus sine intermissione comportant, ut & hilariùs id ferant, & magis idonei Clericorum ad idipsum gerendum se accingant, rationi congruum visum est, quatenus ex eisdem Mansionariis tantùm ad Canonicatus in posterum assumantur.

CAPUT XX.

Refertur conventio inter Capitulum, quod in quasi possessione est in mensibus Ordinarii Canonicos Metropolitanę eligendi, & Archiepiscopum, ut nullus in posterum Canonicus, nisi ex Mansionariis assumatur, exceptis dictæ Metropolitanæ Dignitatibus.

QUoniam autem Capitulum nostrum Metropolitanum in quasi possessione est, in mensibus Ordinarii, Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ eligendi, cum eo convenimus, ut nec Nos, nec ipsi Canonicos Metropolitanæ prędictæ (Dignitatibus ejusdem nostræ Metropolitanæ Ecclesię exceptis) nisi ex Mansionariorum Collegio deinceps assumeremus

(a) C. Si officia dist. 58.

ſtemus, idque publico documento firmatum, (quod in Appendice ad perpetuam rei memoriam apponemus) de conſenſu ejuſdem noſtri Capituli præſenti Cōſtitutione perpetuò roboramus.

CAPUT XXI.

Canonicus in Subdiaconatus ordine non conſtitutus, infra annum, voce, non diſtributionibus privatur. Poſt annum ſi culpabiliter Subdiaconus non fuerit, dimidia diſtributionum parte carebit. Manſionarios hæc pœna non tangit.

CUm Tridentina Synodus ſtatuerit, (*a*) ut quicumque in Cathedrali, & Collegiata Eccleſia, divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in Capitulo non habeat: ex hoc decreto perperam intellecto uſus, ſeù potius abuſus, invaluit, ut quisquis in Subdiaconatus ordine con conſtitutus, ſicut voce, ita & diſtributionibus privetur. Hoc enim ſimpliciter verum non eſt, nam hi, non Subdiaconi, aut Canonici ſunt, aut Manſionarii. Si Canonici, infra annum, quo Subdiaconatum non ſuſcipiunt, voce quidem carent, ſed diſtributionibus gaudent; elapſo verò anno, & ſua ipſorum culpa in Subdiaconatus ordine non conſtitutis, (*b*) dimidia dumtaxat diſtributionum pars ſubtrahitur: Si Manſionarii fuerint, cum nullo hoc vinculo teneantur, etiam ſola prima tonſura initiati integris diſtributionibus, dummodò interſint, fruuntur.

CAPUT XXII.

Diſtributiones pro ratione Sacrorum ordinū Canonicis aſsignatæ, ut contra mentem Tridentini, & Chori ſervitio adverſæ, refellantur.

HInc patet, abuſum pariter eſſe, ut Subdiaconi una diſtributionum parte, Diaconi duabus, & Sacerdotes integris gaudeant diſtributionibus: tum etiam, quia contra mentem Tridentini eſt, quod abſque limitatione (*c*) decrevit: *Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant*: tùm denique Chori ſervitio noxium; nam qui in Sacris non ſunt, Chorum deſtituunt, & Eccleſia debitis defraudata obſequiis, non exiguum in ſpiritualibus patitur detrimentum: ut accidit noſtrę Metropolitanę Eccleſiæ Manſionariis, ex quibus plures in minoribus conſtituti pondus diei, & æſtus portantes, nec pares in diſtributionibus facti ſenioribus, qui torquendam eis ſtivam commiſerunt, vel Chori frequentiam deſerunt, vel pondus ipſum ægrè admodum ferunt.

CAPUT XXIII.

Statuitur diſtributiones in omnibus Eccleſiis, ubi horæ Canonicæ in Choro perſolvuntur, pro ratione intereſſentium, non Sacrorum Ordinum dividi, excepta portione Sacerdotibus debita, pro miſſarum celebratione.

QUapropter ubique Eccleſiarum noſtræ Civitatis, & Diæceſis, ubi horæ Canonicæ cum cantu perſolvuntur (attenta Canonicorum, non Subdiaconorum, limitatione) omnibus etiam nondum in Sacris conſtitutis, qui Chori pondus

(*a*) Seſſ. 22. de refor. cap. (*b*) Clem. ut iis de ætat. & qual.
(*c*) Seſſ. 24. de reform. cap. 12.

dus comportant (excepta portione Sacerdotibus pro missarum celebratione debita, quæ eadem pro Missis cum cantu, ac sine cantu ad hunc effectum taxetur) distributiones æqua lance dividi præsenti Constitutione perpetuò valitura mandamus.

CAPUT XXIV.

Abbatialis Dignitas Beneventi sub Urbano PP. II. primùm infulis exornata. In Collegio S. Spiritus Alexander PP. VIII. Abbatem tunc existentem ad ipsius vitam omnibus Pontificialibus insigniis decorat. Eundem Abbatem Archiepiscopus auctoritate sua solemni ritu benedicit Anno 1690.

ABbatialem Dignitatem, qua nulla post Pontificalem major, primus omnium in Concillo IV. Beneventano, quod magnus Cardinalis Baronius generale appellat (*a*) ipsis Pontificialibus insigniis exornavit Urbanus Secundus anno post Christum natum (*b*), 1091. S. Petro Cavensi Abbati Mitram concedens; quod & aliis deinde Sanctis Monachis Abbatiali munere fungentibus largiter indultum, Ecclesiasticæ Historiæ testantur [*c*] Et in Nostris annalibus præclarissimū est, quod A. D. 1276. Clar. Mem. Romanus de Caposerris Archiepiscopus S. Petrum de Marone (deinde Cœlestinum V. Pont. Max.) Abbatem S. Mariæ de Faifolis hujus Diœcesis a se designatum, consecravit: *In qua functione, ut noster Ciacconius refert (d) novam Monachorum Eremitarum Congregationem, titulo S. Damiani, sub regula verò S. Benedicti, quæ postea Cœlestinorum vocata est, instituit.* Tantum decus, quod Beneventi ortum habuit, & incrementum, ac in religiosissimis viris, monasticam vitam in eadem nostra Urbe, & Diœcesi professis, jamdiù claruit, & ad hæc usque tempora in Monasteriis Regularibus utrobique refulget, secularium Canonicorum Abbati in Nostra Civitate olim commune fuisse traditum est. SS. verò Pater noster Alexander PP. VIII. idipsum de Apostolica benignitate excitavit; nam ex voto Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium super Ritibus Ecclesiasticis præpositorum, nostroque humili accedente consensu, dilecto Filio nostro M. R. D. Pompejo Sarnellio Sac. Theol. & V. I. Magistro, & Doctori, Protonotario Apostolico, Auditori nostro, nostrique insignis Collegii S. Spiritus Abbati singulari privilegio clementissimè indulsit, ut tam intra Collegiatam Ecclesiam, quàm in nostra Civitate, & Diœcesi, Pontificialibus insigniis uteretur; prout latiùs ex Apostolico Indulto, dato Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 4. Aprilis decurrentis anni, quod in Appendice hujus Synodi apponemus, patebit. Quapropter assistentibus Nobis ex utriusque nostræ præfatæ Civitatis Canonicæ Ordinibus P. D. Sylvestro Brencola Lateranensi, & P. D. Lucio Comite S. Salvatoris Abbatibus, eundem M.R.D. Pompejum Sarnellium die 14. Maii ejusdem anni in festo Sacratissimæ Pentecostes, præstito priùs in manibus nostris canonico fidelitatis juramento, auctoritate Archiepiscopali, solemni ritu statam benedictionem largientes, Abbatem nostræ manus impositione consecratum (*e*) Pontificalibus insigniis decoravimus: Quod ut omnibus nostræ Archidiœcesis

(*a*) Baron. an. 1091. (*b*) Surius tom. 2 die 7. Aprilis Gavant. par. 2 tit. 1. de præp. Sacerd. Verbo Mitra. Chronic. Car. ubi de S. Petro. (*c*) Cartipatens.
(*d*) Ciaccon. in vita S. Cælestini V. (*e*) C. Quoniam dist. 69. c. Alienationes 12. q. 2.

cessis Ecclesiasticis innotescat, & rei memoria nullo unquam tempore intereat, hoc nostro synodali Decreto evulgamus.

Ex XVIII. Syn. tit. III.

CAPUT XXV.

Pro Ecclesiarum bonis ab invasoribus vindicandis Doctoralis prebenda cum dote ducatorum mille in Metropolitana erigitur.

UT nihil desit, quod Pastorali nostro cum primis incumbit officio, quam hactenus in Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum facultatibus ab execrabili quorundam rapacitate vindicandis, sollicitudinem pro posse adhibuimus, nedum sartam tectam futuris permanere temporibus exoptamus; & insuper ad idem aliis exequendum opportunæ commoditatis auxilia quàm libentèr impartimur. Quamobrem in Ecclesia nostra Metropolitana, Antiquiùs Theologali, & a nobis anno 1692. Pænitentiariæ præbendis insignita, Doctoralem nuper, ut in plerisque Castellæ, & Legionis Regnorum Cathedralibus, de Metropolitani nostri Capituli Consilio, & consensu, pro uno ex Canonicis, in utroque jure Laureatis, ereximus; & Dotem annuam ducatorum quinquaginta, ex capitali ducatorum mille a Nobismet constituto, provenientium, perpetuò fundavimus.

CAPUT XXVI.

Canonici Doctoris munus enunciatur.

SVa erit, qui præbenda hujusmodi provisus fuerit, bonorum, juriumque Ecclesiasticorum defensioni, & recuperationi viriliter studere, ejusque Patrocinio Ecclesiis illis, & locis piis occurrere, quorum Rectores, Administratoresve, aut præ inopia non queunt, aut potentium metu, & opibus adversariorum illa recuperare non audent. Attendat igitur, nè verbis tantummodo profluus, sed charitate, operis videlicet exibitione, sit fervidus, nevè (quod Deus avertat) fures, & invasores videns, cum eis currat, & qui Christi Patrimonii constitutus est advocatus, proditor fiat, & dissipator.

CAPUT XXVII.

Erectionis Bulla, singulaq; e in ea contenta confirmantur.

HÆc, & cetera, quæ in nostra Erectionis Bulla, quam sequens dabit Appendix, addenda, & enuncianda voluimus, ut in posterum illibata persistant, Synodali etiam munimine roboramus.

Ex XXXII. Synodo tit. III.

CAPUT XXVIII.

Archiepiscopi decretum anni 1692. super quarundam ceræ librarum numero, annuatim Archipresbiterali Prębendę a Mensa Archiepiscopali præstando enunciatur.

CVm ex antiquis in nostra Metropolitana præbendæ fuerit Archipresbiteralis candelas in Altari tantùm Majori pro Ecclesiasticis (non autem Archiepiscobalibus) functionibus comparare: Nosque de anno 1692. in reformatione, & ordinatione novę, de mandato tunc nostro excusæ, Missarum Conventualium Tabellæ quædam nonnullarum super solemnium, etiam Ponti-

K tifi-

tificalium functionum, ac majoris cereorum numeri accessione statuerimus; sequens quoque, quod in dilectissimi Capituli nostri Metropolitani Capitularibus (*a*) italico est sermone renunciatum, debuimus ferre pro æquitate decretum; videlicèt.

„ XIII. Demum verò pro lu-
„ minum augumento, in dictis so-
„ lemnitatibus per Nos facto, de-
„ cernimus, per nostræ Mensę Oe-
„ conomum dil. Fil. nostro Perill.
„ & Adm. Rev. Domino Julio de
„ Marco Archipresbytero, ejusque
„ Successoribus in perpetuum li-
„ bras cerę elaboratę sexaginta 2.
„ singulis annis persolvi; eidem-
„ que pro Missis, ac functionibus
„ Pontificalibus per Nos, nostros-
„ que Successores in dicta Ecclesia
„ nostra Metropolitana, libras cen-
„ tum ceræ pariter elaboratæ,
„ etiam singulis annis persolvi
„ mandamus; ni potiùs Nobis, aut
„ Successoribus nostris placuerit in
„ qualibet Pōtificali functione per-
„ agenda, ut supra, per ejusdem
„ Mensæ Oeconomum pro rata ce-
„ ram opportunam exiberi,

CAPUT XXIX.

Ad Mensæ levamen, & futuram Præbendæ cautionem, huic Archiepiscopus ducatos mille pro tali ferendo onere exolvit.

CUm in hujus executionem Decreti id totum a Nobis sit inde servatum; nè quod providè ad cultus augmen Divini aliquando statutum fuisse cognovimus, in futurum cum ejusdem detrimento mutari quoquo modo pateremur; Mensæ nostræ Archiepiscopali, nostrisque Successoribus Archiepiscopis annuam Nos hujusmodi pensionem adimere, & Præbendæ eidem firma simul consulere provisione decrevimus. Quamobrem Præbendæ ipsi mille ducatorum capitale hoc anno exolvimus, quorum fructus, prout in Instrumento Synodali Appendici alligando, est cautum, præcipuò huic candelarum ferendo oneri obnoxios, atque in perpetuum addictos voluimus, ac declaravimus: quod paritèr pro eorumdem firmiori, si opus sit, stabilitate pactorum; præsenti nunc denuò Constitutione decernimus, volumus, ac declaramus.

TIT.

(*a*) Cap. V. dell' Uffizio dell'Arciprete n. 16.

TITULUS XVII.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.

Ex nona Synodo. tit. VII.

CAPUT I.

Pro dotibus non capitalia, sed fructus dentur a locorum piorum Oeconomis. Si quæ data sint in proprietatem, revocentur sub excommunicationis pœna. Absque Archiepiscopalis Curiæ licentia contractus cujuscumque generis ne fiant.

MAgnum profectò damnum Confraternitatibus, locisque piis inferunt Administratores illi, qui pro dotibus, ex legato conferendis, non fructus relictorum bonorum, sed ipsa bona stabilia, & sortes principales, quas capitalia vocant, attribuunt: qua dilapidatione bona Confraternitatis S. Bernardini Oppidi Altavillę, & nonnullarum aliarum, dissipata deplorantur. Quocirca, ne id de cętero fieri contingat, locorum piorum Administratoribus quocumque nomine nuncupentur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, Nobisque reservatę, omnimodis inhibemus; mandamusque, ut bona ejusmodi hactenùs dissipata, cum nulliter data sint in jus, & proprietatem Confraternitatum, locorumque piorum, revocentur; Meminerintq; Administratores huiusmodi excommunicationis pœnam in prima (a) nostra Synodo latam, Nobisque reservatam, quam pręsenti Constitutione pariter roboramus, in eos, qui absque nostrę Archiepiscopalis Curię licentia contractus, census, aut investituras bonorum Societatis fecerint, sivè animalia vendiderint; quę omnia, ut clariùs ipsi Administratores intelligerent, Confraternitatum Regulis in quartæ Synodi Appendice (b) vulgari idiomate datis, luculentiùs explicavimus, & modum in his casibus tenendum adjecimus, quem omninò observandum mandamus.

Ex decima Synodo tit. V.

CAPUT II.

Statutum, quo solemnitates pro Cap. Metropolitano, & Mansionariorum Collegio, præscribuntur, ne Canones in Censuationibus faciendis, vel innovandis ad libitum minuantur, in alia Collegia, & Beneficiarios extenditur.

ECclesiarum bonis non leve damnū inferunt (quemadmodum ex peculiari, & generali statu redditū Capituli nostri, nostriq; Mansionariorum Collegii, necnon aliarum Ecclesiarum, post terrẹmotum anni 1688. efformato deprehendimus) Præbendati, Ecclesiarum Rectores, & Beneficiarii illi, qui vel solemnitatum neglectu, vel acceptione personę, aut muneris, quod laudemium vocatur, eadem bona, sivè celeritatem pęnitendam non considerantes, sivè personæ favorē, aut pręsēs emphyteuticę renovationis premium, non quod successoribus futurum est damnum spectantes, pro tenui canone concedunt. Quocirca stabile, firmum, perpetuumque Statutum editum die 9. Julii currentis anni 1695. & in Capitularibus eiusdem nostri Capituli, auctoritate nostra firmatis insertum pro censuationibus faciendis, sive innovandis quoad missam Capitularem, peculiares præbendas, massamque Collegii Mansionariorum, præsenti

(a) I Synod. cap. XV. n. 4. (b) Append. Synod. IV. Cap. XVII. nu. 2.

ti quoque Constitutione roborantes, extendentesq;ad Collegia,Rectores, & Beneficiarios tàm Civitatis,quàm Diœcesis respectivè, mandamus, & districtè præcipimus, ne deinceps novæ censuationes, sivè antiquarum renovationes fieri valeant, nisi his, quæ subdimus, integrè servatis. videlicèt,

I. Ut res agatur in pleno Capitulo, in eoq;mature discutiatur.

II. Ut Capitulari decreto consueti Provisores deputentur,qui toties mittentur, quoties negotii opportunitas exposcet.

III. Iidem Provisores pleno Capitulo boni illius stabilis, quod censui dari debet, vel cujus est renovandus, statum referent.

IV. Tunc, & non priùs ipsum Capitulum ad deliberandum deveniet.

V. Facta deliberatione, Procurator Capituli, sivè cujuscumque Collegii, aut Præbendatus respective pro requisiti assensus, & beneplaciti expeditione in nostra Curia instabit.

VI. Ubi instantia habita fuerit, Curiam nostram regens pro Metropolitano Capitulo, & Mansionariorum Collegio Bibliothecarium primò, deindè Provisores(hos tantùm pro reliquis) vocabit; interrogabitque, ut circa statuendum Canonem suam sententiam, qua instruatur,proferat pro conscientia.

VII. Judex sic instructus, servata forma Constitutionum Synodalium, tum Provincialium Archiepiscopi Cardinalis Sabelli de anno 1567. cap. 1. *de Bonorum Ecclesiæ locationibus*, tum Diœcesanarum Archiepiscopi de Palumbaria de anno 1594.cap.3. de offc.Archidiac.& tit. de bonor. Ecclesiæ locationibus, necnon visitationis nostræ de anno 1694.cap. 1. de statu Oeconomico Capituli, & Collegii Mansionariorum n.6.requisitum assensum,& beneplacitum interponet.

CAPUT III.

Quomodo statutum quoad Beneficiarios extra Capitula intelligatur.

QUoad illos verò Ecclesiarum Rectores, & Benefisiarios,qui extra Capitulum, & Collegia existunt, ubi in nostra Curia institerint, Provisores ab eadem deputentur, ac cætera in Superiori Capitulo præscripta firmiter serventur: Nullumque suscipiatur laudemium in emphyteuticis, nisi priùs, an voluntaria Canonis diminutio fiat, per eandem Curiam inspiciatur, nè alicui liceat cum aliena jactura ditari.

CAPUT IV.

Pœna in contravenientes statuitur.

SI quis verò a supradictis sivè omnibus, sivè singulis respectivè declinabit, contractus ipso facto nullus sit, & invalidus; & transgressores pœnis (ultra a Sacris Canonibus contra alienantes bona Ecclesiastica sine juris solemnitatibus sancitas) etiam arbitrio nostro pro modo culpæ infligendis, plectentur.

TI-

TITULUS XVIII.

DE DEPOSITO.

Ex nona Synodo. tit. 8.

CAPUT I.

Statutum Provincialis Concilii de Deposito Parochi vulgari idiomate evulgent; Sacra Ædes in Civitate constituta editur.

QUod in nostro Provinciali Concilio de locorum piorum depositis statutum est Cap. V. Tit. XXIV. idipsum Parochi sub pœna ducati unius quolibet primo anni die post vesperas, & in die electionis Officialium Confraternitatum, locorumque piorum evulgent, & vulgari explicent idiomate, ut illis innotescat, omnia locorum piorum deposita apud ædem Sacram custodiri debere, donec emptiones, & investituræ, quæ magis expedire videbuntur, fieri commodè possint. Hujusmodi verò ædem Sacram in hac nostra Civitate, omnium rationi consulentes, constituimus. Qui verò Administratores, seù Oeconomi præfato conciliari decreto non paruerint, ipso facto ab Ecclesiæ ingressu se noverint interdictos, a qua censura non absolventur, nisi prius cum effectu depositum in ædem Sacram intulerint, damnisque inobedientiæ causa loca pia forsan passa fuerint, refectis. Parochi verò, qui trasgressores non denunciarint, decem ducatorum pœnam subibunt.

Ex decima Synodo. tit. VI.

CAPUT II.

Tenuia deposita ducatos viginti non excedentia, nè penès Archipresbyteros, & Beneficiarios, sivè locorum piorum administratores, sed penes tutam, & idoneam personam deponantur, anathemate cavetur.

QUamvis Ædem Sacram locorum piorum depositis, usque ad investituræ tempus custodiendis, ex Decreto nostri Provincialis Concilii cap. V. Tit. XXIV. in nostra Civitate constituerimus, constitutamque in nostra nona Synodo Cap. Unico Tit. VIII. denunciaverimus; quia tamen tenuia deposita ducatos viginti non excedentia ad eandem ædem deferre incommodum est, ea consueverunt ipsi Archipresbyteri, & Beneficiarii, ac locorum piorum Oeconomi apud se retinere, quorum nonnulli hujusmodi deposita in suos usus converterunt, sperantes fore, ut tempore investituræ tantundem pecuniæ præstò haberent, quæ spes morte præventos fefellit, ut pluries accidisse deprehendimus & depositam Summam ad hæredibus repetentes, nullam in eos derivatam hereditatem comperimus. Quocircà Ecclesiarum indemnitati consulentes, præcipimus, nè præfata tenuia deposita penès Archipresbyteros, & Beneficiarios, seù locorum piorum administratores, sivè Magistros, ut vocant, sed penès tertiam, ut ajunt, tutam, & idoneam personam deponantur. Qui contravenire presumpserint, excommunicationis pœnæ nobis reservatæ ipso facto subjaceant.

TITULUS XIX.

DE TESTAMENTIS.

Ex nona Synodo.

CAPUT UNICUM.

De mortuis intestatis Parochi Curiam Archiepiscopalem certiorem faciant, sepultura non retardata.

UT Provincialis nostri Concilii decretum Tit. XXVII. de Testam. Cap. 11. circa testamenta eorum, qui intestati decedunt, ad pias causas pro eorundem animarum refrigerio a Nobis conficienda, executioni demandari queat, Parochi, sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto, de hujusmodi casibus Curiam nostram illicò certiorem faciant, servato Sacræ Congreg. Episcop., & Regular. decreto in Appendice ejusdem Concilii apposito: non retardata tamen Sepultura, ut ibi cavetur.

TITULUS XX.

DE SEPULTURIS.

Ex Secunda Synodo cap. 14.

CAPUT I.

Fœminei plangores super defunctorum Corpora in Ecclesia Ecclesiastico interdicto coerceantur.

IN nonnullis Diœcesis nostræ locis, præcipuè remotioribus, sunt qui vel in ipsa Ecclesia (*a*) contristantur de dormientibus, sicut & ceteri, qui spem non habent, præsertim mulieres, quæ scissæ comas, faciem deturpatæ ululatu, & lacrymis sacra adita complent: quem abusum, ab ipsis Ecclesiæ primordiis (*b*) profligatum, sub pœna ab ingressu Ecclesiæ interdicti inhibemus.

CAPUT II.

Ultra quatuor, & viginti horas cadavera tumulentur, non obstante quacunque lite, quæ, præstita cautione, ad Curiam Archiepiscopalem deferetur.

NUlla cadavera ultrà quatuor, & viginti horas sepultura defraudentur, (*c*) infrà quas si lis aliqua suboriatur, exacta cautione de stando juri, sepultis cadaveribus, Partes Nobis, aut Ministris nostris subalternis sua jura deducant, ut opportunè provideatur.

CA-

(*a*) 1. Thess. 4. (*b*) Baron. an. 256. n. 16. 17. (*c*) Congr. Episc. in una Casanen. 5. Maii 1617. & in una Cottonien. 18. Septemb. 1617.

CAPUT III.

In exequiis persolvendis Rituale Romanum integrè servetur, omni contrario usu proscripto.

IN persolvendis super cadavera exequiis, ceremonias in Romano Rituali præscriptas integrè, & adamussim servandas Parochis omnibus præcipimus omnemque contrarium usum, præcipuè in mutilatis matutinis decantandis, sivè aliis quibusvis precibus, in Rituali prædicto non extantibus, & pro arbitratu intrusis, detestantes gravi pena pro contumaciæ modo contravenientibus interdicimus.

Ex eadem II. Synodo Cap. 16.

CAPUT IV.

Anniversarium pro Anima Archiepiscopi ultimò defuncti in die obitus in singulis Ecclesiis, sivè Metropolitana, sivè Collegiatis, sivè Receptitiis persolvatur. Quolibet anno die tertio Novembris anniversarium pro Episcopis, & Archiepiscopis, quinto die pro Canonicis, sivè Presbyteris defunctis peragatur.

COgitatio illa, quam Sacer Textus sanctam, & salubrem vocat, nempè pro defunctis exorare, Nobis in dies morientibus cordi esse debet: & ut eadem mensura, qua mensi fuerimus, remetiatur & nobis, præcipimus, ut in singulis Ecclesiis tàm Metropolitana, quàm Collegiatis, quàm etiam Conventualibus, quæ receptitiæ nuncupantur, solemne Anniversarium cantu pro anima Archiepiscopi ultimò defuncti in die obitus peragatur. Singulis verò annis die 3. Novembris singulę missæ de Requiem cum cantu pro Episcopis, & Archiepiscopis, qui huic Sanctæ Sedi præfuerunt, Quinta autem die ejusdem mensis singulæ pariter singulas missas item de Requiem, & cum cantu pro Canonicorum, sivè Presbyterorum suorum animabus respectivè faciant.

Ex tertia Synodo Cap. 10.

CAPUT V.

Defunctorum numerus, qui terræmotu anno 1688. oppressi sunt, adnotatur.

QUis dabit Capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem lacrymarum, & plorabimus die, ac nocte interfectos filiæ populi nostri; In momento, in ictu oculi Civitas nostra *mille trecentis, septem, & sexaginta* Civibus viduata fuit, a facie iræ furoris Domini, a qua terra mota est. Ab eadem in Diœcesi ruinis oppressi periere in propriis Oppidis *novem, & triginta supra septincentos*. alii *novem* Diœcesani Beneventi occubuere. E Civitate autem dispersi palantesque aliò commigravere homines *quinque, & quinquaginta supra centum*. Ex aliis Oppidi *octo*: ita ut interfecti omnes sint 2115. dispersi 163.

CAPUT VI.

Cœmeteria pro cadaveribus designantur. Suffragia pro animabus eorum indicuntur.

QUapropter Nos, qui vivimus, qui residui sumus, oppressorum corporibus primùm consulamus; & si qua cadavera sepulturis carent, in unum locum collecta recondantur, qui locus sacer esto, scilicèt a cetera humo divisus, & Cœmeterii instar conclusus. Quod si fieri nequeat, in Sancta Visitatione Nos certiores faciant, ut omnimodo provideamus. Deindè

pro

pro peccatis mortuorum sacrificia Deo offeramus, cujus rei gratiâ, præcipimus, ut omnes Ecclesiarum Rectores, postquam ad suam Ecclesiam redierint, prima feria secunda non impedita, si Ecclesiæ Conventuales sint, missam de Requiem cum cantu celebrent, defunctorum absolutionem in fine addentes; si Parochiales tantùm, agenda pro defunctis privato ritu persolvant, quos omnes Nos præibimus, in Crastinum pro eisdem defunctis pontificalitèr Sacris operaturi. Sanctam enim, (a) & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

Ex quarta Synodo Cap. 12.

CAPUT VII.

Sepulturæ usus commendatur.

APud omnes mundi nationes nihil antiquius, nihil religiosius reperitur, quàm ut defunctorum ossa perpetuæ Sepulturæ demandentur; quemadmodum & Sapiens (a) abortiuum meliorem eo, qui Sepultura careat, pronunciavit.

CAPUT VIII.

Ossa insepulta iræ Divinæ signa.

QUamobrem magno animi dolore affecti fuimus, cum nostram Civitatem visitantes, Ecclesiarum fornices, & tecta defunctorum ossibus referta conspeximus, verentes nè illud Jeremiæ (b) comprobaretur, iræ Divinæ adversus peccatores accensæ impetu, ossa e Sepulcris erui, & ad Solem, & Lunam expandi, ut in irreparabili maleviventium ultione, mortuorum quoque ossa in pulverem, & sterquilinium redigantur.

CAPUT IX.

Cæmeterium in Civitate inchoatum, & terræmotu dejectum refertur.

TAntum malum a nostra Civitate avertere pro viribus satagentes, quia ossa exhumata cæmeterii defectu, ob exigua, & pro populi multitudine pauca in Ecclesiis sepulchra habebantur, ad cæmeterium juxta Ecclesiæ Canones erigendum manus contulimus; sed antequam ad consummationem perveniret, Civitas fermè universa consumpta est ingenti terræmotu subversa. At nihil melius cum defunctis actum. Nam dirutis Ecclesiis, indeque in nostra secunda Visitatione Sanctorum Reliquiis extractis, templorumque vestigiis potius, quàm residuis prophanatis, adhuc in abrupta Sepulchrorum cadavera projecerunt.

CAPUT X.

Præcipitur, vel ut inchoatum Cæmeterium restituatur: vel ut ager quispiam Sacris Ritibus præparatus pro Cæmeterio destinetur.

QUapropter paterna charitate solliciti, cum, vix quatuor Ecclesiæ restitutæ sint, earũq; sepulchra non dum evacuata populi multitudini sint insufficientia; ne, donec aliæ Ecclesiæ revocentur, Defunctorum corpora Sacro loco destituantur, presenti Cõstitutione mandamus, vel ut inchoatum Cæmeterium restituatur, vel ut ager quispiã pro Cęmeterio destinetur; quatenus muro circũducto, benedicta humo, & apposita Cruce, veluti in multis Christiani Orbis civitatibus sanctè servatur cadavera hu-

(a) 2. Machab. 12. (b) Eccl. cap. 6. (c) Cap. 8.

humentur ; & ob loci Sanctitatem, Ecclesiæ suffragiis eorum animæ juventur, quibus in dirutis Ecclesiis, quarum Sepulchra etiam angusta, & plena Ecclesiastico subjacent interdicto, omninò privantur. Quocirca Parochi omnes populum hortentur, ut tam pio operi manus porrigant adjutrices, nè flagella Divinæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, tanto addito pietatis defectu, rursus provocemus.

CAPUT XI.

Ecclesiarum pavimenta pro tavutis reponēdis nè effodiantur. Rectores qui permiserint, pœna ducatorum quinquaginta mulctentur, & Ecclesiæ ipsæ subjaceant interdicto eo ipso, censura Archiepiscopo reservata.

IN omnibus propè Diœcesis nostræ Ecclesiis abusum comperimus, funebres arcas, (quæ *Tavuta*, quasi *taphuta* a Græco *Taphe*, idest Sepulchro, nuncupantur) effosso Ecclesiæ solo recondi, quarũ causâ omnia pavimenta effracta, & inequalia reddita sunt. Quem abusum, etiam a Prædecessoribus nostris proscriptũ, avaritia retinuit; solebant enim defuncti hæredes ducatos sex Ecclesiæ Rectori solvere, ut id per illum liceret: Nos huic malo opportunum præbentes remedium, præsenti Constitutione sancimus, nè deinceps *Tavuta* effosso Ecclesiæ pavimento sepeliantur; si secus factum fuerit, ejusdem Ecclesiæ Rector ducatos quinquaginta piis locis applicandos irremissibiliter solvet; & ipso facto Ecclesia subjaceat Interdicto, quam censuram Nobis volumus reservatam.

CAPUT XII.

Altaria, quibus proxima sunt Sepulchra a Divinis suspendantur, donec vel Sepulchrorum ostia quatuor palmis cum dimidio ab Altari arceantur, vel, ossibus in Cœmeterium translatis, ostia ipsa claudantur.

QVod verò sacris Canonibus (a) statutum est, nè Sepulchra sint propè Altaria, ubi corpus, & Sanguis Domini conficitur, & Nos mandamus, declarantes, Altaria omnia, quibus proxima sunt Sepulchra, a Divinis ipso jure esse suspensa, donec præfatorum sepulchrorum ostia tribus saltem cubitis, hoc est, quatuor palmis cum dimidio ab Altari distent: vel ossibus erutis, & in Cœmeterio humatis, eadem sepulchra omninò claudantur.

Ex nona Synodo tit. X.

CAPUT XIII.

Nonnulli abusus in Ecclesiasticorum cadaveribus sepeliendis proscribuntur; pœna ducatorum ex Parocho, & defuncti Hæredibus proposita.

ROmani Ritualis observantiam in sepeliendis Ecclesiasticorum cadaveribus, nostri Provincialis Cõcilii Tit. XXVIII. Cap. XIV. ad unguem tenendam, non abs re districtè præceptum est: cum præ Diœcesis, & Provinciæ amplitudine populorum abusus hac de re in dies innotescant. En in aliquibus Archidiœcesis nostræ locis qui scenicus sepeliendorum Presbyterorum mos inolevit: Defunctum Presbyterum sacris vestibus indutum in Sede collocant, & sedentem ad Ecclesiam deferunt; delatum adhuc sedentem

K in

(a) Can. Præcipiendum 13. q. 2.

in principe altari ad cornu Euangelii versa ad populum facie statuunt, & ante sedentem defunctum mensam, quasi sacram ponunt, super qua Calicem, & Missale apertum cum pulvinari, quasi Missam celebranti constituunt. Quem abusum, Romano Rituali adversum, proscribimus pœna ducatorum sex Parocho, & Heredibus contravenientibus proposita.

Ex XIX. Synodo. tit. II. Cap. I. usque ad XV.

CAPUT XIV.

Ecclesiasticorum funeribus consulendum.

ECclesiastici omnes, quemadmodum in vivis agentes obligantur Ecclesiæ deservire, ita rationi consentaneum est, ut, mortem obeuntes, peculiaribus Ecclesiæ honoribus, ac suffragiis potiantur. Hanc sententiam omninodè piam, Benedictus Papa III. (*a*) decreto, & exemplo decoravit; dum nè solum Episcopos, Presbyteros, & Diaconos; verùm ac ipsos Clericos defunctos ab eodem Summo Ecclesiæ Hierarcha, aliisque Pontificibus, & reliquo Clero vicissim parentari, religiosissimè sanxit. Quem antiquatum Ecclesiæ morem Sane. Carolus Mediolanensis (*b*) gloria, & regula Sacerdotum, suorum Canonicorum exequias sua cohonestans assistentia, innovavit.

CAPUT XV.

Quo ritu Ecclesiasticorum funus peragendum.

RItuale Romanum in singulorum Ecclesiasticorum funere adamussim servetur; prout in primo Provinciali nostro Concilio (*c*) sancitum fuit: Sacræque vestes, ibidem pro eorum Cadaveribus, priùs lotis, & ad talarem usque habitum indutis, ornandis, consideratis eorundem Ordinibus, singillatim indictæ omninò adhibeantur. Canonici verò Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, quia Mitræ, & Abbatialium paramentorum usu ex Apostolico privilegio gaudent, ultrà præscriptas vestes, cum his etiam (Canonicis Diaconis, & Subdiaconis exceptis, qui Mitra tantùm utuntur), ut hactenus servatum est, tumulentur.

CAPUT XVI.

Ecclesiastici a Laicis seorsim sepeliantur.

QUia Clerici, dum vivunt, Laicorum commercia nescire coguntur (*d*), cum his, sub Sepulchri interdicti pœna ipso facto, nec quidem mortui commisceantur: verùm in Cleri Sepulturis, quæ ab iis Laicorum discretæ in nostra Civitate, & in omnibus ferè Archidiœcesis Oppidis habentur, sepeliantur.

CAPUT XVII.

Ubi sepultura pro Clero non habetur, Ecclesiasticorum cadavera ad viciniorem Ecclesiam, in qua aderit, deferantur.

CVm propria Ecclesiasticorum Sepulchra in Oppidis aliquibus, maximè Vicariæ Sancti Angeli ad Cupulum, ob Ecclesiarum paupertatem, adhuc non habeantur, pia servetur consuetudo, eorundem cadavera ad Ecclesiam viciniorem, ubi

(*a*) Baron. An. 858 n. 7. (*b*) Giussanus in ejus Vita (*c*) Hoc tit. Cap. 18.
(*d*) Cap. Clerici officia. De Vita, & Honest. Cleric.

ubi habetur, deferendi; usque dùm alias in præfatis Oppidis provisum fuerit.

CAPUT XVIII.

Regulæ pro Ecclesiasticis Urbanis, extra Capitulum, & Collegia, sepeliendis, proponuntur. Quoad reliquos statuta, & consuetudines confirmantur.

CApituli nostri Metropolitani, Collegiorum, Conventualium, & cæterarum Ecclesiarum nostræ Civitatis. & Archidiœcesis statuta, & consuetudines, Constitutionibus nostris Synodalibus non adversantia, circa Collegarum, & aliorum Clericorum exequias respectivè persolvendas, confirmationis nostræ munimine roboramus. Verùm pro Parochis, & reliquis ex seculari Clero Urbanis, quorum sepulturæ, ut plurimùm vel minima solemnitate honestantur, sequentia observanda statuimus.

CAPUT XIX.

Jus Sepulturæ taxatur.

CVm in nostra Civitate, pretèr Metropolitanum Capitulum, & Collegia, secularem Clerum, ac ipsos quoque Parochos peculiari Sepultura carere deprehenderimus, tres in Ecclesia S. Andreæ nostri Sacr. Seminarii, (quæ Proparochialis est dirutæ Ecclesiæ S. Marci) pro Presbyteris unam, aliam pro Diaconibus, & Subdiaconibus, ac tertiam pro reliquis Clericis, ære nostro effodiendas curavimus; ipsique Seminario totum earundem Sepulturarū jus detulimus. Nè igitur futuris temporibus a Deputatis pro jure hujusmodi aliquid ex voluntate prætendatur, præsenti Constitutione decernimus, ut pro quolibet Ecclesiasticorum Cadavere, ibidem sepeliendo, sex carolenorum summa, a defuncti hæredibus solvenda, non excedatur.

CAPUT XX.

Quid ab eorum obitu agendum usque ad Cadaveris in Ecclesiam asportationem.

PArocho, vel alio ex prædicto Clero, defuncto, singularum Parochialium Campanæ pulsabuntur: Et indicta, a quo, ut infra, funebre faciendum erit Officium, exequiarum hora, reliqui Parochi, ac ceteri ejusdem Cleri in unum conveniant, mortui funus sub Cruce Ecclesię, ad quam defertur Cadaver, processionaliter gratis associaturi; in processione tantùm candelam deferentes, quæ, quia ab ipsis comparabitur, apud ipsos inde remanebit.

CAPUT XXI.

Numerus Cereorum in Ecclesia præscribitur, qui a defunctis hæredibus contribuentur.

CIrca Corpus in Ecclesia quatuor sint intortitia, singula unius saltem libræ continuantèr accensa. & Candelæ quatuor, qualibet unciarū sex ad minus, in Altari. Hæc sub pœna quadrupli a Defuncti hæredibus (*a*), contra quos in contumacia nostra Curia procedet, opportunè providebuntur; & expleto Officio, cadavereque tumulato, quod superfuerit, eidem Ecclesię pro sacris faciendis acquiretur, nec quidquam a Ministris absque nostra licentia vendatur (*b*).

L 2 CA-

(*a*) Conc.Prov. Med.l.I. tit. de funer, & exeq. (*b*) Ibid.

CAPUT XXII.

Officium, & Missa cantanda. Assistentia usque ad cadaveris tumulationem demandatur.

OMnes in eadem Ecclesia totum defunctorum Officium cum laudibus stato ritu cantabunt, vel Theatinorum Clericorum more recitabunt: ac Missæ absolutioni, & corporis, Sindone obvolvendi, Sepulturę debita devotione, & charitate intererunt; quod, ut decorè fiat, seriò animadvertatur.

CAPUT XXIII.

Parochorum exequiæ gratis omnino persolvendæ; a quo funeris officium exequatur.

PRo defuncto Parocho, si is extra suam obierit Paræciam, Parochus, in cujus Paręcia erit defunctus, totum in exequiis, tam extrà, quàm intrà Ecclesiam officium faciet, ac Missam, in libro, servata forma Constitutionum nostrarum Synodalium, adnotandam, pręsente corpore, gratis solemnitèr celebrabit. Si autē in propria mortuus fuerit Paręcia, tunc Parochus ex superstitibus antiquior in cura prędicta, omnia gratis etiam adimplebit: Juribus, & pręeminētiis quibuscumque ad Parochos ipsos quomodolibet pertinentibus, in his, & aliis, quę subdemus, non obstantibus, quæ Nos, de illorum voluntate pariter, & consensu, jure jurando firmatis, ut ex Instrumento, quod habetur in actis hujus Synodi, rogato Acol. Notario Dominico Fortanella sub die 6. currentis Mensis, hac Synodali Constitutione perpetuò non obstare declaramus, atque decernimus.

CAPUT XXIV.

Quomodo Parochi S. Mariæ Constantinopolitanæ, & Parochorum Regularium funus honestandum.

UT debita inter omnes servetur charitatis vicissitudo, statuimus, ut in morte Parochi S. M. Constantinopolitanæ, qui est Canonicus honorarius insignis nostri Collegii S. Spiritus, ac insuper duorum Regularium Parochorum, cum ille in Sepulchro Canonicorum ejusdem Collegii sepeliri velit, & isti apud Fratres suos apponi debeant, alii Parochi, ac cæteri de Clero ad illorum funera, a Canonicis, & Regularibus respectivè peragenda, in illis etiam Ecclesiis, ubi debito recipientur honore, gratis, ut suprà, convenire teneantur.

CAPUT XXV.

In Presbyterorum exequiis, ad quem Officium, ad quem Missa pertineat, statuitur.

PRo defuncto simplici Presbytero officium, prout supra, persolvet defuncti Parochus, cui ab his, & a reliquis Clericis solitum carolenos septem cum dimidio exigendi jus reservamus. Missam verò, in prędicto Libro signandam, prior ordinatus ex Presbyteris gratis cantabit, cum absolutione in fine.

CAPUT XXVI.

In Diaconorum, cæterorumque inferiorum ordinum Clericorum exequiis munia designantur.

PRo Diaconis, & reliquis ex dicto Clero defunctis Officium pariter, ut supra, ipsorum Parochus effi-

efficiet: Sacrum verò, quod in Libro, ut dictum est, erit adnotandum, Ecclesiæ Parochus, ubi exequiæ celebrantur, pro eis operabitur, & absolutionem in fine habebit. Ipsi autem celebranti trium carolenorum eleemosyna a superviventibus Diaconis, Subdiaconis, & aliis Clericis in solidum absque ulla mora pro rata contribuetur.

CAPUT XXVII.

Qui officium facere, vel Missam celebrare debet, impeditus, alium surroget.

SI in his contingat circumstantiis, ad quem prædicta spectabunt, infirmari, aliovè canonico impedimento præpediri, tunc obligatus, nè exequiarum cultus protrahatur, vel perturbetur, de nostræ Curiæ licentia, alium, qui ejus vices suppleat, illico invitet.

CAPUT XXVIII.

Pœnæ contra Contumaces declarantur.

SIngulorum tandem, qui in prædictis, vel eorum singulis exequendis (quod de nostrorum Clericorum obedientia, disciplina, & pietate sentire non audemus) negligẽtes fuerint, præter mulctā libræ unius ceræ elaboratæ, quam in prædictæ Ecclesiæ S. Andreæ beneficium pro qualibet vice unusquisque solvet, contumaciam quàm acriter puniemus.

Ex XXVI. Synodo tit. III.

CAPUT XXIX.

Parochi defunctorum Sepulturæ pro honestate assistant. Infirmæ pro cura impediti Presbyterum alium, vel Clericum deputent.

NOn est laudanda in Parochialis solicitudine Officii, ex pedita illa quorundam Parochorum praxis, qua solemnibus in defunctorum exequiis cadavere ad tumulum delato, expletisque, quæ illis a Rituali præscribuntur precibus, e cadaveris se ita subtrahunt sepulturæ, ut mortui Corpus vilium persæpè Polinctorum manibus immodestè tractandum (utinam, & quandoquè ad superstitionem non discerpendum, vel vestibus enudandum) ulteque insuper dimittant sine pietate sepulchro inferendum. Aliud enim esse, ibi pro ritu, aliud pro munere, adstare, sciant, oportet. Quod namque Rituale (*a*) ait, dicto *Anima ejus &c. deindè redeant in Sacristiam*; ad ritum pertinet solemnem. Ut autem ad evitanda, quæ suboriri possunt, scandala, ad tumulum privatè reverti debeant, quid tunc ibi agatur, inspecturi, munus ipsorum spectat, & curam. Ad hoc itaque Parochos omnes sic monitos, & adhortatos volumus, ut si pro Parœciæ necessitate, tunc eos aliò advocari contigat, Presbyterum alium, vel Clericum saltem linquant, qui ibidem, Defuncti usquedum corpus honore debito tumuletur, assistat. (*b*)

CA-

a. De Exequiis: in fine. (*b*) Ex conc. prov. Mediol. I. & IV. S. de funeribus, & exeq.

CAPUT XXX.

Defunctorum Corpora seorsim, post exequiarum officia, usque dum sepeliantur, in Ecclesiis locanda: lumen, & custodia, nocte præsertim, adhibenda.

AD hæc cum sæpius accidat absolutis exequiis, Defunctorum corpora sepeliri non posse, Festis illa præcipuè diebus, Sepulturę dum tempus adveniat, in Ecclesiis non prostent; sed sindone operta in adjunctis, ubi habentur, Oratoriis, vel alio illarum loco reponantur; Ea tamen sine lumine (*a*), unius saltem lampadis, ad ipsorum caput, vel pedes accensæ, remanere non sinimus, & nocte insuper apud ipsa unum ad minimum, qui successivè pro custodia vigilet, adhiberi mandamus. Id, quod Parochi, eorum expensis, & Confraternitates aliquando, reditus ubi parochiales non suppetunt, defunctis pauperibus: reliquis verò illorum hæredes præstare tenebuntur.

CAPUT XXXI.

Quæ Parochis hoc Titulo, eadem et cæteris Ecclesiarum communitatibus adimplenda proponuntur, ad ipsa quoq; Regulares exhortantur.

CUm juxta Sacros Canones (*b*) Ecclesię ordinem æqualiter ab omnibus custodiri conveniat; quę propterea a Parochis hoc Titulo in eorum Parochialibus exequenda indiximus, a nostrę Ecclesię Metropolitanę Capitulo, aliisque Urbanis, ac Diœcesanis Collegiis, & Cleris receptitiis, in Ecclesiis respectivè suis adimplenda proponimus Regulares verò omnes ad piam hanc, & honestam pro Mortuis curam in similibus gerendam, ex corde in Domino monemus etiam, & adhortamur.

Ex Synodo XXXI. tit. IV.

CAPUT XXXII.

Parochi ut in proprii cujusvis Parochialis morte eoipso pro illius anima orent, statuitur; & Vicariis Foraneis, ut statim de Clericorum obitu Archiepiscopum pro suffragiis moneant, demandatur.

CUm nihil ab animarum Pastoribus in eorum, qui fidei, curæque ipsorum commissi sunt salute adjuvanda prætermitti unquam debeat; piæ, ac saluberrimæ Mediolanensis Provincialis Concilii III. (*c*) Constitutioni inhęrentes, decernimus, ut quilibet Parochus, audita cujuslibet sui Parochialis morte, pręter ea, quę suo tempore pro muneris officio pręstabit, pro illius statim anima Psalmum saltem *De profundis* devotè dicat, & Orationem Defuncto convenientem, subjungat. Hoc idem pleniùs cum in Presbyterorum præcipuè cæterorumque Clericorum obitu Nos agere soleamus, de istorum Archidięcesi transitu (in Urbe enim quàm facillimè monemur) a Vicariis nostris Foraneis certiores immediatè fieri volumus: nullam namque ut plurimum, vel seram nimis de illorum morte notitiam ęgerrimè Nos ferre sciant, quorum animę suffragia jure a Nobis potissimo pręstolantur.

CA-

(*a*) Act. Eccl. Mediol. Par. IV. Instr. Variar. §. de Coreis & Elemos.
(*b*) Can. Convenit. de Cons. dist. V. (*c*) Tit. de Parochis.

CAPUT XXXIII.

Idem pro unoquoque de Clero, cum primum obierit, in Hebdomadalibus Congregationibus respectivè præstandum. Congregationis Præfectus a Parocho suo tempore præmonendus.

ADhæc, ut eos inter, qui in Templo Dei ambulant cum consensu (a) charitas foveatur, & illorum, qui in Christo dormiunt, Ecclesiasticorum memoria sit in benedictione (b); cęteros, qui tunc vivent, qui residui erunt, (c) monitos esse volumus, in prima quatenus hebdomadali casuum Congregatione post alicujus ex Clero ad Conventum ipsum attinēte, obitum, expletis ibi Litaniis, consimile pro illius anima suffragium præstare non omittant: Præfecto Antiphonam *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis*, inchoante, quem Clerus alternè prosequetur, opportuna post preces addita oratione in fine. Id ne differatur; curæ erit Defuncti Parocho, Congregationis Præfectum verbo, aut scripto, suo tempore præmonere, sub pœnis pro nostro infligendis arbitrio contra contumacem.

Ex XXXV. Synodo tit III.

CAPUT XXXIV.

Improvisò, aut morte violenta defuncti, sepulchro nō electo, vel Sacramentali pœnitentia non expiati, a Mansionariis privativè sepeliendi. Si pauperes, gratis: Cæteri ducatos novem Collegio exolvunt.

IMmemorabili, ab antiquo Reverendissimi Capituli jure acquisita, & solemni felicis sub recordationis Prędecessore nostro Archiepiscopo de Bononia, Curiæ nostræ Metropolitanæ obfirmata decreto, (d) cum ad nostræ Ecclesiæ Mansionarios consuetudine spectet, hæc minem nempè quemcunque in Civitate nostra, totoque agro Beneventano, morte decedentem improvisa, seù violenta, præcedenti sine sepulchri electione, vel sacra non expiatum exomologesi, quoad alios, Parochos etiam, privativè, sepelire, & Agenda, integrum videlicet mortuorum pro illius anima Officium, & Missam cum Absolutione in fine decantare; ad hæc Mansionarios ipsos, si defunctus pauper, gratis, & Collegii expensis; novem verò dumtaxat, si hæreditas solvendo fuerit, ducatorum emolumento, eadem teneri consuetudine declaramus.

CAPUT XXXV.

Quinam casibus prædictis comprehensi intelligantur, Edicto XLIX. in Appendice legendo, declaratur. Pœnæ contra transgressores decernuntur.

CUm verò ex ipsorum Nobis Mansionariorum sit nuper parte delatum, eos inter, & hujusmodi defunctorum hęredes controversias sæpissimè suboriri, & contentiones; quinam scilicet in casibus comprehendantur eisdem? illas Nos penitùs de medio tollere, & super omnibus opportunè providere cupientes, Synodale Edictū XLIX. damus in Appendice: & decreta quævis, ac declarationes in eo allatas, omnes quatenus, & singuli, quorum interest, exequantur, graves contra transgressores pœnas constituimus, atque decernimus, arbitrio nostro reservatas.

T I-

(a) Psal. 54. vers. 15. (b) Machab. 3. vers. 7. (c) Thess. 4. v. 14. (d) Die 16. Januar. 1675.

TITULUS XXI.

DE PAROCHIIS.

Ex prima Synodo cap. 9.

CAPUT I.

Parochis Sacrorum Rituum peritia injungitur. Corsetti liber eisdem commendatur.

I. QUantum Regina Saba (a) obstupuit, videns ordines ministrantium Salomoni, tantùm defleret, si in hisce nostræ Diœcesis Ecclesiis Sacrorum Rituum ignorantiam perspiceret; undè & flevimus Nos videntes ordinem altari ministrantium in illud irrepsisse, quod David Salomoni suo cavendum jussit (b). Omnis enim ordo ceremonias non custodiens, nec intelligit universa, quæ facit, nec quocumque se vertat; quamobrem pastorali nostro muneri satisfacientes, nè hujusmodi Ministris illæ maledictiones adveniat, quas *Deuteronomii cap. vigesimo octavo* in longum catalogum non sine horrore redactas legimus, illis imminentes, qui ceremonias non custodiunt, districtè mandamus, ut in nostra Metropolitana duo continuò existant Ceremoniarum Magistri, Canonicus unus, Mansionarius alter; in Ecclesiis verò Collegiatis, Conventualibus, vel Receptitiis etiam duo, vel ad minus unus, Sacrorum Rituum benè periti. Nos enim quoscumque defectus, qui forte evenerint, ipsorum negligentiæ attribuemus, & ab ipsis pariter pœnam exigemus, parem nostro desiderio, quod jugiter est, ut in sacris ceremoniis complendis nihil reliquum sit desiderandum, cum scriptum habeatur: (c) *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*.

2. Parochi autem Sacris Ritibus totis viribus studeant; pro Sacramentis administrandis Ritualis libri Rubricas cum primis calleant; Sacrosancti Missę Sacrificii, tum sine cantu, tum etiam cum cantu ceremonias singulas addiscant, & Sacrarum processionum ordinandarum rationem optimè noscant. Quos namque horum ignaros in Sancta Visitatione reperiemus, ab officii exercitio remotos habebimus, donec quę sui officii sunt, probè norint; nullo enim pacto sustinebimus, tam Sancta tam negligenter tractari. Ut verò quisque sibi consulat, præcipimus, ut Parochi omnes Corsetti librum, qui ceremonias universas ad Parochum spectantes optimè enucleavit, penes se habeant, & nocturna, diurnaque manu versare non prætermittant.

CAPUT II.

Processiones, Missali, & Rituali præscriptas, Parochi persolvant. Omissio quinque ducatorum pœna mulctatur.

PRocessiones omnes, quas Missale, & Rituale pręscribunt, nempe Candelarum in festo Purificationis B.M.V., Palmarum, SS. Sacramenti, cum ad sepulchrum defertur feria V. majoris hebdomadę, & cum inde reducitur feria VI. in Parasceve, processiones quoque S. Marci, Rogationum, & Sanctissimi Corporis Christi Parochi omnes ritè perficiant: ne quod tantis mysteriis redundat, vel negligentia omittatur, vel perperàm executioni demandetur. Si qui verò aliquam ex

a 3. Reg. 10. b 3. Reg. 2. c Jer. c. 48.

ex supradictis processionibus omiserint, excepto cum ad Urbem, vel ad Ecclesiam Matricem prò generalibus supplicationibus omnes simul accedunt, quinque ducatorum pœnas dabunt.

Ex secunda Synodo Cap. 2.

CAPUT III.

Parochi Sacramentorum dignitatē, institutionem, usum, & fructus, & ad eadem praeparationes suas plebes edoceant ex Catechismo Romano, quem penès se habeant, sub pœna scutorum duorum. Proximè communicaturi, & confirmandi ex peculiari libello imbuantur.

DEus Omnipotens, qui septem dierum curriculo mundum creavit, eundem septem Sacramentis, quæ de Iesu Christi Filii sui latere effluxerunt, recreavit, ut fideles tantis initiati mysteriis, perfectam filiorum adoptionem non amitterent. Quamobrem animarum Rectores eorundem dignitatem, institutionem, usum, & salutares fructus, & ad ipsa non indignè suscipienda præparationes suos Parochianos edoceant vulgari, ac plano sermone pro audientium captu, ex Catechismo Romano, quem omnes apud se habere sub pœna scutorum duorum præcipimus. Eosque cum primis, qui nondum vero Christi corpori communicarunt, & sancto Confirmationis Sacramento muniendi sunt, iis instructionibus, quas in nuperrimo libello, typis dato exposuimus, pro viribus imbuant, suæ ipsorum negligentiæ, cui nullus erit excusationis locus, nostro arbitratu pœnas daturi.

Ex eadem secunda Synodo cap. 17.

CAPUT IV.

Parochi sub Archipresbytero, quando Archipresbyteralis Crux non defertur, hastatam Crucem tam in exequiis, quàm in processionibus intra Parochiæ fines adhibeant.

PArochi cujuslibet Cleri, Archi-Presbyterum caput agnoscentis, nè deinceps exequias Cruce sine hasta præcedente persolvant; sed tam in exequiis, quocumque procedant, quando Archipresbyteralis Crux (ubi accedendi est consuetudo) non accedit, quàm in processionibus, intrà tamen Parochiæ fines, hastatam Crucem, Clerico cotta induto deferente, adhibeant; absque tamen Archipresbyteri in reliquis præjudicio.

CAPUT V.

Archipresbyter cum sua Cruce invitari debet ad exequias, quando Parochus alios Clericos ultra quatuor advocavit. Idem in processionibus servabitur, si Clerici ultra quatuor erunt, vel Parochię fines excedunter. Transgressio pęna ducat. trium mulctatur.

ARchipresbyter namque cum sua Cruce ad exequias, quoties alii Clerici, ultra quatuor, a Parocho vocabuntur, invitari debet; & tunc nulla Parochi Crux, nec hastata, nec sine hasta adhibebitur, sola Archipresbyteri Cruce præeunte. Quod & in processionibus servabitur, quoties Parochus, vel ultra quatuor Clericos in Parecia voluerit, vel ultra Parecię suę fines incedet. Si quis verò Parochorum constitutionem hanc transgressus fuerit, pęna ducatorum trium mulctabitur, quæ ipso facto Archipresbyteralis Ecclesię

M fabri-

fabricę applicata intelligatur.

CAPUT VI.

Ad Synodum Parochi accedentes, vel pluviali condecenti, vel Orario utantur.

MOnemus preterea Parochos omnes, cum ad Synodum accedunt, nè pluvialia deinceps lacera, vel coloris, solemnitati non convenientis, assumant; sed ubi Ecclesiæ cum Confraternitatibus id possunt, nova pluvialia rubei coloris ex serico magis obvio, quod *rasofalo* vulgus appellat, facienda procurent; qui non possunt, sola Oraria induant, ut omnis indecentia ex sacro cœtu eliminetur.

CAPUT VII.

Sacra vasa, & supellectilia ad Synodum benedicenda a Parochis ferantur.

QVi tandem sacra vasa, seu supellectilia benedicenda habent, ad Synodum deferant, ut dum ab Officialibus Cleri fit scrutinium, nè Parochi diutiùs immorentur, a Nobis valeant benedici.

Ex eadem secunda Synodo cap. 20.

CAPUT VIII.

Enunciatur Edictum VIII. de S. Visitatione, ut cognitis, quæ facto opus sunt, omnia in Parochiis parata habeantur.

IN Pareciis omnibus, quas hactenus visitavimus, adeò imparatos Clericos reperimus, ut quasi nunquam visitati fuerint, quid eis opus esset, ignorarent, non obstante *octavo Edicto* a Nobis edito, quod idcircò presenti Constitutione promulgamus, & in Appendice hujus Synodi addimus; ut omnibus eo præ manibus facto, nullus sit deinceps excusationi locus.

Ex tertia Synodo Cap. 14.

CAPUT IX.

Extinctio sex Oeconomatuum in Urbe, & Parochianorum septem Parochiis existentibus aggregatio, necnon octavæ Parochiæ erectio referuntur.

QVantum conati sumus tùm assiduis hortationibus, tum comminatis pœnis, ut unusquisq; nostræ Civitatis Parochorum suo muneri satisfaceret: tantam navavimus operam, ut sufficientes haberet pro sua substentatione (a) proventus. Cujus rei gratia octo Oeconomatus, a sex Oeconomis administratos extinximus, & Parochianos septem Paræciis aggregantes, octavam apud nostram Collegiatam S. Spiritus in Ecclesia S. Mariæ Constantinopolitanæ ereximus: prout ex nostro Decreto die 28. Martii currentis anni publicato, in Edicto hujus Synodi Appendici inserendo.

CAPUT X.

Edictum X. de extinctione, aggregatione, erectione supradictis promulgatur, & confirmatur.

ET quamvis Civitas nostra terræmotu dejecta omnia nunc habeat confusione involuta, quisque tamen Parochorum, qui cooperatores sunt ordinis nostri, partem sollicitudinis super nostro grege implentes, a vigiliis non desistat, nè lupus dispersas oves (b) mactet, & perdat. Fore siquidem speramus, ut Dominus Sanctorum Patronorum nostrorum multiplicato interventu placatus, respiciat de Cœlo (c), & videat, & vineam istam, quam dextera

a Cap Extirpandæ. De Præben. b I. Ioann. 10. c Psalm. 79. 15.

tera ejus plātavit nova sepe circumdet, restituatque vastatam: & tunc pariter idem Edictum quoad Paræciarum divisionem servari mandamus, eique præsenti Constitutione perpetuum firmitatis robur adjicimus.

Ex quarta Synodo Cap. 3.

CAPUT XI.

Approbati Ecclesiæ ritus sine peccato negligi non possunt.

Si bonorum illorum, quæ desursum sunt, justi sumus æstimatores, inter alia innumera, nobis cęlitus collata, Sacramentorum institutionem, & in ipsis Sacramentis divinę charitatis exuberantiam, religioso cultu suspicere, & grato quantum possumus animo suscipere debemus; nec non peculiari studio, & diligentia eadem juxtà receptos, & approbatos Ecclesiæ ritus, qui sine peccato negligi non possunt (a) fidelibus administrare cum primis decet.

CAPUT XII.

Nullus Sacerdos, licet idoneus Parocho visus, ac pro confessionibus audiendis probatus, Baptismatis, Extremæ unctionis, Matrimonii Sacramenta, etiam Parocho annuente, ministret (excepto Baptismate in extrema necessitate) nisi ab Archiepiscopo examinatus, & approbatus, sub pœna suspensionis ipso facto eidem Archiepiscopo reservata.

Quia verò compertum Nobis est, a Parochis nonnullos sæpè sæpius ad Sacramenta administranda sibi suffici, qui ad id muneris persolvendum omninò insufficientes, ob Ritualis imperitiam deprehensi sunt: & quod deteriùs est, nè Sacramentorum quidem formas rectè callent; quosdam enim in extrema unctione perficienda, *dereliquisti*, pro *deliquisti* pronunciantes, Nobis contigit audivisse: & alia spectasse, quibus monemur præsenti Constitutione decernere, ut nullus deinceps simplex Sacerdos, quantumvis idoneus Parocho videatur, licetvè pro confessionibus audiendis a Nobis probatus sit, Sacramenta quęcumque sivè Baptismatis, sivè extremę Unctionis, sivè Matrimonii, nisi supèr eorum formis, & ritibus examinatus, & approbatus fuerit, (excepto in extrema necessitate Baptismate) audeat ministrare, aliàs *pœnam suspensionis a divinis Nobis reservatam ipso facto* se noverit incurrisse.

Ex eadem quarta Synodo Cap. 10.

CAPUT XIII.

Quæ benedictiones ad Archipresbyteros, & Parochos spectant, referuntur.

In prima nostra Synodo, ubi etiam de sacris ceremoniis egimus, scientes, quod arte, vel metalli natura nihil effici possit Divino Altari dignum, nisi fiat benedictione sanctificatum decrevimus, ne quidquam sacris usibus adhiberetur, quod vel peculiari, vel generali benedictione ad hoc non fuisset destinatum: & benedictiones hujusmodi tantum ad Nos spectare. Quod decretum declaramus intelligi de iis benedictionibus, quæ solis Pontificibus reservatæ sunt, itaut in posterum, attenta hac nostra speciali concessione, liceat Archipresbyteris, & Parochis Altaris novas Cruces (non autem Labari) Icones (non verò principalem in Altari) necnon candelabra, & pallia pro fronte Altaris (non quidem pallas, Altarisve mappas, vel cætera missalia indumenta) ac reliqua vasa, nempè florum fictorum, & alia

a Trid. Sess. 6. Can. 13.

alia hujuſmodi benedicere.

CAPUT XIV.

Benedictiones è Rituali Romano deſumantur, addatur formula benedictionis generalis eorum, quæ ſpecialem conſecrationem non poſtulant.

PORrò nova Cruce, noviſque imaginibus benedicendis, benedictiones in Rituali Romano extantes adhibeant; pro candelabris, palliis, & reliquis vaſis novis, quæ peculiarem conſecrationem non requirunt, generalis benedictionis formula, in Appendice apponenda, utentur.

Ex eadem quarta Synodo Cap. 17.

CAPUT XV.

Quantum onus Parochis incumbat, oſtenditur.

ONus quidem Angelicis humeris formidandum, cura eſt animarum; ſingulis enim animabus ſinguli Angeli præſunt; Parochi verò ſinguli centenas, & millenas regunt, earum omnium rationem Deo reddituri. Quanto ergo timore tantum pondus ſua ſponte ſubeunti ferendum eſt, ac providendum, nè ovium ſanguis de ſua manu requiratur?

CAPUT XVI.

Parochi per ſe ipſos Sacramenta adminiſtrent. Sollicitam ægris curam adhibeant.

QVa propter animas ſibi commiſſas nulli alii credant, ipſi per ſe ipſos Sacramenta adminiſtrent, & quacumque diei, vel noctis hora vocati, omni mora poſthabita, accedant, imò etiam non vocati ægrotos conveniant, & ad dignam Sacramentorum ſuſceptionem inducant.

CAPUT XVII.

Omnibus Sacramentis infirmo collatis, adhuc Parochi per ſe, vel per alios agonizanti aſſiſtere tenentur. Error ſecus aſſerentium refellitur.

CVm autem nonnulli ſint, qui ubi omnia Sacramenta infirmo contulerunt, ſe nihil ultrà debere, errore equidem non ferendo, arbitrantur, eumque in extremo illo, tremendoque agone, quando Parochi auxilio cum primis opus eſt, tædio affecti deſtituunt; eiſdem hæc Ritualis Romani verba, ad cordis duritiem conterendam; obiicimus: *Parochus in primis meminiſſe debet, non poſtremas eſſe muneris ſui partes ægrotantium curam habere. Quod ſi Parochus legitimè impeditus, infirmorum (ut quando plures ſunt) viſitationi interdum vacare non poteſt, id præſtandum curabit per alios Sacerdotes, ſi quos habet in Parochia ſua, aut ſaltem per laicos homines pios, & Chriſtiana charitate præditos.* Videant vel per ſe ipſos, vel per alios, ut res tulerit, id muneris à Parochis præſtandum. Si qui verò in re tanti momenti defeciſſe ad Nos delati fuerint, præter divinam indignationem, pœna, tranſgreſſione digna, plectentur.

Ex

Ex Sexta Synodo Cap. 7.

CAPUT XVIII.

Nullus Archipresbyter, Parochus, aut Oeconomus Sacramenta administret, seu Parochiales functiones persolvat, nisi Rubricis perlectis. In veteribus abusibus stertentes suspensione à divinis puniētur.

1 CUm per visibilia Religionis, & pietatis signa, quæ ceremoniarum nomine censentur, invisibilia Dei intellecta conspiciantur; omnem pastoralis nostri muneris curam in hoc intendimus, ut in Sacramentorum administratione Sacri ritus adamussim serventur.

2. Quia verò nonnullos Parochos deprehendimus, qui licet Sacramenta administrent, & Rituale Romanum præ manibus habeant, nunquam tamen administrationis Rubricas in eo legerunt, cujus negligentiæ causa solos, quos noverunt abusus, quasi normam amplectuntur; idcircò districtè præcipimus, ut nullus Archipresbyter, Parochus, aut etiam Oeconomus ad Sacramenta administranda, cæterasque Parochiales functiones persolvendas procedat, nisi lectis priùs in præfato Rituali Rubricis, quas ad unguem servandas curabunt, & super quibus in S. Visitatione rigorosum examen subibunt. Si verò in veteribus abusibus stertere invenientur, suspensionis à Divinis pœna inexcusabiles afficientur.

Ex Synodo XXIII. tit. IV. cap. 1. & 2.

CAPUT XIX.

Infirmos præsertim pauperes, Parochi per se ipsos visitent, & agonizantibus assistant. Socordes reprehenduntur; & pœna suspensionis ab officio per annum proposita excitantur.

FRequentes nobis à plerisq; fide dignis ægrotantium, pauperum præsertim, querimoniæ deferuntur, quod in infirmitate languentes, ne dum Levitã (a), qui Vinum, & Oleũ in lenitatis spiritu plagis infundat, non habent, immò nec à Parochis ipsis, Medicis nempe ex justitia eorum curationi, ac solamini addictis, aliqua illis impenditur cura. Durus est sanè hic sermo (b): at durius est, quod infirmos ipsos pauperes, & despectos, non secus nobiles, & divites, in ultimo conflictu cum inferis potestatibus certantes, Parochi, vix manibus per Sacramentorum administrationem impositis deserunt, & salutaribus per animæ commendationem subsidiis negligunt præmunire. Idcircò quę in IV. nostra Diœcesana Synodo (c) contra socordes hujusmodi animarum Rectores decrevimus, in memoriam revocamus eisdem; pœnam suspensionis ab officio per annum, si semel defecerint, absque venia subituris.

CAPUT XX.

Pro infirmorum, & agonizantium cura, Parochis præpeditis, alii de Clero etiam Regulari, piique Viri de populo advocentur. Quædam pro agonizantibus Meditationes in Appendice proponuntur.

SUb eadem proindè pœna præcipimus, ut ubi Parochi infirmos hu-

(a) Lucæ 10. v. 32. (b) Joã. 6. v. 61. (c) Cap. 17.

hujusmodi visitare, & agonizantibus per se ipsos adesse aliquandò nequiverint, vel quia aliis, gravitèr ægrotantibus, Sacramenta ministrare necesse habuerint, vel quia necessariis Parochialis curæ occupationibus aliis fuerint impediti, vel quia naturam ipsam quandoque ex præcedentibus vigiliis, & continuatis assistentiis lassam, fovere, ac levare oportuerit; hæc tunc charitatis officia a reliquis Presbyteris Secularibus, & Regularibus omninò, solicita diligentia, præstari curent: ab eisque cumprimis, qui confessiones audiendi a Nobis obtinent facultatem, qua renuentes privabimus, sine spe ulterius impetrandi. Ad hæc etiam cæterorum de Clero, piorumque hominum de populo subsidium, prout opus fuerit, comparare satagant: hisque sufficiat, si devotas illas tantummodò, quas dabimus in Appendice, Meditationes, Christiana pietate, & tempestivè agenti animam subjiciant, atque Deum pro illo de corde exorent.

TITULUS XXII.

DE DECIMIS, ET OBLATIONIBUS.

Ex quarta Synodo Cap. 13.

CAPUT I.

Litigiosi Curialibus pecuniam potius, quam Sacerdoti decimam tradunt.

TErribilis comminatio ea est, qua S. Augustinus decimas solvere nolentes perstringit, dicens (a) *Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti: & hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Nihilominus adeò perditi homines inter Christianos degunt, qui in litibus omnem pecuniæ vim perdere malunt, quàm debitas Deò decimas Sacerdoti persolvere.

CAPUT II.

Ad tollendas lites Parochi ultra quinque libros Parochiales sextum habeant, in quem decimarum referant exactiones; pœna negligentibus proponitur: & Edictum XVII. publicatur.

AD omnes igitur litium ambages dirimendas, districtè præcipimus, ut amodo Ecclesiarum Rectores quinque libris Parochialibus sextum addant, in quo annuas decimas, quas, a quibus, & quotas exigunt, describant: necnon si qua summa exigenda reliqua sit, quota, & a quibus adnotetur, ut in posterum nullum Ecclesiæ præjudicium exoriatur. Qui verò præfatum librum requisitus non exhibuerit, pro decimis non adnotatis eo anno ad decimam certorum suorum redditum revocabitur, quam ex nunc pro tunc Ecclesiæ Parochialis fabricæ applicamus.

TI-

a C. decimæ 16. q. 1.

TITULUS XXIII.

DE REGULARIBUS.

Ex prima Synodo Cap.14.

CAPUT I.

Vivendi formulæ Monialibus ab Archiepiscopo Foppa præscriptæ innovantur, & sub pœnis in ipsis contentis servari mandantur.

SAnctimoniales, quarum quo sublimior gloria est, eo major cura esse debet, ut vocationi suæ respondeant, eas certas vivendi formulas, quas felic. record. Prædecessor noster Joannnes Baptista Foppa, sanctè, & luculentèr edidit in sua Synodo Diœcesana de anno 1646. observandas decernimus: Idcircò mandamus, ut earundem Sanctimonialium Confessarii formulas prædictas in maternum transferant idioma, easque singulis Monasteriis servandas tradant, sub pœnis in ipsis contentis, quas non obtemperantes omninò dandas pro certò sciant.

CAPUT II.

Peculiares Monialium Ancillæ, necnon Educandæ, nisi pro singulis annui ducati triginta de semestri in semestre anticipatè solvantur, admittendæ non sunt.

ILlud verò addimus, & exactissimè observandum mandamus, ut particulares Monialium Ancillæ, ipsæque Educandæ non admittantur, nisi pro singulis annuos ducatos triginta de semestri in semestre anticipatè, & irremissibiliter quis solvat in manus Monasterii Procuratoris, qui sex mensibus elapsis, eos, qui solverunt, quivè solvendo non fuerunt, Nobis significare debebunt.

CAPUT III.

Ancillis sivè peculiaribus, sivè communibus, necnon Educandis vestium modestia, sub pœna expulsionis præscribitur.

DEnique tam Ancillæ sivè particulares, sivè communitatis, quàm Educandæ eo vestitu, qui virginali modestiæ, & pudicitiæ convenit, utantur: Alioquin omninò expellentur, ut clarissimè pro educandis in solitis licentiis per *Sacr. Episc. Congr.* cautum est.

Ex tertia Synodo Cap.16.

CAPUT IV.

Monialium è suis Monasteriis terræmotus causa discessus deploratur. Neapoli per Monasteria pientissimè distribuuntur.

1. INter innumera, quibus nos terra instabilis affecit, mala, illud cum primis doloris gladio animam nostram pertransivit, nempè quod Nobis Virgines è dirutis Monasteriis erumpentes, squalidas, & amaritudine oppressas objecit. Visus est Nobis egressus a filia Sion omnis decor ejus; cum ipsas Christi sponsas desolatas *(a)*, mœrore confectas, easdemque gementes, & conversas retrorsum *(b)*, tanquam Columbas nidulos suos dejectos deplorantes, aspeximus.

2. Et quamvis nè oculi quidem condignis lacrymis effundendis in tantis ærumnis Nobis superessent, ipsis calcario pulvere inter ruinas gra-

a Thren. cap. 1. v. 13. b Thren. cap. 1. v. 8.

gravitèr læsis, Neapolim] tamen accessimus, ut Sanctimonialibus nostris in illius pientissimæ Urbis Ascæteriis locum inveniremus, quem tandem illius Emin. Archiepiscopi Antonii Cardinalis Pignatelli pietate, etsi in nostras filias, prorsus paterna, obtinuimus. Ex nostris denique devotis Virginibus in Neapolitanis Monasteriis degunt.

Reginæ Cœli	3.
S. Gaudiosi	4.
S. Marcellini	5.
S. Gregorii Armeni	3.
Domnæ Romitæ	3.
S. Sebastiani	3.
Sapientiæ	3.
S. Claræ	6.
Domnæ Reginæ	4.
Providentiæ	3.
S. Mariæ Magdalenæ	11.
S. Andreæ	4.
S. Crucis Lucensis	2.
Omnes	54.

Quas cunctas Neapolitanæ Sanctimoniales religiosa charitate, earum natalibus pari, ad sex menses, suscepere.

CAPUT V.

Sacra absolutione destituuntur non solventes annuos redditus pro Monialium alimentis.

QVia verò nostrorum Monasteriorum restitutio longè plurimum temporis, quò reædificentur, exposcit; nè nostris Monialibus alimenta retardentur, Sacramentalem absolutionem eorum, qui redditibus annuis persolvēdis morosi fuerint, nobis reservavimus. Impium enim est tot Christi sponsas omninò desolatas relinquere.

CAPUT VI.

Pœna excōmunicationis latæ sententiæ in eos, qui deposita Monialium non revelant.

NEc minus criminis in se admittunt ipsarum Monialium consanguinei, qui cùm in tanta jactura, tanquam alienigenis, nullo eis solatio fuere, tùm bona illorum in subito terræmotus casu, vel in earum discessu, sivè depositi, sivè alio quocumque nomine suscepere, & per nostrum edictum sub *pena excommunicationis latæ sententiæ* requisiti, adhuc negligunt revelare. Ideòque præcipimus, ut Civitatis nostræ Parochi semel saltem in mense excommunicationem prędictam evulgare non cessent, donec vel qui bona Monialium habent, restituant, vel qui hujusmodi detentores noverunt, nostro Tribunali denuncient.

Ex decima Synodo tit. VII.

CAPUT VII.

Monialium numerus pro ratione redditum in Monasteriis statuendus.

INter cętera a Sac. Tridentino Cōcilio sanctè statuta, illud Monialium Monasteriis maximè dignoscitur esse proficuum, (*a*) quod & anteà Bonifacius VIII. Constit. quæ incipit (*b*) *Periculoso*, decreverat, & nostrum Provinciale Concilium Tit. XXX. Cap. VIII. novissimè executioni demandandum sancivit, ut is tantùm Monialium numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui ex redditibus propriis Monasteriorum commodè possit sustentari. Quod in nostræ Civitatis Monasteriis exequi volentes, pensatis utriusque redditibus ad hęc statuenda devenimus.

CA-

(*a*) Sess. 25. cap. 3. de Regular. & Monial.

(*b*) C. Periculoso § Sanè. De statu Regularium in 6.

CAPUT VIII.

Numerus Monialium Monasterii S. Petri præscribitur.

CVm redditus Monasterii S. Petri ad ducatos mille quadringentos octaginta sex, grana quadraginta sex cum uno tertio ascendant, & demptis necessariis oneribus ducatorum quadringentorũ triginta sex, & granorum quinquaginta, deputati sint annui ducati mille, & quadraginta novem, grana nonaginta sex cum uno tertio; Cumque ulteriùs in dicto Monasterio cellulæ novem & viginti extent; & ex peritorum sententia pro alimentis uniuscujusque Monialis in hac nostra Civitate ducati saltem sex, & triginta requirantur; Idcircò præsenti Constitutione decernimus, numerum Monialium tàm Choristarum, quàm Conversarum in præfato Monasterio octo, & viginti deinceps futurum: & licèt vigesimæ nonæ summa prædicta sufficeret, cum adhuc residui sint ducati unus, & quadraginta, grana nonaginta sex cum uno tertio, & cellula non deesset: residuum tamen hoc pro aliquo extraordinario, & inopinato sumptu, ut prudentem patrem familias decet, relinquimus.

CAPUT IX.

S. Victorini Monialium numerus taxatur.

SImiliter cum S. Victorini Monasterii redditus ascendant ad ducatos mille, & viginti, grana octoginta sex cum dimidio, & dẽptis necessariis oneribus ducatorum quadringentorum, & viginti, & granorum triginta, deputati sint annui ducati sexcenti, & grana quinquaginta sex cum dimidio: cumque ulteriùs in dicto Monasterio extent cellulæ septendecim, pensatis, ut supràt, alimentis, præsenti Constitutione decernimus, numerum Monialium tàm Choristarum, quàm Conversarum in eodem Monasterio sexdecim deinceps futurum: residuos verò ducatos quatuor, & viginti, & grana sex, & quinquaginta pro inopinatis expensis, ut prętulimus, destinamus.

CAPUT X.

Prætaxatum numerum pro ratione incrementi redlituum augeri posse, declaratur.

QVem numerum octo, & viginti in S. Petri, & sexdecim in S. Victorini Monasteriis decernimus (absque præsentium intra clausuram degentium præjudicio) certum, determinatum, & ordinarium esse debere; ita tamen, ut si pro præfixa rata annui redditus incrementa suscipiant, numerus quoque augeatur.

CAPUT XI.

Dos supernumerariarum præfigitur.

SI tamen accidat, ut aliqua puella supra prætaxatum numerum suscipiatur, ordinariæ ducatorum quadringẽtorum doti aliorum ducatorum centum accessionem taxamus. Hujus verò, vel majoris summæ incrementum pro Monasterii statu arbitrio nostro reservamus.

N CA-

CAPUT XII.

Dos supernumerariarũ omninò in emptionem bonorum stabilium convertenda. Pœna in contravenientes.

ET quamvis *dos numeraria expendi possit* in utilitatem Monasterii *cum sola licentia Episcopi*, ut Sac. Episc. Congregatio pluries decrevit (*a*) quoad dotes tamen supernumerarias id sancivit, (*b*) *ut omninò in emptionem bonorum stabilium convertantur*. Quocirca hujusmodi supernumerariarum dotes in bona stabilia fructifera, & libera, Curia nostra consulta, investiantur, sub pœnis contra alienantes bona Ecclesiastica per Sacros Canones statutis.

CAPUT XIII.

Edictum super Monialium allocutione evulgatur.

ABsque censura silentii, quietis amica, quæ est devotionis nutrimentum, & contentionis obturatio, Religiosorum pacem, & disciplinam stare non posse Sancti Patres edixere: idcircò ut à Monialium Monasteriis importuna exterorum allocutio distineatur, edictum hac super re editum, & in Appendice apponendum, adamussim servari mandamus.

Ex XXII. Synodo tit. II.

CAPUT XIV.

Constitutio Synodalis Foppa circa Monialium dotes, aliàs probata, redditibus modò, ac rerum valoribus diminutis, aliter pro Monasteriis Urbanis moderatur.

CUm secundùm temporum varietatem statuta, ut plurimùm, ubi necessitas id, vel utilitas exposcat, varientur humana (*c*), reprehensibile judicari non debet, si optimam fel. rec. Archiepiscopi Foppę Prædecessoris nostri super Monialium dotibus Constitutionem, in sua de anno 1646. Diœcesana Synodo, quam Nos in prima nostra confirmavimus, editam, aliter hac nostra Constitutione moderamus. Præfixam enim tunc temporis pro qualibet in Monasteriis professura, Moniali chorista ordinariam ducatorũ quadringentorum dotem, quæ annuum dabat quadraginta ducatorum fructum, consideratis modo Monasteriorum redditibus, ac rerum valoribus, in nostra Civitate diminutis; cum qui quondam annuos reddebant ducatos decem, nunc nè quinque quidem, aut quatuor reddant, ducati centum, ac proinde annuos tantùm ducatos sexdecim, vel viginti ad summum dos illa tribuat; congruę profectò Monialis substentationi magno cum Monasteriorum, & Monasticæ disciplinę damno, satis haud esse comperimus,

CAPUT XV.

Ordinaria dos in summa pro nunc ducatorum octingentum pro unaquaque Moniali in Civitatis Monasteriis recipienda statuitur.

VOlentes idcircò in præmissis opportunè providere, prætaxatam ordinariam quadringẽtorum ducatorum dotem auctoritate nostra Archiepiscopali, qua dotes etiam hujusmodi secundùm loca, & tempora minuere, & augere nè dùm possumus, sed debemus, pro fructuum præsentium ratione ad ductos octingentos in nostræ Civitatis Monasteriis tantùm augendam esse duximus, prout Synodali hoc nostro

(*a*) In Ferrarien. 13. Martii 1601. & in Ariminen. 12. Maii ejusdem anni (*b*) Die 6. Junii 1615.
(*c*) Cap. non debet. de consanguinit., & affinit.

ſtro decreto augemus, & auctam denunciamus.

Ex XXIV. Synodo tit. III.

CAPUT XVI.

Regulares præcipui Epiſcoporum Coadjutores aſſeruntur. Quatuor Regularium Domus, una in Civitate, in Archidiæceſi tres fundatæ denunciantur.

DIvina ex quo Clementia ampliſſimã hanc nobis conceſſit Eccleſiam, impares nos tantæ populorũ regẽdæ multitudini deplorantes, Septiformẽ Spiritũ gemitibus inenarrabilibus(*a*) exoramus, ut qui Moyſi olim(*b*) per ſeptuaginta Virorũ mentes animum, vireſque diffudit, queis ille univerſum, ſibi commiſſum, populum mira facilitate gubernavit: indeque Apoſtolis primis Eccleſiæ Chriſti Pontificibus deſtinatis, alios, & ſeptuaginta duos (*c*) adjecit, quibus Orbem ii totũ fecundis prædicationibus impleverunt, ita, & Nobis, qui quantò fragiliores ſumus, tantò his pluribus indigemus (*d*), adiumenta huiuſmodi deſiderare non patiatur. Viginti quatuor ſanè cum, Urbanos inter, & Diœceſanos, Innocentii X. Conſtitutione (*e*) invenerimus Regularium ſuppreſſos fuiſſe Conventus, ac noſtram proindè Eccleſiam talibus, tantiſque Operariis deſtitutam, id etiam, atque etiam ſtudioſè egimus, ut Regulares ipſos, ſecundæ Dignitatis Viros, Ordiniſque Epiſcopalis providos Cooperatores (*f*), in auxilium Nobis, univerſæque Archidiœceſi, nova juxta recentiores Apoſtolicæ Sedis ſanctiones aliquorum Conventuum fundatione revocaremus. Sequentes idcircò quatuor eorundem Regularium Domus, Deo benedicente, hùc uſquè per Nos canonicè fundatas, vidimus, ipſaſque in XXII. Litaniarũ Synodo indicatas, præſenti etiam, nè quem hoc lateat, noſtra hac ſignificatione, typis habenda, denunciamus: & ſunt.

I. Conventus Ordin. Minor. S. Franciſci Reformatorum ſtrictioris Obſervantiæ in Oppido S. Georgii de Montanea de anno 1687.

II. Conventus Noſtri Ordinis Prædicatorũ Congregationis S. Marci Cavotorum in Oppido S. Georgii de Molaria de anno 1697.

III. Conventus præfati Ordinis Minorum S. Franciſci Reformatorum Strictioris Obſervantiæ in Oppido Ceppaloni de anno 1705.

IV. Domus Clericorum Regularium Pauperũ Matris Dei Scholarum Piarum nuncupata, quam proprio noſtro ære dotavimus, in noſtra Civitate de anno 1707.

CAPUT XVII.

Duo inſuper Sanctimonialium Monaſteria, in Archidiœceſi erecta publicantur.

CUmque per Virgines gaudeat, atque in illis floreat Eccleſiæ Matris glorioſa fecunditas; quantòque plùs copioſa Virginitas ſuo numero addit, tantò plùs gaudium Matris augeſcit (*g*); denunciamus ideò duorum Sanctimonialium Virginum in noſtra eadem Archidiœceſi Monaſteriorum fundationes.

Primi videlicet, ſub Regula S. Patris noſtri Dominici in Civitate Montisfuſci de anno 1699.

Secundi verò ſub Regula Sancti Franciſci in Oppido Montisfarculi currenti hoc anno 1709.

(*a*) Rom 8 n 26 (*b*) Num. 11.v.16. (*c*) Lu c.10.v.1.
(*d*) Ex Pontifical in Ordinat. Presbyt. (*e*) La XXII. *Inſtauranda* de anno 1652.
(*f*) In Notis Opuſc. XXXIV. alias XIX D. Thom. cap. 4. concluſ. 1. contra impugnantes Religionem
(*g*) D Cyprian. de diſciplina, & habitu Virginum.

Ex Synodo XXV. tit. III.

CAPUT XVIII.

Synodales Constitutiones plura continent, quæ ad Regulares, præcipuè Concionatores, Confessarios, & Examinatores pertinent. His earum lectio demandatur.

SAcratissimos Religiosorum Virorum Ordines, dum conspicua veluti Ecclesiæ Dei ornamenta, molisque totius Ecclesiasticæ fulcimina veneramur, Regulares insimul, in claustris XLV. nostram honestantes Civitatem, ac Diœcesim, monendos, & obsecrandos in Domino censemus, ut in bonis ipsi operibus, ac virtutibus crescentes, abundantesque, in animarum etiam curæ nostræ concreditarum salutem magis, ac magis cooperari non graventur. Hoc ut felicius exequantur, Synodalium Constitutionum nostrarum notitiam non omninò negligant; plura enim eas legentibus occurrent, quæ ad Dei, & Ecclesiarum cultum propagandum, Sacramentorumque frequentiam promovendam; quæque ad ipsos, cum primis ad Confessariorum, vel Concionatorum, Examinatorumvè munus electos, noverint pertinere. Harum qui jam monitus scientiam contempserit, illum procul dubio apud nos nec verbi Dei Prædicatorem, nec Pœnitentiæ Sacramenti Administrū, nec Examinatorem ultra patiemur.

Ex Synodo XXVI. tit. IV.

CAPUT XIX.

Nova Beneventi Carmelitarum Discalceatorum Conventus fundatio denunciatur.

NOn ultima nostri ea est Episcopalis Ordinis cura, quæ servum sanè fidelem, ac prudentem (a) super Dei familiam constitutum decet; ut Dominicæ scilicet, nobis creditæ multitudini, dignitate dùm præesse meminimus, prodesse simul operibus, ipsi cibum in tempore, & opportuna salutis commoda procurando, studeamus. Episcoporum enim cuilibet Sanctus inquit Augustinus (b) *Si omnibus præesse volueris, singulos juva; & singulos releva, qui singulorum onus, & sollicitudinem portas.* Vobis itaque, Dilectissimi, superna quibus dispensatione præsidemus, jugiter pro posse juvandis intenti, quatuor (antiquos ultra unum, & quadraginta jam existentes) Religiosorum, vestram qui nobiscum operarentur salutem, virorum Conventus in Civitate, & Archidiœcesi nostra respectivè fundavimus, quorū Canonicas in XXIV. nostra Diœcesana Synodo (c) denunciavimus erectiones. Regularium aliam hoc item anno, suam super nos Deo multiplicante Misericordiam, Religiosissimam nempè, ac Sapientissimam Carmelitarum Patrum Discalceatorum (probatissimis quorum studiis, clarissima in dies, firma, stabilis, & unquam inconcussa Schola illustratur Thomistica) familiam in Urbem nostram induximus. Eisque, ac novo illorum Cœnobio, sacris obsequentes Canonibus (d), decem datis ex Sacerdotiis nostris ducatorum millibus, debitam futuris temporibus impēdimus substentationem: quod Vobis modo ad Dei Gloriam, maioremque vestri consolationem, in hac Synodo denunciamus.

CA-

(a) Matth. 20. v. 45. (b) Can. Clemens si 8. qu. 1.
(c) Hoc Tit. Cap. 1. (d) Can. Quoniam 16. qu. 1.

CAPUT XX.

Edicta super Oeconomicis S. Petri, & S. Victorini Monialium Monasteriorum statibus, & Festis, non particularium, sed communitatis impensa celebrandis, publicata confirmantur.

ADvanas, quę humilē professas paupertatem, Religiosas dedecent, æmulationes cohibendas, quod priùs in nostræ S. Visitationis Decretis, id postmodum Edictis, altero pro S. Petri, alteroque pro S. Victorini nostræ Civitatis Monialibus, exequendum injunximus; ut Festa scilicèt, quæ in illarum solemniter, de nostri permissione, celebrantur Ecclesiis, non particularis, quæcumque sit illa, Monialis, sub excommunicationis pœna, Nobis reservata; sed Monasteriorum penitus celebrarentur communitatum expensis: & tunc iis dumtaxat (pompaticis deletis, & sumptuosis) piis, ac modestis, quę Religionem proderent, non speciem aliquam præseferrent inanem (*a*): Quamobrem Oeconomicos amborum Monasteriorum statuus, cum communium expensarum Taxa, à Nobis approbata, evulgavimus; atque Procuratoribus, Abbatissis, & Officialibus, nequid ultrà, quod ibidem præfixum, & taxatum legitur, vel minimum in ratiociniis non admittendum, impenderent, inhibuimus. Quæ quidem, & singula omnia, in præfatis Edictis abundè statuta, & decreta, in hac Synodo confirmantes, ad unguem exequi, & sub eisdem inflictis pœnis perpetuò observari mandamus:

CAPUT XXI.

Speciales invitationes ad Monialium Ecclesias, sub harum interdicti pœna, Festorum occasione, vetantur. Invitatores, ac Invitatrices ab Ecclesiæ ingressu excluduntur.

UT omnis autem à Monialium Ecclesiis, Virgines ubi, Christo nuptæ, quæ Dei sunt, cogitant, non quę Mundi, cogitatio secularis hominis abscedat (*b*): sub earundem Ecclesiarum interdicti pœna eo ipso, speciales quascumque, sivè per mares illæ, sivè per fœminas fiant, Festorum occasione, Invitationes, inquietitudines velut fidelium, qui idcircò a majori fe Dei retrahunt cultu, commoventes unitati (*c*), prohibemus omninò. Adversus verò invitatores, & invitatrices, Sacrosanctam Dei Domum seculi ceremoniis profanantes, exclusionis ab Ecclesia sententiam pronunciamus.

Ex Synodo XXXV. tit. IV.

CAPUT XXII.

Patres Servi Mariæ, qui Terręmotu anni 1688. dirutis eorum Conventu, & Ecclesia, Beneventum reliquerant, novis à Religione exædificatis regressi denunciantur. Regularium Ordinum in Civitate & Archidiœcesi numerus refertur. Gratiæ Deo, Beataque Virgini agendæ indicuntur.

CÆteras inter, quas Terremotu Nos diei V. Iunii 1688., hac in Civitate nostra doluisse oportuit, calamitates, non ultimam fuisse dolemus adhuc, Conventus (*d*), & Ecclesiæ Patrum Mariæ Servorum dejectionem. Doleremus sanè, dilectissimi, & illorum hinc, annos post cen-

(*a*) Con. Prov. Mediol. 1. § Quæ de Concionatoribus. (*b*) Can. Quando, de cons. dist. 1.
(*c*) Can. omnes fideles. Ibid. (*d*) Hujus Fundatio An. MDLVI.

centum triginta duos, Religiosorum abscessum, ac Urbem nostram, spirituali eorundem auxilio, & custodia destitutam, magna si Misericordię Mater, & Virgo, Domina nostra Clementissima, quæ Dei ęmula Misericordiarum Patris, suos tribulationes non sinit habere continuas, sed mœstis etiam sæpe jucunda permiscet (a): Conventum jam, cum Ecclesia, a primo lapide, Religionis pecunia restitutum, & Religiosos ipsos, felicissimo hùc postliminio regressos, currenti Nobis hoc anno videre, communi plausu excipere, & honore, tantę Dominæ servis debito, venerari non tribuisset. Id dum vobis Synodali hac nostra denúciatione commemoramus, humillimè Deo, ac Virgini, pro concesso hoc ferè novo, virorum Regularium Ordine, qui pręter Monialium quatuor, quatuordecim nunc in Civitate numerum, septem verò, & quadraginta complet in Archidiœcesi (b), laudes, gratiæque ab omnibus reddantur, optamus, volumus, & monemus.

CAPUT XXIII.

Beneventano subveniendi causa Conventui, Capuanum annuis gravat ducatis 190. Religio Provinciæ Neapolitanę, cui gratias persolsolvit Archiepiscopus, & Provinciæ preces, cum Sacræ Congregationis decreto, hìc subnecti decernit.

Sacræ verò eidem universæ Servorum Religioni, si quas hujusmodi pro collato Nobis beneficio, grates per Nos agendas censemus, has ipsi permaximas Neapolitanæ Provinciæ peculiari animi significatione rependimus; raro, quæ exemplo amoris in Beneventum, fidei in Archiepiscopum, ac liberalitatis in suos pro hujus sublevanda fabrica Conventus, Capuani redditus Cœnobii in annuis voluit centum nonaginta ducatis obnoxios; nostro tunc impendendis arbitrio, ac inde pro Patribus, in eo futuris, alendis: supplici prout è libello liquet, Sacræ ad Nos remisso Episcoporum, & Regularium Congregationis Decreto, quod hìc memoriæ æternandæ subnectimus, tenoris sequentis.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

„ Il Provinciale dell' Ordine de' „ Servi di Maria Vergine nella „ Provincia di Napoli humilmente „ rappresenta all' EE.VV. come havendo la sua Religione nella Città di Benevento un' antico Convento sotto il titolo di S. Maria „ degli Angioli, fù rovinato più volte da Tremuoti, e dalla Provincia medesima fù sempre risarcito, „ e rifatto con molta spesa, alla quale non potendo più soccombere „ dopo l' ultima rovina fù abbandonato, tanto più, perche non haveva altre rendite, che di ducati cento dieci l' anno. In oggi l' Eminentissimo Signor Cardinal Orsini „ Arcivescovo di detta Città col suo „ zelo pastorale desidera il ritorno „ della Religione, ed il risarcimento di detto Convento, offerendo „ per la fabbrica del medesimo ducati due mila. Mà perche, considerate le rendite del prefato Convento, queste non sono bastanti à „ mantenere sei Religiosi, però la „ Provincia col suo Difinitorio, hà „ ordinato doversi pagare ogni anno „ ducati cento novanta dal Convento di S. Maria Gerosolimitana di „ Capua al suddetto Convẽto di Benevento, stante, che il Convento „ di Capua dagli affitti de' suoi stabili hà accresciuto notabilmente „ l'entrata. Il Capitolo de' PP. del „ Convento di Capua hà accettato „ l' obbligazione impostali dal Difinitorio della Provincia, e ne hà „ disposto l'istromento di pagare annual-

(a) D. Chrysost. hom. 8. in Matth. XXVI.

(b) Syn. Diœc. XXIV. Tit. III Cap. 1. & 2. ac Syn. Diœc. Tit. IV. Cap. I.

„ nualmēte ducati cento novanta a „ benefizio del Convento di Benevento, con patto però espresso, e „ condizione, che cresċēdo l'entrate „ di detto Convento di Benevento „ si debba a proporzione diminuire „ la sōma, per la quale s'è obbligato „ il Convento di Capua, e che li ducati cento novanta del Convento „ di Capua, come gli altri ducati „ cento dieci del Convento di Benevento con li docati due mila offerti per limosina dal Signor Cardinal „ Orsini Arcivescovo si debbano „ ogni anno spendere per mano dello stesso Signor Cardinale, ò persona deputanda da Sua Eminenza, „ per la fabbrica, e risarcimento del „ Convento di Benevento fino alla „ totale construzione del medesimo, „ e dopo debba la sōma suddetta di „ ducati trecento servire per mantenimento de' Religiosi; però l'Oratore, per rendere più valido il „ mentovato contratto, supplica „ humilmente l' EE.VV. ad avvalorarlo col loro grazioso beneplacito. Che della grazia, quam Deu „ &c.

„ Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. „ R.E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta relatione Eminentissimi Archiepiscopi „ Beneventani, referente Eminentissimo S. Clementis, censuit committendum, prout præsentis decreti vigore benignè committit eidem Eminentissimo Archiepiscopo, „ ut veris existentibus narratis, & „ postquam sibi constiterit præfatum „ contractum in majorem Dei gloriam fore cessurum, illum pro suo „ arbitrio, & prudentia validet, approbet, atque confirmet.

Romæ 4. Maii 1714.

F. Cardinalis de Abdua

Locus ✝ Sigilli.

F. Archiep. Nicænus Secr.

TITULUS XXIV.

DE STATU MONACHORUM, ET EREMITARUM

Ex Synodo XV. tit. 11.

CAPUT UNICUM.

Regulæ pro Eremitis ex Provinciali Concilio II. publicantur.

Concilii nostri Provincialis secundi *hoc titulo cap. ult.* sancitum fuit, ut statuta ibi pro Eremitis in maternam linguam traducerentur, & sic traducta in quolibet prostarent Eremitorio pro omnimoda earundem observantia. Quamobrem Decreta ipsa in patrium sermonem versa, in certas Regulas, quas hujus Synodi exhibebit Appendix, pro faciliori executione redegimus; illasque præsenti nostra Constitutione, sub pœnis in eisdem inflictis, ab iis quorum interest, adamussim observari mandamus.

TI-

TITULUS XXV.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPISCOPO SINT SUBJECTÆ.

Ex prima Synodo. Cap. 15.

CAPUT I.

Confraternitatum tàm formale, quam materiale dissipatum in Sancta Visitatione repertum.

CUm ipsis S. Visitationis liminibus Confraternitatum tâm formale, quàm materiale dissipatum, & dilapidatum invenerimus; adeò ut pro reformatione non vulgare studium requiratur, pleniori Synodo, post visitationem peragenda, hanc curam remittendam censueramus. Nè verò interim, quod in præceps ruit omninò pereat, hęc decernenda in præsenti Synodo statuimus.

CAPUT II.

Certus Confratrum numerus statuitur, ex quibus coràm Vicario Foraneo, vel Parocho Prior eligendus, qui electus sub pœna excommunicationis officium non exerceat, nisi ab Archiepiscopo confirmatus.

QVoad formale, quia Confratrię non aliud retinent, quàm Crucem processionalem, vexillum, & cappas cuilibet primo occurrenti pro processionibus imponēdas, præcipimus, ut certus Confratrum numerus deligatur, iique sua nomina dent in libro, ad hoc destinato, describenda, a quibus Confra tribus & non ab aliis, cum præsidentia (ut moris est) nostri Vicarii Foranei, vel Parochi, Prior (quem Magistrum vocant) eligatur, qui sic electus, officium sub pœna excommunicationis non exerceat, nisi postquam a Nobis fuerit confirmatus, ut hactenus factum reperimus, quod consonat præscripto Sacræ Congregationis (a) Episcoporum,

CAPUT III.

Parochi decreta Archiepiscopi Foppa Confraternitatum administratoribus intiment, & Constitutionem Clementis PP. VIII. de anno 1604. qua Confraternitates Ordinariis, & earundem eleemosynæ, & alia oblata, ipsorum Ordinariorum arbitrio in reparationem, & ornatum Ecclesiæ subjiciuntur, promulgent.

QUoad materiale, quia patrimonium Christi talibus creditum Confraternitatibus, quarum bona, legata Ecclesiis, & Altaribus, ad pias causas sunt, non autem collecta per manuales eleemosynas, quę tantum verè Confraternitatum bona dici debent, a Laicis, a quibus administrantur, dilapidatum comperimus eo quod multis ab hinc annis a propriis Archiepiscopis hæc Diœcesis visitata non fuit, Parochi in quorum Ecclesiis, vel sub quorum districtu hujusmodi sunt Confraternitates, eorum administratoribus, (sive Priores, sive Oeconomi, sive Magistri nuncupentur) publicent, & intiment quicquid glor. mem. Prædecessor noster Archiepiscopus Foppa in sua Synodo de anno 1646. statuit, & decrevit; insuper notum faciant omnimodis observandam

dam

(a) 11. Aug 1617., & in una Cæsenaten. 18. Maii 1683.

vandam Constitutionem S. memor. Clementis VIII. incipientem: *Quæcumque a Sede Apostolica*: editam die 24. Decembris 1604. ubi a provido, & SS. Pontifice inter cætera cautum est, ut institutiones Confraternitatum Laicorum, sivè erectæ, sivè erigendæ nullius sint roboris, si Ordinariorum decretis, moderationi, correctioni non subjaceant, & quod eleemosynæ, & alia oblata Christianæ pietatis subsidia, in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, aut alios pios usus arbitrio Ordinariorum implicentur.

CAPUT IV.

Iidem Administratores, si absque Archiepiscopalis Curiæ licentia quoscumque contractus fecerint, sive animalia eorundem piorum locorum vendiderint, in excommunicationis sententiam Archiepiscopo reservatam incurrant.

Quamobrem hujusmodi Administratores noverint se excommunicationis sententiam Nobis reservatam incursuros, si absque Nostræ Archiepiscopalis Curiæ licentia contractus, census, aut investituras bonorum societatis fecerint, sivè animalia vendiderint.

CAPUT V.

In eandem incidant rationem reddere nolentes ab Archiepiscopo requisiti.

Similiter si de administratione rationem reddere noluerint, ab Archiepiscopo jussi, licèt ad hunc usque diem promptissimè rationum libros exhibuerint.

CAPUT VI.

Confraternitatum bona nè in comessationes, aut vanos sumptus impendantur, nevè expensas (exceptis necessariis) etiam intuitu eleemosynæ absque Archiepiscopi licentia faciant, sub pœna dupli, & in subsidium excommunicationis.

Item si bona hujusmodi Ecclesiastica absumpserint in comessationibus, bellicis fragoribus, aut aliis rebus ludicris, cujusmodi sunt luctæ, cursus ad bravia, & similia (etiam prætextu, quod sic hactenus servatum sit) in vigiliis, & Festis Sanctorum Titularium Ecclesiæ, vel Altaris, quibus sunt addicta. Præterea si quaslibet expensas (exceptis quotidianis, quas forzosas vocant) etiam titulo eleemosynæ, absque nostræ Archiepiscopalis Curiæ licentia fecerint, pœnam dupli, ad ipsarummet Societatum beneficium, de proprio solvendam, & in subsidium excommunicationis incurrent.

CAPUT VII.

Eadem de quibuscumque piorum locorum Administratoribus sanciuntur.

Iisdem decretis, & pœnis se se obnoxios noverint quorumcumque aliorum locorum piorum Administratores, quos monitos volumus ut se bonos, & fideles Christi servos exhibeant, quatenus beatum illud, *Euge* aliquando audire mereantur, quo vocati intrent in gaudium Domini sui.

Ex secunda Synodo cap.18.

CAPUT VIII.

Assertis Confratribus præcipitur, sub pœna excommunicationis, nè cappas induant, absque legitima fundatione, exceptis duobus ad Parochi libitum pro usu processionis.

LIcet nonnulla in superiore Synodo de Confratribus cap.XV. decreta ediderimus, quia tamen nullum in eis ordinem in S. Visitatione animadvertimus, maximè quia nè Canonicam quidem fundationem habent, idcircò præsenti Constitutione sancimus, ut nullus hujusmodi assertorum Confratrum cappas deinceps induat, sub pœna excommunicationis, donec legitimam habeant fundationem, (*a*) sine qua Confratres esse non possunt: exceptis duobus, quos Parochus quisque ad libitum suum assumere potest cum cappis prò peragendis processionibus.

CAPUT IX.

Confraternitates SS. Sacramenti Archiepiscopali auctoritate erectæ gaudent Indulgentiis, ac si aggregatę essent Archiconfraternitati SS. Corporis Christi S. Mariæ super Minervam de Urbe.

COnfraternitates itaque SS. Sacramenti, quæ nulla canonica fundatione subsistunt, Nobis pro ea supplicent, quam auctoritate nostra concedemus; hac enim auctoritate erectæ participes erunt Indulgentiarum omnium, quas Sanctę mem. Paulus PP. V. in suo Brevi sub datum Romæ die 3. Novembris 1606. Archiconfraternitati SS. Corporis Christi S. Marię super Minervam concessit, ut ex Brevi SS. Patris Nostri Innocentii PP. XI. sub datum Romę die 1. Octobris 1678.

CAPUT X.

Ceteræ Confraternitates, sivè intermissæ, sive non canonicè fundatæ auctoritate Archiepiscopali prius erectæ, deinde aggregentur, oportet, pro Indulgentiis consequendis.

REliquę Confraternitates, præsertim SS. Rosarii, sivè intermissæ, sivè auctoritate ordinaria non erectæ, Nobis item, ut noster accedat consensus, humiliter supplicent, quatenus auctoritate nostra erectæ Archiconfraternitati aggregari possint, & Indulgentiarum thesauros, pro æterna animarum suarum salute lucrari.

Ex quarta Synodo Cap. 20.

CAPUT XI.

Regulæ pro spirituali Confratrum profectu, proque recta bonorum administratione exhibentur, & confirmantur.

QUam in prima nostra Synodo (*b*) pro Confratriarũ reformatione spem dedimus, in præsenti, Deo dante, complemus. Regulas enim pro Confratrum spirituali profectu, proque recta bonorum administratione, hujus Synodi Appendici annexas, & separatim pro faciliori usu impressas, damus: quibus hac nostra Constitutione perpetuum robur adiicimus. Reliquum est, ut Confratres omnes, non pœnæ formidine, sed amore virtutis, & pietatis, ipsis se conforment: quatenus & pro Christianarum virtutum exer-

(*a*) Constit. Clem. PP. VIII. quæ incipit: Quæcumque à Sede Apostolica 24. Decembris 1604.
(*b*) Cap. 15 n. 1.

exercitio frequentiore, & pro bonis piorum locorum benè, & piè administratis, duplicem à Domino referant retributionem.

CAPUT XII.

Evulgantur Brevia Pauli PP. V., & Innocentii PP. XI. de Indulgentiis, quas lucrantur Societates SS. Corporis Christi Archiepiscopali auctoritate erectæ: quæ brevia Parochi publicabunt Dominica Festum SS. Corporis Christi præcedente, & sequenti Dominica infrà octavam sub pœna unius aurei.

NOverint asserti Confratres Societatum SS. Corporis Christi nondum canonicè erectarum, quod si à Nobis erectæ fuerint, Indulgentiarum omnium, quas S. memor. Paulus PP. V Archiconfraternitati ejusdem SS. Corporis Christi S. Mariæ super Minervam concessit, participes erunt, juxtà Indultum SS. Patris nostri Innocentii PP. XI. sub datum Romæ die 1. Octobris 1678. Utrumq; Breve vulgari idiomate pro captu omnium cum hujus Synodi Appendice exhibebimus, quod Parochi Dominica Festum SS. Corporis Christi præcedente, & sequenti Dominica infrà octavam ejusdem, sub pœna unius aurei pro qualibet omissione, populo legentes proponent.

Ex Sexta Synodo Cap. 12.

CAPUT XIII.

Hospitales domus Diœcesanæ, omnes Archiepiscopo subjectæ Custodem non habeant, nisi ab Archiepiscopo probatum, & patentalibus literis munitum.

OMnes nostræ Diœcesis Hospitales Domus Curię nostræ jurisdictioni subjectæ, omnem nostram requirunt solicitudinem, ut earum administratores Abraham hospitalem imitentur, qui & meruit Angelos hospitio recepisse. Quamobrem præcipimus, ne quis ejusmodi domus custos fiat, nisi à Nobis probatus, & nostris patentalibus literis de more, nunquam intermisso, muniatur.

CAPUT XIV.

Contractus, quem mortificationem vocant, nempè quo quis sua Hospitali tribuit, ut ipse quoad vixerit, bonis hospitalis utatur, absque Curiæ Archiepiscopalis consensu, excommunicationis latæ sententiæ pœna prohibetur.

ILlos verò contractus, mortificationes nuncupatos, quos non paucis in locis nostræ Diœcesis deprehendimus, nempè ut quis sua omnia hospitali tribuat, & ipse deinceps hospitalis bonis, tanquam propriis, quoad vixerit, utatur, absque ullo Curiæ nostræ consensu omnimodis de cætero prohibemus: invenimus enim hujusmodi personas omnes fuisse miserabiles, & parùm intulisse, ut multum absumerent, melioribus hospitii habitaculis frui, & piæ domui tandem esse veluti mus in pera, ignis in sinu, serpens in gremio: (a) ideòque ne talis mortificatio, quæ in Christi pauperum mortificationem vergit, deinceps fiat, districtè mandamus: & qui contravenire præsumpserit, excommunicationis latæ sententiæ pœnam senoverit incurrisse.

O 2 CA-

(a) 13. qu. 2. Ecclesias §. ad hæc.

Ex nona Synodo tit. XI.

CAPUT XV.

Dotes absque Archiepiscopi immediata facultate in locis piis nè distribuantur sub excommunicationis pœna latæ sententiæ: concessa facultas semper de fructibus tantùm intelligatur.

UT Cappellarum, Confraternitatum, locorumque piorum recta deinceps administratio habeatur, nullæ distribuantur dotes, nisi ex legato, longave consuetudine proveniant, aut nostra expressa, & immediata facultate accedente. Nam etsi ex ejusmodi legato, sive consuetudine ortum habere asseratur; id tamen coràm Nobis priùs erit probandum. Qui temerè secùs fecerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrent, a qua inobedientes non absolventur, donec de proprio locis piis satisfecerint. Cæterum obtenta à Nobis hac super re facultate, hæc semper ità intelligetur, ut de fructibus, non de principali forte, neque de bonis stabilibus, ut ante hac iniquè admòdum factum est, desumatur.

Ex Undecima Synodo tit. XX. Cap. 16.

CAPUT XVI.

Montis Frumentarii Urbani incrementum evulgatur.

IN Appendice X. Synodi publicatæ fuerunt Regulæ pro bono regimine Montis frumentarii, à nobis anno 1694. in nostra Civitate erecti, quo ex Divina largitate in dies crescente, ejus incrementum, ad hilariorem indigentium confluentiam, in hujus Synod. Appendice subnectimus, & evulgamus.

Ex decima Septima Synodo tit: V.

CAPUT XVII.

Status præsens Montis frumentarii Urbani notificatur.

AD effrænatam perditissimorum hominum avaritiam cohibendam, gravesquè pauperum, qui mutuo egent, necessitates levandas, Montem Frumentarium, cum Regulis pro bono ipsius regimine, in nostra Civitate ereximus anno 1694. (*a*) cujus præsentem statum, Divina benedictione adauctum, solita Notificatione cum hac tradimus Appendice.

CAPUT XVIII.

Montes frumentarii in Diœcesi corriguntur. Edictum, pro eis emanatum, roboratur, & evulgatur.

ET si datas à Nobis pro Monte frumentario prædicto Synodales Regulas, aliis instituendis, si mutatis mutandis, suis ipsæ locis aptarentur, satis esse judicaverimus; ea tamen est aliquorum nostræ Diœcesis inscitia, ut, quæ ignorant, non legant, & si quæ legunt, minimè intelligant. Quamplurimi namque Ecclesiarum, Confraternitatum, & locorum piorum Administratores, de quibus non nefas sit, Moysi verbis dicere (*b*): *utinam saperent, & intelligerent*: Montes illos, legitimè erectos, consulto nemine, suapte tantummodò auctoritate freti, æmulari volentes, dudùm infra annum frumenta mutuare, eaque in mense Augusto, cum octavæ partis pro quolibet tumulo responsione, exigere inchoaverant. Præter canonicam autem, qua carebant, fundationem, nullam in hoc facto methodum servari, & Administratores à recto hujus-

(*a*) In Append. X. Synodi num. 3. (*b*) Deuter. cap. 32. v. 29.

hujusmodi Montium usu digredientes, id insuper æquum, ac bonum, quod claram sapiebat usuram, opinari, in elapsi anni 1701. Visitatione comperimus. Volentes idcircò Nos, quod ignoranter agebatur, immediata juris provisione corrigere, Montes ipsos auctoritate nostra Archiepiscopali ereximus, & Edictum pro eis certis legibus refertum, in nostra ipsiusmet anni Litaniarum Synodo edidimus; quod modò præsenti constitutione roborantes, cum hujus Synodi Appendice publicamus.

Ex XVIII. Synodo. tit. IV.

CAPUT XIX.

Spiritualium exercitationum methodus pro Confraternitatibus exhibetur.

CUm piis sodalitatum Confratribus, qui Deo pariter, ac Mundo pro humana conditione necessitate servire, ità terrena sapiant, ut eos cœlestia non fastidiant; ad hujusmodi Confratrum pietatem in nostra Archidiœcesi ferè collapsam, pro viribus excitandam & fovendã in quarta nostra Diœcesana Synodo peculiares pro Spirituali ipsorum profectu, proque recta earundem Sodalitatum bonorum administratione Regulas edidimus (a). Cumq; post hæc totum eorum in salutis via progressum à spirituali Præfecto, qui devotionum exercitia practicè dirigeret, singulariter pendere cognoverimus; Edictũ super hoc in elapsi anni Visitatione emanavimus, quod modò in hac nostra Synodo confirmantes, cum cæteris dabimus in Appendice.

CAPUT XX.

Bizocarum mulierum institutio Edicto præscribitur.

INæstimabilis Ecclesiæ decor, etsi vario vivendi genere effulgeat, in una tamen charitate, in Dei scilicet, & proximi dilectione perficitur. In hac autem mira varietate suo splendore non elucet aliquarum nostiæ Civitatis, & Archidiœcesis mulierum vita, quæ Bizochæ nuncupantur. Hæ siquidem (salva famæ bonarum) sola tunica pro libito indutæ, in suis, vel parentum domibus vitam effingentes religiosam, libertate, qua nemo eas donavit, solæ, non sine gravium admiratione, usquequaque vagantur; & veluti parvuli fluctuantes, omni vanitatis vento circumactæ, veritatem non faciunt in charitate (b). At pejus est; dùm Christo Domino famulaturæ, sive Virgines Virginitatem, sive Viduæ castimoniam devovent, a Seculi vanitatibus non elongantur: unde demùm mobilitate animi peccantes, susceptum habitum deponunt; votique reæ sæpius effectæ, Divino Sponso infideles (c), ad hominùm nuptias transire non pertimescunt. Ut ergo salubris ipsarum institutio ad optatum perducatur effectum, Edictum pro canonica illarum ad habitum admissione, & debita earundem disciplina Synodali Appendici inserendum, edicimus, ejusque observantiam, sub pœnis, in eo inflictis, inculcamus.

C A-

(a) In Append. (b) Ad Ephes. 4. n. 14. (c) Cap. Nuptiarum cum seq. 27. qu. 1.

Ex Synodo XXII. tit. III.

CAPUT XXI.

Quadragesimalibus Concionatoribus, ac Missionariis pro hospitio in Archidiœcesi Parochiales, aliæque Ecclesiasticæ domus, hospitalia, & Conventus suppressi assignantur. Edictum super hoc evulgatur.

SAnctæ Prædicationis officium tanti sanè in Ecclesia Dei est; ut præter ea, quæ ad Dei gloriam, regnique Cœlestis propagationem, & Concionatorum instructionem superioribus Nos Synodis decreta effecimus (a), hæc etiam pro summa eorum, qui præstantissimo illo funguntur munere, majestate decernamus, oporteat. Graviter namque nostrum usquemodò perculit animum, quod Verbi Dei Præcones eas in aliquibus nostræ Archidiœcesis Oppidis recipiantur in domus, quæ vulgò *Case della Terra* sunt dictæ, quasque solent viatores publici, apparitores, ceterique contemptibilis hujusce generis homines habitare. Nè sacri igitur Prædicatores hujusmodi, imò ne Divinæ dignitas Prædicationis, Sanctus, ut inquit, Hieronymus, (b), suscipientium infamia deturpentur, Edictum in præsentis Synodi Appendice promulgamus, quo Concionatores omnes quadragesimales, ac Sanctæ Missionis Patres, nostra qui deinceps cū benedictione mittentur, sivè in Parochiales, sivè in Ecclesiasticas domus, Hospitaliavè, aut Conventus suppressos, quorum restaurationes, vel integras è fundamentis erectiones idcircò omni nos solicitudine curavimus, quorumque catalogi in præfati Edicti calce leguntur, omninò recipi, & benignè hospitari volumus, declaramus, atque decernimus.

CAPUT XXII.

Domus supellectilia ab universitatibus juxtà solitum contribuenda. Quæ in Hospitalibus asservantur sub anathematis pœna à custodibus non commodanda.

CUm hoc autem pro decenti ipsorum Ministrorum Dei habitatione statuerimus, cetera consueta quoad eleemosynas, & domus supellectilia, quæ ab Oppidorum Communitatibus, antiquam juxtà, & immemorabilem consuetudinem suppeditantur, firma, stabilia, & inconcussa remanere sancimus; ac propterea mobilium commodationem, quæ in Hospitalibus ad Peregrinorum, vel Infirmorum usum asservantur; illorum custodibus sub anathematis pœna latæ sententiæ prohibemus.

Ex Synodo XXIV. tit. IV.

CAPUT XXIII.

Spiritualibus Confraternitatū Præfectis stipes assignata, per Oeconomos, sub pœna quadrupli, solvenda. Ad hoc Confraternitati SS. Sacramenti, in Metropolitana erectæ, ducatos 400. Archiepiscopus donat.

DIgnum, ac congruum Apostolo (c) docente, arbitramur, ut qui spiritualia seminant, carnalia metant. Universis itaque Spiritualibus nostræ Civitatis, & Archidiœcesis CCCLI. Confraternitatum Præfectis, quam his annuam pro labore ex ipsarum redditibus assignavimus stipem, stabili præsentis Constitutionis decreto, per Oeconomos, sub pœna quadrupli in perpetuum contribuendam volumus, atque decernimus. Idque ut commodiùs in futurum

(a) Synod. VI cap. 11 Synod. XVIII. in Appendicen. 1. (b) Apud Cornel. Alap. in Matth. cap. x. v. 1. (c) 1. Cor. 9. v. 11.

rum peragat egentissima, in nostra Metropolitana erecta Sanctissimi Sacramenti Societas, ducatis illam quatuorcentum, quorum fructus pro firma ipsius Præfecti dote constituimus, currenti hoc mense donavimus: prout ex instrumento, in Appendice referendo; cujus tenorem, singula hic pro expressis habentes, Synodali munimine confirmamus.

CAPUT XXIV.

Ad Confratrum profectus Constitutiones Synodales, super his datę à Præfectis observandæ pręcipiuntur.

PRæfecti ergo, quatenùs fructuosiùs ipsi satis suo faciant muneri, & Confratres, in via Dei ambulantes cum consensu (*a*), proficiant faciliùs de virtute in virtutem, Sanctiones nostras Synodales (*b*), hac super re editas, Regulas insupèr, & Instructiones (*c*), ultimamque cum primis, in XVIII. Synodi Appendice (*d*) propositam, Spiritualium Exercitiorum methodum observare non omittant; strictam Nobis de commisso hoc eis munere rationem reddituri.

CAPUT XXV.

Æquiori hoc jure ab Urbanis Præfectis rigidiùs exigendum.

QVod autem rigidi a Pręfectis omnibus exquirimus, rigidiores ab eis, quos a Spiritualibus habent Urbanę Societates, ullo absque dubio exigemus. Hę quippè, si reliquas omnes Diœcesanas, loci, ubi scilicet Sedes ipsa Pontificalis Magistra reveretur, Divina ubi frequentior est pręedicatio, perobvia ubi Ascetarum consuetudo, excellentia præcedunt; præstantissimis eas volumus virtutibus quoque preæant, & exemplis. Ab eo namque, qui plus habet, plus exigitur: & cum augentur dona, rationes etiam debent crescere donorum (*e*).

Ex Synodo XXVI. tit. V.

CAPUT XXVI.

Publicatur Notificatio circa colores, Civitatis, & Archidiœcesis Confraternitatibus assignatos.

MAgni ea est Gregorii sententia (*g*): *In una fide nihil officit S. Ecclesiæ consuetudo diversa.* Vndè, & Illustriss. Vigiliensem Coepiscopum nostrum Sarnellium, singulas, quæ sub uno ipso militant Christi Crucis vexillo, suę Ecclesię Confraternitates, diversis eas in Lacernis, seù Mozettis coloribus distinxisse prospeximus. Quapropter, tanti nos Pontificis ordinationes ęmulantes, Edictum XLI. quo suum unicuique nostræ Civitatis, & Archidiœcesis Confraternitati colorem descripsimus, & assignavimus, in XXV. Litaniarum Synodo legimus. Nè lectorum autem memoria pereat, in XXVI. hac illud iterùm publicantes Edictum, Synodalibus hisce cum Constitutionibus imprimendę, colligabimus Appendici.

Ex

(*a*) Psalm. 54. v. 15. (*b*) In I. Synod. Diœc. cap. 15. in II cap. 18 in IV. cap. 20 in XVIII Tit. IV. cap. 1. (*c*) In Append. IV. Syn. Diœc. (*d*) Num. III. (*e*) D. Greg. Homil. 9. in Evang. (*f*) Cap. De trina. de consf. dist. 4.

Ex Synodo XXIX. tit. II.

CAPUT XXVII.

Recens Montis Frumentarii Urbani status solita Notificatione indicatur. Quæ in Notificatione ipsa, & Regulis, aliàs evulgatis, jubentur, Montis Gubernatoribus adimplenda commemorantur.

CUm pauperum Patrem Nos esse meminerimus, eorum inopiæ sublevandæ Montem Frumentarium in nostra Civitate ereximus anno 1694. Canonicam Montis hujus fundationem quantum Dominus, *cujus oculi in pauperem respiciunt*(a) benedictione repleverit, ex ultimo quisque poterit ejusdem statu colligere, quem consueta Notificatione sequens dabit Appendix. Regulas proindè a nobis in Decima Synodo(b) ad proficuum illius regimen traditas; quodque insuper in præfata per Nos Notificatione mandatur, nunc denuò per Montis Gubernatores examinatè observanda, atque implenda commemoramus.

CAPUT XXVIII.

Ad egenorum levamen Montes Frumentarii CXVIII. in Archidiœcesi erecti recensentur. Edict. XLIV. publicatur, generalis ubi Montium status affertur, & Instructiones pro eorum Administrantibus emandantur.

DIvina ut & in Archidiœcesi a pauperibus Providentia magnificetur, juxtà illud, quod Psaltes cecinit (c): *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum*; Montes ibidem Frumentarios quamplures ad egenorum levamen fundavimus, qui, cùm in diversis sint erecti temporibus, in præcedentibus, suo loco, Synodis enunciantur (d). Centum enim, & tres de anno erant 1701. Sunt autem modo CXVIII. quinque comprehensis, qui nostram nupèr meruere fundationem, prout in Edicto XLIV. cum Appendice imprimendo declaramus. Omnes autem cùm, Deo benedicente, tumulos nunc habeant frumenti 18720. tumulos 16197. pro firmo, quem statuimus, fundo, in postemum habituri; unicuique idcircò Monti illud Isaiæ: *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno* (e): inscribendum existimamus. Pro felici itaque Montium ipsorum progressu monita, & instructiones singulas, quas præcitato afferimus in Edicto, quasque præsertim ad usurarum eliminandam labem injungimus, Administratores, quocumque ii, vel alio nomine nuncupentur, debitæ non omittant demandare executioni, illius memores, quod in Proverbiis (f) legitur: *Melius est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate.*

Ex Synodo XXXII. tit. IV.

CAPUT XXIX.

Montes Frumentarii XXXVII. in reliquis Archidiœcesis locis fundati denunciantur. Omnes CLXVII. enumerantur. Edicto XLVII. in Appendice præsens eorum status affertur; futurus præscribitur.

AD Pauperum ubique Archidiœcesis nostræ inopiam opportuniùs sublevandam, Montes alios frumentarios XXXVII. qui cæteris triginta supra centum inspectis, ad Synodum usque præcedentem fundatis, centum septem, & sexaginta numerum complent, in reliquis ejusdem Archidiœcesis Oppidis, & Ca-

(a) Psal. 10. n. 5. (b) In Append. n. V. (c) Psalm. 21. v. 27. (d) In Append. Syn. XVII. n. III, Syn. XXII. n. III. Syn. XXIV. nu. IV. & Syn. XXVI. n. VII. (e) Cap. 25. v. 4.
(f) Cap. 16. v. 8.

& Caftris ereximus ; Præfens autem omnium licet Montium ftatus Frumenti fit tumulorum 2128ƒ. 1. 1., ad tumulos tamen illum 31000. pro eo, quem fingulis refpectivè tribuimus, fundo, augendũ fore præfcripfimus; prout in Edicto cum hujus Appendice Synodi publicando, fignificatur. Eos interim, qui Montes curant hujufmodi, nova hac noftra volumus fint Conftitutione permoniti, ut in noftrarum femper, quæ rectum fpectant ipforum regimen Montium, fe navos exhibeant obfervantia Regularum; rationem Deo, cujus oculi in pauperem refpiciunt *(a)* & Nobis, qui egenorum Patres effe dignofcimur, reddituri.

Ex Synodo XXXVII. tit. II.

CAPUT XXX.

Ad fupellectilem pro ægrotis reparandam, annuam ducatorum viginti quinque dotem, erogata forte ducatorum quingentum, Archiepifcopus fundat: eamque Hofpitali S. Deodati hujus Civitatis elargitur.

HOfpitalitatis officium a facris Ecclefiæ Canonibus *(b)* frequenter commendatum, quantum per unicujufque proventus licet, exercendum *(c)* ufque adeò Epifcopis eft neceffàrium: ut fi ab eo inveniantur alieni, jure *[d]* prohibeantur inaugurari. *Oportet itaque Epifcopum hofpitalem effe (e)*, præfertim erga infirmos, cum regionis, tum etiã alienigenas, qui per ipfum funt fublevandi *(f)*. Cum igitur, ut muneris noftri partes pro virili impleremus, LVI. Hofpitalia in Civitate, & Archidiœcefi noftra, ad peregrinorum, ęgrorumque commodum inftituta, quantum ex alto Nobis conceffum fuit, mediocriter inftruxerimus, ad Hofpitale S. Deodati, in eadem Civitate pro adverfa tantùm valetudine laborantibus conditum, & per vigilantiffimos Fratres Ordinis Hofpitalitatis, vulgò S. Joannis de Deo gubernatum, noftræ mentis oculos attentè convertimus. Illud verò adeò tenuibus confpeximus ditatum redditibus, ut vix prò alimentis ipfis Fratribus, nè dum ægrotis, fubminiftrandis fufficerent. Proptereà idem de neceffària faltem fupellectili providere, noftrum effe ducentes, ad ejus beneficium annuorum ducatorum viginti quinque (quos etiam redundare didicimus) ex quingentum ducatorum forte procedentium, donationem omni ævo irrevocabilem, fuperioris anni menfe Decembri peregimus, & pro eorundem adminiftratione Regulas omninò fervandas dedimus in publicis Tabulis, hìc in Appendice alligandis. Faxit interim Deus *(g)* Pater Mifericordiarum, & Deus totius confolationis, ut quoniam pro Hofpitibus peregrinis, atque infirmis excipiendis, levandifque noftras omnes adhibuimus vires, etiam Nobis poft vitæ iftius curfum Sanctorum hofpitia non denegentur *(h)*.

P TI.

(a) Pfalm. 10. v. 5. *(b)* Can 1. & Can Quiefcamus dift. 42. Can. Volumus. dift. 89. Can. Mos eft XII q. 2. Can Quoniam XVI. qu. 1. *(c)* Conc. Trid. Seff 25. de reform. cap. 8. *(d)* Can. Archidiaconum dift. 85. *(e)* I. Ad Timoth. 3. 2. *(f)* Conc. Aurelianenfe V. Can. 21; *(g)* 2. ad Cor. 1. 3. *(h)* Ex S. Ambrof. lib. 1. de Abraham Cap. 1.

TITULUS XXVI.

DE JURE PATRONATUS.

Ex decima Synodo. tit. VIII.

CAPUT UNICUM.

Quæ Diœcesis Universitates legitimo patronatus jure in nonnullis piis locis gaudeant, Edicto promulgantur.

EA erat nonnullarum Communitatum, sivè Universitatum in nostra Diœcesi impudentia, ut juris patronatus colore Ecclesias, Cappellas, Confraternitates, Hospitalia in servitutem, absque nullo fundationis, vel dotationis titulo, redigerent. Ut igitur legitima patronatuum jura, piæque fidelium voluntates in eorum constitutione subsisterent; ac illegitima, atque ex usurpatione quæsita tollerentur, è Curia nostra Edicta generalia, peculiaresque citationes promanarunt, quatenus interesse habentes infrà terminos, prout de jure, sua authentica documenta, & alia secundum juris dispositionem requisita ostenderent, quibus verum titulum docerent. Cumque Communitates, sivè Universitates prætendentes comparuerint, auditis partibus, & considератis de jure considerandis, eas, quæ obtinuerunt, Edicto evulgavimus, quod in Appendice ad futuram rei memoriam exhibemus.

TITULUS XXVII.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.

Ex prima Synodo Cap. 16.

CAPUT I.

Pecuniarum procurationem à visitatis Archiepiscopo solvendam confirmavit Paulus PP. III. Dantes igitur procurationem, nè pro cibariis quibusvis quicquam visitatis imponant, sub pœna suspensionis ipso facto.

UT Santa Visitationis actio, quæ in maximam Ecclesiæ utilitatem vergit, sanctissimè peragatur, & omni deinceps fraudi, superfluisque impensis aditus occludatur, licèt Prædecessorum nostrorum pietas præter solitam pecuniarum procurationem nihil ultrà susceperit, juxtà Bullam sanctæ memor. Pauli Papæ III., qui ante summum Pontificatum, in hac Metropolitana sederat, quique Francisco della Rovere in eadem Metropolitana Successori suo Bullā dedit Velletri Anno Incarn. Domin. 1538. X. Cal. Septembris Pontificatus sui anno IV. ubi de procuratione, quam, & ipse anteà in eandem formam susceperat, hæc habet: *atque ad exactionem procurationis a Suffraganeis dictæ Ecclesiæ, & quibuscumque aliis personis Visitationi subiectis ratione Visitationis hujusmodi debitis IN PECUNIA NUMERATA JUXTA SOLITUM; necnon quascumque alias dictæ Ecclesiæ consuetudines, quæ hactenus in viridi observantia fuerunt, approbamus, confirmamus,*

&

& innovamus, illaque, prout ante concessionem literarum hujusmodi observabantur, in posterum observari debere, &c. Quia tamen complures visitatorum locorum Procuratores Sacræ Visitationis prætextu, multas cibarias expensas etiam invitis persolvebant, ut potius ipsi, veluti Ministri Bel (a) paratos cibos vorarent. Idcircò ut tantis damnis occurramus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ districtè præcipimus omnibus, & singulis Parochis, Capitulorum Procuratoribus, cæterisque ad quos spectat, nè S. Visitationis causa minimum quid cibariorum, pro Nobis vel pro quolibet Convisitatorum nostrorum, visitatorum sumptibus, vel emant, vel offerant, nisi in casu, de quo infrà, Cap. 3., & tunc cum inibi præscripto moderamine. Declarantes Nos sola, solitaque pecuniaria procuratione contêtos juxta Bullam prædictam, quam in visitandorum memoriam revocamus.

CAPUT II.

Quantum utilitatis procuratio potius, quàm cibaria visitatis afferat, demonstratur.

Ex cujus Bullæ observatione magna visitatis utilitas accedet; quia, & si Nos sollicitè, accuratè tamen, & ea, qua par est diligentia, peragemus, nè ex iis simus, quod Deus avertat, *qui*, ut pientissimus Pastor (b) scripto reliquit, *ut fulgur accedunt ad locum & recedunt, non inquirunt, non vident, non docent populum, Visitationem ad pompam faciunt, non ad salutem animarum*, unde provenit, quod Alex. III. improbavit inquiens: (c) *Victum longi temporis brevis hora consumit*. Cum nobis non raro contrarium accidat, quibus quadruplò pluris, quam solita procuratio, Visitationis cibaria constant.

CAPUT III.

Qui cibaria exhibere voluerint, absque tamen Paulinæ Bullæ præjudicio, id facient, conscio domus Archiepiscopalis Oeconomo, qui superfluas expensas reiiciet in damnum procuratorum, & hi ulterius suspensionis pœna irretiti censebuntur.

Si qui verò cibaria impendere magis optarint, Nos eorum desiderio (absque tamen jurium nostrorum juxtà supradictam Bullam præjudicio) ex nostra benignitate indulgemus, dummodo cibariæ prædictæ impensæ fiant conscio domus nostræ Oeconomo, qui quas ipse præceperit, moderatissimas expensas in rationibus admittet; reliquas superfluas in damnum eorũ, qui S. Visitationis titulo abutuntur, reiiciet, & præter damnum prædictum suspensionis pœnam se noverint incurrisse.

Ex secunda Synodo Cap. 15.

CAPUT IV.

Confirmatur Edictum VI. de jure Cathedratico.

Cum inter jura Episcopalia Cathedraticum insignem sibi vendicet locum, quippè quod in honoris, ac subiectionis argumentum, sine quibus potestas nequit consistere, inductum est: *Edictum sextum*, quod hac super re edidimus, præsenti Constitutione firmamus, eique perpetuum firmitatis robur adiicimus.

P 2 CA-

(a) Dan. 14. (b) Rof. de residentia c. 3. Sect. 6. n. 75. (c) c. Cum Apostolus 6 de censibus.

CAPUT V.

Licèt Cathedraticum exigi possit in summa duos solidos non excedente, decernitur tamen, ut beneficiarii habētes annuos redditus infra decem ducatos, duos carolenos; infrà quinquaginta, carolenos quinque: infra centum, decem: qui de massa communi participant, collegiatim duos solidos, sivè ducatos solvant.

QVamvis autem Sacra Episcoporum Congregatio die 28. Februarii decurrentis anni 1687. a Nobis consulta decreverit, dictum Cathedraticum posse per Nos exigi in summa duos solidos, Constitutione Honorii Papæ Tertii, relata in *c. Conquerente 16. de offic. Ordinarii* taxatos non excedente, qui duo solidi duos ducatos nostræ pecuniæ efficiunt: Nos quia non premium, sed honorem postulamus, quamplurium paupertati, ex paterna benignitate consulentes, Cathedraticum in Synodo quotannis solvendum tali moderatione (absque tamen nostræ Archiepiscopalis Mensæ præjudicio) exigemus, videlicet ab Ecclesiis, & beneficiatis,

I. Quibus sunt redditus infra decem ducatos, duos carolenos, denis granis, ut dicunt, constantes.

II. Quibus sunt redditus infrà quinquaginta, quinque carolenos ejusdem valoris.

III. Quibus sunt redditus infra centum, decem carolenos valoris prædicti.

IV. Quod superest, usque ad duorum solidorum, sivè ducatorum summam, prædictis omnibus ex nostra liberalitate condonamus.

V. Ab Ecclesiis verò, ubi plures Sacerdotes de massa participant, ab omnibus simul cujuslibet Ecclesiæ hujusmodi duos integros solidos sivè ducatos monetæ prædictæ.

CAPUT VI.

Morosi, & contumaces stato tempore Cathedraticum non solventes, integris duobus solidis mulctabuntur.

A præfata denique indulgentia excludentur omnes, & singuli, qui prædicta moderatione abutentes, segnes (seù ut vulgus loquitur) morosi fuerint solvendo; nam omnibus, & singulis hujusmodi morosis, in contumaciæ pœnam, integros duos solidos, sivè ducatos solvendos indicimus, in quam pœnam, elapso solutionis tempore incurrent, nunc pro tunc mandatum executiuum in forma relaxantes.

Ex tertia Synodo Cap. 13.

CAPUT VII.

Pius Papa II. anno 1459. concessit, ut Archiepiscopus in quavis beneficii collatione dimidios primi anni fructus sibi reservaret, & in Metropolitanæ fabricam, & reparationem impenderet.

OCtava (*a*) a Christi Domini adventu, Civitatis nostræ concussio enumeratur, qua nupèr eadem subversa est in momento. In sexta verò de anno 1456. quam S. Antoninus (*b*) fusè describit, cùm nostra

(*a*) Anno Domini 369. sub Episc. Liniano
II Ann. 847. sub Episc Ioanne III.
III Ann. 986. sub Episc. Petro.
IV. Ann. 1125 sub Archi pisc. Roffrido II.
V Ann. 1138 sub Archiepiscop. Gregorio
VI. Ann. 1456. sub Archiep Iacobo della Ratra.
VII. Ann. 1627. sub Archiepiscop. Alexandro Patriarcha
VIII Hoc anno 1688 die 5. Junii
(*b*) Par. 3. Cap. 14. §. 3.

nostra Metropolitana Ecclesia ingentem passa fuisset jacturam, atque Archiepiscopi vires impares essent ad eam restituendam, restitutamque manutenendam, Papa Pius II. pietatem, quà rè, & nomine pollebat, exercens, concessit, ut in posterum Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ Archiepiscopi, in quibuscumque Ecclesiasticis beneficiis conferendis, dimidios primi anni fructus cujusvis beneficii sibi reservarent, eosque in ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ fabricam, & reparationem impenderet, prout ex ejus diplomate (a) sub datum Mantuæ anno Incarnat. Dominicæ 1459. Nonis Septembris Pontificatus sui anno 11.

CAPUT VIII.

Capitulum Metropolitanum esse in quasi possessione eligendi Canonicos in mensibus Ordinarii: Mansionarios verò in eisdem mensibus ab Archiepiscopo, & Capitulo alternatim eligi, refertur.

Quia verò Capitulum nostrum Metropolitanum in quasi (b) possessione est in mensibus Ordinarii Canonicos eligendi ad tenorem *Cap. Cum Ecclesia Vulterana 31. de Elect.* qui electi sunt a Capitulo, medios fructus, eodem Capitulo connivente, difficulter solvunt; similiter & Mansionarii quando a Capitulo eliguntur; In horum tamen electione in mensibus ordinarii Archiepiscopus cum suo Capitulo alternativam habeat.

CAPUT IX.

Stante conventione inter Canonicos de anno 1575., ut quicunque quomodolibet admittitur, sivè eligitur in Canonicum, debeat ducatos quadraginta in servitium Sacristiæ persolvere, statuitur, ut Canonici a Capitulo eligendi vel medios fructus Ecclesiæ, vel præfatam summam Sacristiæ, Mansionarii verò ab eodem Capitulo electi vel medios fructus, vel ducatos viginti ante installationē deponant. Quod si Capitulum neglexerit, de communi satisfaciet.

Sed cum alias de anno 1575. die 24. Ianuarii, rogato quondam Notario Salvatore Ricciuto, inter ipsos nostros Metropolitanos Canonicos conventum fuerit, ut quilibet Canonicus in futurum creandus, & admittendus, tàm Apostolica, quàm Archiepiscopali auctoritate, necnon per præfatam Capituli electionem, debeat ducatos quadraginta de proprio impendere, nempè viginti prò uno Calice, & alios viginti prò una planeta cum suis paramentis, in servitium dictę Ecclesię, & Sacristiæ, quæ dicitur Camerella dictorum Canonicorum, & Capituli. Nos dictam conventionem, uti gravissimam ijs, qui medios fructus solvunt, reformantes, præsenti Constitutione decernimus, ut Canonici deinceps à Capitulo eligendi, vel dictos medios fructus, vel præfatam quadraginta ducatorum summam; Mansionarii verò ab eodem Capitulo electi vel medios fructus, vel summam ducatorum tantùm viginti, ante installationem, in manus Depositarii mediorum fructuum deponant. Quod depositum si Capitulum nostrum, ante installationem, ab electis faciendum neglexerit, ipsum de massa communi tantundem solvere tenebitur; nè Ecclesia nostra Metropolitana, quæ hoc tempo-
re

(a) Extat in lib. Statutorum Civitatis pag. 128.
(b) Rot. decis. 244. par. 16. recent. sub die 4. Junii 1670.

re multò magis, quàm anno 1456. jacturam passa est, ab omnibus derelicta, hoc quoque solatio destituatur.

Ex XXIII. Synodo tit. V.

CAPUT X.

Dotes Ecclesiæ Metropolitanæ, ab Archiepiscopo fundatas Metropolitanum Capitulum gratis exigendas curat.

PRovidæ pietatis est, quæ bona dumtaxat ad Dei Domus ornatum offeruntur Ecclesiis, in Exactorum mercedes minimè dissipare. Commendanda est per nos idcircò dilectissimi Metropolitani nostri Capituli pietas; dum earum fructus dotium, quas ad nostræ Ecclesiæ Altarium, Sacristiæ, sacræque suppellectilis beneficium, variis, miserentis Dei auxilio, vicibus ære nostro fundavimus, ut præscriptum integrè impenderentur in usum, eos, annuos excedentes modò ducatos 350. per Canonicum Procuratorem gratis exigendos voluit; seque ad idem perpetuò curandum, solito in nos amore, vel peculiari potiùs in Ecclesiam devotione adductum, jurejurando adstrinxit; prout ex singularum liquet fundationum Tabulis, in præteritarum Synodorum Appendicimus (*a*), ac in hujus Synodi calce (*b*) relatis.

CAPUT XI.

Firma Capituli remanente obligatione, Archiepiscopus mercedem Exactori ex fructibus ducatorum tercentum, nuper Ecclesiæ donatorum, assignat.

UT aliquam verò grati animi nostri significationem Capitulo exhiberemus eidem, operarium insuper mercede sua dignum arbitrantes, die 24. Decembris anni proximi elapsi alios præfatæ Ecclesiæ nostræ donavimus duc. tercentum, à Capitulo ipso in quæstum annuum quinq; pro centum, juxta solitum conferendos. Gratuitam autem Capituli obligationem firmam priùs, & in suo robore permanere declarantes ex hujus capitalis fructibus Canonico exactori prædicto ducatos ternos pro centenis singulis quibusque solvi voluimus, atque mandavimus. Quod quidem, ac cætera omnia in Instrumento, Appendici sequenti alligando, volita, disposita, & mandata, Synodali hoc etiam Decreto nostro communimus.

Ex Append. XXXV. Synodi tit. V.

CAPUT XII.

Excretis Ecclesiæ Metropolitanæ dotibus, eorùm fructuum Exactori mercedem adauget Archiepiscopus novo dato Capitali ducatorum biscentum.

ALiàs (*c*) pro nostræ Ecclesiæ Dotium fructibus exigendis ducatos, qui tunc penè excedebant tercentum quinquaginta, Canonico, eos procuranti, ternos pro centenis singulis, dato a Nobis Capitali ducatorum tercentum, assignavimus. Cumque, qui dat omnibus incrementa (*d*), fructus ita ipsos benedixerit Deus, ut, novis successivè habitis Capitalium additionibus, septingentorum modo ducatorum sũmam excedant; Eandem Nos juxtà proportionem, quæ habitudinẽ dicit quãtitatis ad quantitatẽ (*e*) Exactoris mercedem duximus superaugẽdam. Quocirca aliud hoc anno biscentum ducatorum Capitale donavimus; salvis, & firmis, tunc relatis (*f*) conditionibus, quas unà cum reliquis, in Instrumento appositis, quod exhibebit

(*a*) Syn. XVIII. n. 9. Syn XIX n 8. ibid. n. 9 Syn. XX n. 10 Syn XXI. n 7. Syn. XXII. n ·0.
(*b*) N. 4. , & 6. (*c*) Syn Diœc. XXIII hoc tit Cap. 1 & 2. (*d*) 1 Cor. 3. v. 6.
(*e*) D. Th. 1. par. q. 12. art. 4. ad 1. (*f*) In cit. Syn. 23. Append. n. IV.

hibebit Appendix, confirmamus, & Synodali hac nostra sanctione communimus.

TITULUS XXVIII.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, VEL ALTARIS.

Ex septima Synodo cap. 7.

CAPUT I.

Metropolitanam terræmotu anni 1688. dejectam, Archiepiscopus restituit, restitutamque solemni ritu consecrat 1692. 26. Maii Divo Philippo Nerio sacra. Dedicationis Instrumentum indicatur.

Metropolitanam Ecclesiam nostram, Magnæ Deiparæ in Cœlum Assumptæ erectam, Apostolorum prædicationi synchronam, & à Prædecessoribus nostris basilicè ampliatam, a Nobis quoque pro viribus instauratam, ornatam, terræmotus partim dejecit, partim quassavit; verum ipsa Dei Genitrice, & Divo Philippo Nerio intercedentibus, eam rursus restituimus, restitutamque Deo benedicente solemni ritu dicavimus die 26. Maii decurrentis anni, anniversario ejusdem S. Philippi Nerii natali die recurrente, prout in consecrationis instrumento, quod ad perpetuam rei memoriam in Appendice insertum dabimus.

CAPUT II.

Anniversarius Dedicationis dies in Dominicam primam post octavam omnium Sanctorum transfertur.

Cum autē dedicationis solemnitas per singulos annos sit celebranda, ipso Domino exemplum dante, (a) qui ad festum dedicationis Templi, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem celebraturus advenit: Nos, ut opportuniùs id fieret, anniversarium diem in actu consecrationis in Dominicam primam post octavam omnium Sanctorum transtulimus, & translatum fore, & esse decrevimus.

CAPUT III.

Ejus festum in Civitate cum octava, in Diœcesi sub ritu duplici minori, & sine octava celebrandum.

Quod festum singulis annis tàm in nostra Metropolitana, quā in aliis Ecclesiis Civitatis præfata Dominica celebrabitur cum octava (b): in Ecclesiis verò Diœcesis tantùm sub ritu duplici minori (c), & sine octava.

Ex

(a) Trid. sess. 23. de refor cap. 1 Urb VIII. Const. Cum sicut 96. De Consec. dist. 1. cap. Solemnitates. (b) S. Rit. Congr. in una Neapolitana.
(c) Exemplo Dedic. Basilic. Lateranen. in Breviar. Rom. die 9. Novemb.

Ex XVIII. Synodo tit. V.

CAPUT IV.

Ecclesiæ, & Altaria sine dote non fundanda, neque consecranda. Episcopus, hoc negligens, ad eam tenetur.

SAcris cum sit Canonibus sancitum, ut Ecclesiç absque dotis assignatione non construantur (a), & si hoc in fundatione sit omissum, Ecclesię sic extructę, nisi dos eis antè fuerit assignata, minimè consecrentur (b): in jure merito cautum est, ut ubi Ecclesia sine dote fuerit consecrata, deficientibus, qui ad hanc cogi possent, fundatoribus, vel eorum hęredibus (c), ipsam Episcopus consecrator, vel de bonis Ecclesię, vel de proprio dotare teneatur (d).

CAPUT V.

Pro Ecclesiis, & Altaribus in Civitate, vel Archidiœcesi recens erectis, aut consecratis, dos, sivè manutentionis obligatio habetur.

QVia Canonum statuta ab omnibus custodiantur, oportet (e); hinc est, quod nobis, & in novis Dei domibus ędificandis, & in consecrationibus Ecclesiarum CCXXIII., & Altariū CCCXIII. ex quibus Ecclesias CLXXVI., & Altaria CCXXV. nunc existentia, in nostra Civitate, & Archidiœcesi respectivè, licèt indigni, dedicavimus, sollicitæ curę fuit, vel ut dos constitueretur, vel eorum, ad quos manutentio de jure spectabat, obligatio publici Notarii auctoritate firmaretur. Nè verò cum tempore similia nostrarum Ecclesiarum jura deperirent, instrumenta omnia præter exemplar partibus relaxatum, quod in peculiari ipsarum Cartophilacio asservandum jussimus, in Archiepiscopali nostro Archivo, quatuor congesta voluminibus, custodienda precepimus: eorumque seriem consueta indicabit Appendix.

CAPUT VI.

Metropolitanam Ecclesiam absque dote fundatam, & consecratam hodiernus Archiepiscopus de proprio dotat.

JUribus ad hęc supradictis, & quo simul Basilicam hanc Metropolitanam, sponsam nostram charissimam amore prosequimur, obstricti, eandem Ecclesiam, à primo lapide sine dote fundatam, & indè temporibus nostris, quà vetustate deformem, quà terræmotuum casibus bis (f) labefactam, ter à paupertate nostra suppetiis per Divum Philippum Nerium Patronum nostrum Tutelarem cęlitùs impetratis, majori ex parte funditùs restitutam & undequaque refectam, & ornatam, atque Santificationis Oleo (g) solemniter delibutam, mense Aprili proximè elapso una cùm Ara Principe annuis ducatis novem, & septuaginta ęris nostri dotavimus; uberiora posthac si Deus dederit, subsidia collaturi. Quę autem pro dictę dotis administratione normam, & mandata in publicis Tabulis, hìc in fine alligādis, præscripsimus, Synodali hac Cōstitutione vallamus, & adamussim exequi iterum jubemus; Successorésque nostros Archiepiscopos, ac Metropolitanum nostrum Capitulum pro omnimoda observantia enixè in Domino deprecamur.

Ex

[a] Cap. Nemo de Conf. dist. 1. (b) Can Cum sicut de conf. Eccl. adiuncta glos. verb. Consecranda (c) Glos. ibidem (d) Ibidem (e) Can. Canonum de Constit. (f) Ann. 1688. & anno 1702. (g) 26. Maii 1692.

Ex XXVI. Synodo tit. VI. cap. 2.

CAPUT VII.

Cathedralem Vulturariensem, cum suis Altaribus, Visitationem agens Apostolicam Archiepiscopus consecrat.

INter Ecclesias, & Altaria a Nobis solemniter dedicata, Cathedralis Ecclesiæ Vulturariensis, Provinciæ nostræ, ejusque quatuor Altarium, Apostolicam, Nobis etiam uti Metropolitæ, a SS. Patre nostro Clemente XI. viduatæ illius Ecclesiæ commissam hoc anno 1711. complentes Visitationem, quas peregimus, numeratas referimus consecrationes. Ipsius enim Apostolicæ ratio Visitationis exposcit, ut speciali Nos nota illam in nostra hac Metropolitana recenseamus Ecclesiam, quatenus, & in ejus, dignæ postea, quam Sacris initiaremus, generali restauratione, delegati Nobis, ex parte hac saltim, pateat executio officii, & antiqua, quæ in, immerito licèt, refulsit Archiepiscopo, Metropoliticæ non lateat gloria Potestatis.

Ex XXVIII. Synodo tit. IV. cap. 2.

CAPUT VIII.

Ecclesiæ XI. & Altaria LII. in Diœcesi Vulturariensi ab Archiepiscopo, Apostolicam agente Visitationem, consecrata denunciantur.

QVod autem primi Concilii nostri Provincialis decreto [a] sancitum est, ut ad majus Dei cultus incrementum Ecclesiæ præcipuè Cathedrales, Conventuales, & Parochiales, a Provinciæ Episcopis, cum licuerit, consecrentur, Apostolicam Nos Ecclesiæ Vulturariensis Visitationem prosequentes, exequendum primò curavimus. Quas enim, tum in Civitate, tum in Diœcesi illa destitutas reperimus Ecclesias, eo, antiquas juxta Canonum sanctiones (b) reparandas studio egimus, ut, Divino Nobis suffragante auxilio, Ecclesias ibi XI., & Altaria sola XLI. cum Ecclesiis verò LII., solemni huc usque valuerimus consecratione signare.

Ex Synodo XXIX. Tit. IV. Cap. II.

CAPUT IX.

Ecclesias II., & Altaria XLVIII., quamvis impertinentia, Archiepiscopus in Apostolica vacantis Ecclesiæ Gravinensis Visitatione anno 1714., suam referens ab Archidiœcesi absentiam, speciali nota hic a se consecrata dicit.

MVltas licèt noverimus Ecclesiarum, & Altarium Dedicationes à Nobis peractas, ad rem nostram hìc minimè pertinere, utpotè quæ dotis, vel manutentionis hìc notitia non egent; alta nihilominus iis consideratione perpensis, nonnullas ad nos æquè, ac vos, dilectissimi, procul dubio spectare, fateamur, oportet. Siquidem, aliis nos evangelizaturos, Apostolica hinc auctoritate divulsos, non pauca pro debito, quo tenemur, & paterna, qua vos charitate prosequimur, apud vos operari nostra hanc extra Diœcesim longa moræ prohibuit. E' Metropolitana enim hac Provincia ad Materano Metropolitæ suffragantem Ecclesiam Gravinensem, suo viduatam Episcopo, & Sacro in cujus Baptisterio nostræ gloriamur regenerationis accepisse lavacrum, a Sanctissimo Patre nostro Clemente PP. XI. Apostolici Visitatoris munere clementissimè dignati, accessimus: ibique men-

Q ses

(a) Hoc Tit. Cap. 1. (b) Can. Decrevimus, & Can. Episcopum X. q. 1.

ses ferè quinque a prima die Januarii ad 25. Junii commorati, (die namque 18. Martii Ecclesiam hanc nostram advenimus, celebratisque hìc Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis mysteriis, illuc 18. Aprilis remeavimus) intèr cætera, quæ pro commissi executione officii præeminenti obivimus facultate, Ecclesias duas, & Altaria quadraginta octo, decreto nostro canonicæ tunc formæ, suoque restituta decori, solemniter dedicavimus. Has itaque Consecrationes, nostram quò legitimam, eò & honorificam a vobis excusantes absentiam, si ad Nos, ad vos quoq; spectare, vestrum unusquisque cognoscit ex hoc saltem, quod in comperto est; quia non utilitatis tantum vobis nostræ contulisset personæ præsentis industria, quantum honoris attulit, alienis occupationibus præpedita, Archiepiscopalis hujus, quæ in indignis nobis residet, solicitudo Dignitatis.

Ex XXX. Synodo tit. XIV. Cap. 14. & 15.

CAPUT X.

Altaria sex Archiepiscopus Episcopus Tusculanus in illa Cathedrali consecrat ann. 1715.; indeque ad Ecclesiam Portuensem trāsfertur.

SEx, ex CCXLIX. huc non pertinentibus, post Synodum XIX. in Cathedrali nostra Tusculana, tria scilicet die 12. & tria die 13. Martii decurrentis anni 1715. dedicavimus Altaria. Dedicationes autem hujusmodi nobis hìc commemorandas duximus, posthàc enim quinque nondum dies intercesserant, cum præfatam Ecclesiam, cui annos quatuordecim, menses duos, dies quindecim, Deo patiente, præfueramus, Romæ in Consistorio secreto coram SS. Patre Nostro Clemente XI. in Quirinali habito die decimo octavo ejusdem mensis dimisimus, ac Portuensem optavimus.

CAPUT XI.

Vulturariensis Diœcesis Ecclesias omnes Sūmi Pontificis liberalitate restauratas, Archiepiscopus Visitator Apostolicus consecrat, illiusque memoriam Eucharistica inscriptione perennat.

EXtant, & in Vulturariēsi Diœcesi per Nos adhuc ibidē Visitationē Apostolicam agentes, Ecclesia una, & Altaria quatuor, præter ea superioribus septimo, & octavo enunciata Capitibus, solemni consecratione delibuta, quæ prænotatū infrà impertinentem numerum comprehendi; dicimus, ac declaramus. Veruntamen quantum illa piæ, mirabili, atque omnibus ubique studiis celebrandæ SS. PP. N. Clementis XI. solicitudini, ac munificientiæ, Apostolica cujus benedictione per infirmas manus Nostras instaurata, & canonico sunt restituta decori, debeant, ac teneantur, nosque, & Ecclesia ipsa Vulturariensis sequenti, quæ ibi in marmore prostat, Epigraphe, profitemur.

D. O. M.

D. O. M.

ÆTERNO ECCLESIÆ SACERDOTI

CHRISTO JESU

Æternum Ecclefia Concinat Alleluia.
Anno Salutis Primo Poft Millefimum
Adventurum Tunc Antichriftum
Orbifque Finem Annunciante
Prifco Millenariorum Errore
Tertio Supra Millefimum Anno
Ioanne XIX. Pont. Max.
Sublatam Hærefim
Obfirmatamque Ruituri Mundi Machinam
Catholicorum Afpexit Fides
Templaque Omnia
Itali Cumprimis Gallique
Ad Sacra Jam Reparanda Loca Remiffi
Eo Quafi Difcrimine Soluti
In Meliora Permutavere Fideles.
Sæculo Pofthàc Octavo
Anno fcilicet MDCCXV.
CLEMENTE XI.
Summo Ecclefiæ Hierarcha
Abrogata Contra Ecclefiam Infultante
Siculorum Pfeudomonarchia
Illiusque Adempto Cum Antichrifti Fama Exorto
Regni Antifacerdotio
Vanitatis Arborem Succifam
Defolationis Abominationem Fugatam
Superbiæ Turrim Exinanitam
Lætabunda Simul Ac Gaudens
Civitatis Hujus Ac Diœcefis
Bafilicis Omnibus Æternum Permanfuris
Tanti Pontificis Munificentia
Apoftolico Ærario Suppetias Conferente
Ad Decorem Ufque Innovatis Sacratifque
Cum Univerfali
Vulturarienfis Gratulatur Ecclefia
Perpetuæque Memoriæ
Fr.Vincentius Maria Ord. Præd. Epifcopus Tufculanus *
S.R.E. Cardinalis Urfinus Archiepifcopus
Metropolita
Sede Hac Epifcopali Vacante
Vifitator Ac Moderator Apoftolicus
Humillimi Obfequii
M. P.

* nunc Portuenfis.

Ex XXXVII. Synodo tit. III.

CAPUT XII.

Ecclesiarum, & Altarium in Civitate, & Archidiœcesi consecratorum Elenchi cum dotis, seu manutentionis notitia in Appendice referuntur. Quot ex hac usque ab Archiepiscopo consecratis ad rem ibi non faciant, recensentur. Omnium numerus exhibetur.

ECclesias III. & Altaria VIII. post XXXVI. Synodum; a Nobis licèt indignis, in Civitate, & Archidiœcesi nostra respectivè consecrata duplici Elencho, ut quibus eorum manutentio incumbit, innotescat. in Appendice de more proferimus. His autem Ecclesiis III., & Altaribus VIII. Ecclesiæ CCLXIV., & Altaria DCCLXXVI. ex Synodo XVIII. ad proximè preteritam XXXVI. inclusivè enumerata, aliæque insuper ad rem nostram non facientes, utpote quæ dotis, vel manutentionis hic notitia non egent, Ecclesiarum LXXXIII., & CCCVII. Altarium dedicationes addantur, Ecclesiæ in in unum tercentum quinquaginta; & Altaria sola unum, & nonaginta supra mille, cum Ecclesiis verò mille quatercentum viginti quinque, per Nos ad hunc usque diem 24. Augusti 1722. Divina ferente clementia, dedicata reperientur.

„ Si recensito Ecclesiarum, & Al„ tarium numero Ecclesiæ quatuor „ una cum quatuor Altaribus post „ habitam trigesimam septimam „ Synodum consecratæ (inter quas „ Cathedralis nostra Portuensis die „ 30. Maii 1723. in honorem B.M.V. „ & SS. Dominici, ac Philippi Nerii „ Confessorum dedicata), necnon „ alia XXII. Altaria sola superad„ dentur, Ecclesiæ in unū CCCLIV. „ & Altaria sola MCXIII., cum Ec„ clesiis verò MCCCCLI. sacra „ unctione per nos delibuta usq; ad „ die 22. Iulii 1723. enumerabuntur.

TITU-

TITULUS XXIX.

DE CELEBRATIONE MISSARUM, SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET DIVINIS OFFICIIS.

SECTIO I.

CIRCA CELEBRATIONEM MISSARUM.

Ex prima Synodo cap. 4.

CAPUT I.

In Ecclesiis Conventualibus duo sint libri, in quorum altero Missæ cum cantu ab ipsomet celebrante quotidie adnotentur: in altero qui quovis titulo missarum onus subit, sua manu singulis diebus, & quod satisfecerit, & pro quo onere, scribat. Alter hic liber in omnibus erit Ecclesiis. Edictum II. quo scribendi methodus traditur, evulgatur.

SAnctam illam, & salubrem cogitationem, ut Missarum oneribus, quibus Defunctorum animæ a peccatorum pœnis solvūtur, satis omninò fiat, mente, ut par est, revolventes, & in primis Sanctæ Visitationis liminibus experti nullos haberi ab aliquibus Ecclesiarum Rectoribus satisfactionum libros, districtè præcipimus, ut Ecclesiæ Conventuales, seu in quibus anniversaria celebrantur, duos libros tantos, quantum est chartæ folium, optimè concinnatos parēt, in quorum altero Missæ cum cantu ab ipsomet celebrante per singulos dies adnotentur: in altero unusquisque, qui Missarum oneri succumbit, vel ex legato, vel ex contractu, vel ex fundatione Beneficii, vel ex quovis titulo, sua manu singulis diebus scribet, & quod satisfecerit, & pro quo onere, juxta Decretum S Congr. Concilii sub S. M. Alexandro Papa VII. emanatum in hæc verba. *In Sacristia liber quotidiano usui paratus sit, in quo singuli Sacerdotes, qui in ea Ecclesia Sacrificium obtulerint, Missam a se tali die celebratam adnotent, & cujus oneris ratione celebraverint, propriæ manus subscriptione, testentur.* Qui posterior liber in omnibus, & singulis erit Ecclesiis. Scribendi verò methodum dabimus in Edicto, in calce hujus Synodi apponendo, quod executioni demandabitur a prima die venturi Ianuarii 1687. sub pœnis in illo inflictis.

Ex secunda Synodo cap. 12.

CAPUT II.

Pacis exhibitio per patenam, seu manipulum proscribitur. Non danda Pax, ubi nec Clericus, nec Instrumentum habentur.

NOverint Archipresbiteri, & Parochi omnes, quod, etsi Pacis datio Missæ conveniat, si nec instrumentum proprium, nec Clericus adsit minister superpelliceo indutus, Pax dari non debet, ut in Missalis rubrica tit. 10. nu. 3. cautum est. Quāobrem caveant, nè vel ipsimet pacem dent, nevè deficiente proprio instrumento patenam, sivè manipulum osculanda exhibeant; maximè quia manipuli osculum superstitione non carere cognovimus; ideòque contravenientes in suspensionis pœnam incurrant.

Ex quarta Synodo Cap. 4.

CAPUT III.

Missæ sacrificium omni religionis cultu peragendum.

CUm Sancta quævis sanctè ministranda sunt, nè maledictio iis, qui faciunt opus Dei negligenter, divinitùs comminata, feriat oscitantes: tùm maximè providendum est, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quo nullum aliud opus sanctius, ac Divinius tractari potest, omni religionis cultu, ac veneratione celebretur.

CAPUT IV.

Edictum XII. hac super re editum, Sacristiis affigendum, & in Rituum Congregationibus, sub pœna in eo imposita legendum promulgatur.

QUoniam verò nonnulla, ob exiguum Ecclesiarum numerum, quam in præsentiarum nostra Civitas, superiore anno terræmotu concussa, habet, irrepsisse videntur, quæ a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, Edictum nostrum hac super re tùm pro nostra Civitate, tùm pro Diœcesi editum, & in Appendice inferendum, præsenti Constitutione evulgamus, eique perpetuum firmitatis robur adjicimus: necnon in *Sacristiis affixum habendum, & in Rituum Congregationibus* singulis quibusque mensibus legendum, sub pœna in eodem Edicto imposita, districtè mandamus.

Ex quinta Synodo Cap. 3.

CAPUT V.

Quæ à tanti Sacrificii dignitate aliena, sunt eliminanda.

INter cætera, quę Pastorali Pontificum solicitudini Tridentina Synodus curanda mandavit, illud quidem præcipuum est, ut Sacrosanctum Missæ sacrificium, quanta maxima fieri potest devotionis, ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa sivè temporum vitio, sivè incuria irrepsisse in S. Visitatione accepèrimus, quæ a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, eadem præsenti Constitutione eliminanda decernimus.

CAPUT VI.

Qui cantum Gregorianum nesciunt; solemnem Missam concordi voce, Clericorū Regularium, quos Theatinos appellant, more concelebrent, donec didicisse Archiepiscopo constiterit. Qui secus fecerit, sex ducatorum pœna coercebitur.

MAndamus itaque, ut nullibi Ecclesiarum, ubi summa Gregoriani cantus peritia desideratur, Missæ cum cantu, quem aereum vocant, celebrentur, sed æqua vocum concordia, quemadmodum Clerici Regulares, Theatini appellati, consveverunt, peragantur, donec præfatum cantum edocti, & a Nobis, sivè de nostro speciali mandato probati, Missis decantandis idonei reperiātur. Idipsum quoad reliqua officia præceptum intelligatur. Qui hujusmodi Constitutionis trāsgressor deprehensus fuerit, ineptum cantum sex ducatorum pœna deplorabit.

CA-

CAPUT VII.

Qui cantum callent, in Miſſarum ſolemniis Rubricas ſervent. Qui dum à Choro, vel ſequentia, vel Symbolum cantatur, Miſſam ſubmiſſa voce peraget, duorum ducatorum pœna mulctabitur.

QVi verò eundem cantum callentes Miſſarum celebrant ſolemnia, caveant,nè latum quidē unguem à rubricis deficiant; nonnulli ſiquidem tanquam ſummo tædio affecti, vel dum ſequentia cantu in Choro perſolvitur, ſivè pro Miſſa Paſchatis, Pentecoſtes, & Corporis Domini, ſive pro agenda Defunctorum; vel dùm ſymbolum fidei, quo S. Romana Eccleſia in Dominicarum, nonnullorumque aliorū feſtorum Miſſis, uti aſſolet, decantatur, Miſſam ipſam ſubmiſſa voce, non ſine adſtantium fidelium ſcandalo proſequuntur. Tantam celeritatem duorum ducatorum pondere pro qualibet tranſgreſſione cohibemus, nè qui plantati in domo Domini eſſe debent, tanquam folium, quod vento rapitur, ab Altari deinceps ſe ſe expediant.

CAPUT VIII.

In minoribus Eccleſiis, ubi Quadrageſimalibus, aliiſque ejuſmodi diebus Miſſæ canuntur, Miniſtri Dalmaticas non induant, ſed Subdiaconus Albam, & Manipulum; Diaconus Albam, Manipulum, & Stolam adhibeant.

INhibemus præterea, nè quadrageſimali tempore, aliiſque diebus, quibus in Cathedralibus,& præcipuis Eccleſiis planetæ plicatæ uſui ſunt, in minoribus Eccleſiis Miniſtri Dalmaticas, & coloris non rarò incongrui deinceps induant; ſed ubi Miſſas canere licet, Albam tantùm, & cum ea Subdiaconus quidem manipulum, Diaconus vero ſtolam inſuper adhibeant: prout Miſſalis Rubricæ præcipiunt.

CAPUT IX.

Sub pœna ſuſpenſionis, Archiepiſcopo reſervatæ, Clericis præcipitur, nè in Choro communibus, ſcilicet ſine Cotta, veſtibus induti, vel Divina celebrent officia, vel Miſſam canenti reſpondeant.

ILlud denique omninò eliminandum præcipimus, quod in nonnullis noſtræ Archidiœceſis remotioribus partibus fieri deprehendimus, Clericos nempè communibus tantùm veſtibus indutos in Choro aſſiſtere,& Miſſarum ſolemnia celebranti reſpondere, & quæ canenda ſunt perſolvere: ignorantes habitum Clericalem ſuperpelliceum eſſe, quod Epiſcopus ordinator ſolum imponens, *habitum ſanctæ Religionis* appellat. Si quis in poſterum vel pro Miſſa, vel pro Divinis officiis celebrandis id auſus fuerit, à ſacris miniſteriis ſit ipſo facto ſuſpenſus, a nemine, niſi a Nobis, tali vinculo abſolvendus.

Ex Sexta Synodo cap.3.

CAPUT X.

Pro majeſtate ſolemnis Sacrificii Altare maximum inſtitutum.

AD Miſſæ Sacrificium ſumma devotionis, ac pietatis ſpecie peragendum, Patres noſtri Altare in ſublimiore Eccleſiæ navis loco ſtatuerunt, teſtudine columnis ſuffulta obduxerunt,cancellis,quibus Clerus à populo diſtingueretur, munierunt, & varium Miniſtrorum ordinem ſtatuere, quibus Miſſarum ſolemnia,qua decet majeſtate, celebrarentur.

CA-

CAPUT XI.

Prohibentur itaque Missæ solemniores in Altaribus, seu Cappellis minoribus, in quibus nulla ad hoc esse potest decentia, sub pena interdicti Altaris, sive Cappellæ.

QVod minimè attendentes plerique, non ordinata devotione moti, Missam cum cantu in quovis Ecclesiæ Altari, prout ejus Sancti festum occurrit, persolvunt, vel persolvendam curant, licèt Altare illud, sive Cappella solemnioris ministerii incapax sit, & qui Choro adsunt, quicquid ibi peragatur, non videant, vel si ad Cappellam accedant, laicis commixti indecorè intersint. Quapropter præcipimus, ut in posterum Missæ omnes solemniores in Principe Ara fiant, sub pœna interdicti illius Altaris, seù Cappellæ minoris, in qua sacrificium cum cantu peractum fuerit.

Ex septima Synodo Cap. 5.

CAPUT XII.

Nullus externus sivè secularis, sivè Regularis, se presbyterum asserens, ad divina celebranda admittatur, nisi ab Archiepiscopo, aut ejus Vicario Generali, vel Foraneo, consideratis literis testimonialibus, facultas in scriptis data fuerit, sub pœnis etiam corporalibus, Archiepiscopi arbitrio.

INfandum illud Sacrilegii crimen, quod non ordinati Sacrosanctum Missæ sacrificium celebrantes, & Pœnitentiæ non rarò Sacramentum administrantes temerario ausu perpetrare per Italiam comperti sunt, nè fortè, quod Deus avertat, in nostra Archidiœcesi, Rectorum negligentia, contingat, Encyclicas literas a Sac. Congregatione S. Officii die 26. Januarii currentis anni nobis datas, & in Appendice transcriptas, dieque 29. Martii evulgatas, rursùs præsenti Cōstitutione publicamus, mandantes omnibus Archipresbyteris, Rectoribus, Oeconomis, & Vicariis præsertim Foraneis, ut eas ad literam servent, nulliqne extero, sive secularis sit, sivè Regularis, se Presbyterum asserenti, facultatem divina celebrandi concedant, nisi a Nobis, aut a nostro Vicario Generali, vel Foraneis, visis, & cōsideratis literis testimonialibus suorum Ordinariorum, sivè Superiorum, talis facultas in scriptis eis concessa fuerit, sub pœnis etiam corporalibus, arbitrio nostro reservatis.

Ex nona Synodo tit. XII. cap. 1. 2. 3. & 4.

CAPUT XIII.

Presbyterorum recens promotorum abusus, qui describitur, eliminatur.

IGnorantia, Mater errorum, eò Clericos præsertim adigit, ut ineptiæ inventa, ritus æstiment venerabiles. Cum itaque, sicut accepimus, in remotioribus nostræ Archidiœcesis partibus Presbyter, recens promotus, pro primo Sacro faciendo in propria domo sacra induat paramenta, & prævia deinde Cruce, Cleroque subsequente, stultèque canente, *Ecce Sacerdos magnus*, aliosque hymnos, & cantica, ultimus sedi insidens deferatur in Ecclesiam, usque ad infimum Altaris gradum, ad quem de Sede descendens, Missam inchoet immediatè: præcipimus, & districtè mandamus, ut si quis de cætero id attentarit, ipso facto a divinis suspensus existat.

CA-

CAPUT XIV.

Epiftola cum Cotta, & Manipulo nè canatur. Subdiaconus, & Diaconus cum Alba, quando fine Tunicella, & Dalmatica miniftrare debeant, præfcribitur.

SUbdiaconus fuperpelliceo indutus Presbytero Miffàm cantanti folus inferviens, cum Epiftolam canit, non fumat manipulum: fuperpelliceo enim folummodò tunc uti debet. Si autem Diaconus, & Subdiaconus in Ecclefiis non Collegiatis miniftrent quadragefimali tempore, aliifque diebus, prout in quinta noftra Synodo cautum eft, Subdiaconus Alba indutus Manipulum, Diaconus infuper Stolam adhibebunt. Meminerint inter Albam, & fuperpelliceum longè intereffe.

CAPUT XV.

Pacis inftrumentum mulieribus nè exhibeatur, ut fibi ipfis inter fe per manus tradant.

QUod in fecunda noftra Synodo admonuimus, pacis nẽpè exhibitionem, etfi Miffæ conveniat, fi decentèr nequeat, fieri non debere: idipfum nunc rurfus mandamus; præfertim cum acceperimus, Pacis inftrumentum mulieribus exhiberi, ut ipfæ, per manus traditum hùc, illùcque diftrahant, non fine magna indecentia. Rectores itaque Ecclefiarum in quibufcumque facris fivè folemnibus, fivè Parochialibus ab hujufmodi inepta pacis exhibitione, fub pœna ducatorum fex, prorfus abftineant.

CAPUT XVI.

Presbyteri facris veftibus induti ante, vel poft Miffam laicis poteftatibus, vel in earum Oratoriis, reverentiam nè habeant: aliter fufpenduntur a divinis.

CAveant Presbyteri, qui coràm Dominis temporalibus, etiam in privatis eorum Oratoriis celebrant, nè donec facris veftibus funt induti, eifdem, vel ante, vel poft Miffam reverentiam habeant, aut caput inclinent, fub pœna fufpenfionis ipfo facto Nobis refervata. Cum hæc cæremonia folis Epifcopis, ac S.R.E. Cardinalibus debeatur.

Ex XVIII. Synodo tit. VI. cap. 1.

CAPUT XVII.

Generalis miffarum onerum Catalogus, nuper completus, evulgatur; eorumque fatisfactio jubetur.

DEfunctorum animæ, pro quibus orare falubris eft cogitatio, ut a peccatis folvantur, nil magis a Nobis, qui piarum omnium difpofitionum, tàm in ultima voluntate, quàm inter vivos, ex Sac. Trid. Concil. fanctione, fumus executores, fiducialitèr præftolantur, quàm ut Altaris Sacrificia ad eas e Purgatorii pœnis levandas, teftamento relicta, vel alias affignata fideliter celebrari curemus. Idcircò quemadmodum pro certo miffarum numero in noftra Civitate, & Archidiœcefi nancifcendo labores, & expenfas non continuimus, ita oneribus ipfis ab omnibus, ad quos attinet, ad unguem fatisfieri ftrictiffimè mandamus; pœnas, in prima noftra Diœcefana Synodo minatas innovando. Ad hoc enim, & Miffarum omnium, numerum 98517. attingentium, Catalogum, in Archiepifcopali noftro Archivo repofitum, cum

R in

in volumen excreverit, seorsim cudendum voluimus :. & Collectivam generalem, unà cum decreto, a Nobis in ejusdem Catalogi fine, pro ipsius observantia læto die 31. Martii currentis anni 1703. quod nova hac nostra Decretali fulcimus, pro breviori habenda notitia in Appendice referemus.

Ex Synodo XXV. tit. VI. Cap. 1.

CAPUT XVIII.

Populus ad Altaris sacrificium conveniens, genuflexus aperto capite, & in silentio ibi adesse compellatur.

ABusum, suadente sanè Diabolo, inductum, eorum nempè, qui irreverentèr ità tremendo adsunt Altaris sacrificio, ut ex eorum externo situ, habitu, & conversatione nulla interior animi religio indicetur, Vobis, Consacerdotes Venerabiles, significare satis ducimus, ut os verbis, flagellis manum, pectus zelo ad talem è Templo Dei tollendam abominationem armetis. Attendatis itaque, & in celebratione, dum correctio sequatur, subsistite aliquandò: attendatis, & Regulares insuper attendant, hortamur, ut Missam, qui audiunt, omnes aperto sint capite. Viri quidam, alioquin digni, capitia, seù birros albos omninò deponant. Nemo unquam sedeat. Omnes, mulieres præcipuè nobiles, utroque genu ad finem usque stent. Fœminæ cum infantibus, quorum strepitus, clamores, & ploratus sacras inter actiones fieri non possunt, non admittantur: & ubi propter frequens hoc scandalum pluries monitis, & contumacibus in Sancta Visitatione Ecclesię ingressum eo ipso inhibuimus, rigorosè servetur. Colloquatur nullus; id quod aliqui ità procaciter, & irreligiosè agunt, ut non in orationis domo, sed in foro, vel panegyri versari videantur. Qui tertia vice correcti non se emendaverint, Nobis, Ecclesiastico statim interdicto subjiciendi, denuncientur.

Ex Synodo XXIX. tit. III. Cap. 1., & 2.

CAPUT XIX.

Secunda pars generalis Missarum omnium, in Civitate, & Archidiœcesi perpetuò celebrandarum, Catalogi, Anno editi 1703. nova ad Annum usque 1713. Missarum onera continens, Typis data denunciatur.

PErpetuis Missarum oneribus, obnoxiæ quibus nostræ sunt Civitatis, & Archidiœcesis Ecclesiæ, suo quatenùs, ut par est, loco, & tempore satisfiat, præcipuæ nostræ Pontificalis curæ pariter esse noscimus, ac laboris. Quæ etenim ad annum usque 1703. implenda pensavimus, abundè in generali descripta Catalogo, seorsim eodem anno Typis excuso, tradidimus. Collectionem verò, Missarum tunc numerum 98517. exhibentem, in Decimæ octavæ nostræ Synodi Appendice decrevimus publicandam. Decennio exinde completo, secundam hoc anno generalis ejusdem Catalogi Partem, nova, è Decima octava prædicta ad vigesimã octavam inclusivè Synodum acceptata, Missarum onera, nostris cum iisdem Synodis successivè edita, & mendis nunc omnibus expurgata, complectentem, Typico prælo mandavimus: in cujus calce præter ipsius, quam afferimus secundæ Partis Synopsim, & primæ castigationem, ac summam, universas quoque Partis utriusque Missas, numerum, non 110628. ut in vigesima octava prædicta fuit Synodo relatũ, sed 111233. singulis indagine accuratiore discussis, attingere denunciamus.

CA-

CAPUT XX.

Synodalibus Missarum onerum Recognitoribus Catalogos suprà relatos legi, & Edictum II. pro Missarum satisfactione emanatum, observari jubetur. Curiæ Advocato Fiscali negligenti penæ, in eodem Edicto propositæ, executio comminatur.

SUa itaque uniuscujusque erit Synodalis Missarũ onerum Recognitoris Catalogos hujusmodi præ manibus habere, singulaque sibi commissa, quàm attentè considerare; quatenùs satisfactionum libros revisurus, Missarum numerum, ac ubi, quando, & à quibus celebrari debeãt, non ignoret. Methodum præterea, per Nos eis in II. nostro satisfactionis Missarum Edicto propositam, paragraphum cum primis *vigesimum quintum* perlegant, serventque omninò: non enim parvos, quos doleamus, à Recognitoribus ipsis in hoc obeundo munere errores perpetrari comperimus. In tanti autèm momenti re caveat & sibi Advocatus noster Fiscalis, cujus negligentiam pena contra ipsum etiam in Edicto eodem comminata, quavis non obstante excusatione, in posterum afficiemus.

Ex Synodo XXXII. Tit. VI. Cap. 1.

CAPUT XXI.

Pro Prædicatorum Ordinis anno Seculari quinto, feliciter excurso, gratiis Deo per Archiepiscopum actis, pro ejusdem Ordinis incolumitate solemne sacrum quotannis exti seculi in Metropolitana instituitur.

EUcharisticas nuper, Dilectissimi, ac celebres, diebus octo continentibus, a decima tertia Iunii ad vigesimam inclusivè, Deo, qui minimam illam nostri Prædicatorum Ordinis Plantam, à Divo Parente Dominico in Ecclesiæ agro defixam, rigavit ita, fœcundavit, auxitque, ut in magnam, infima cujus Nos, & utinam non arida frons sumus, Arborem elata, quinque jam numerantur secula, cum uberes suos à mari usque ad mare ramos, & usque ad flumen propagines ejus extendat, in nostra hac Metropolitana gratias Nos egisse, vidistis. Quas autem, & grati animi ergo, & pro futura nostri Ordinis incolumitate, preterito Nos anno 1716. Decembris die vigesima tertia, Quintum dum Religio ipsa seculum absolvat persfelicissimè, solemnes Deo hostias quotannis ineũtis tunc seculi Sexti in eadem Metropolitana statuimus offerendas, vobis, quorum orationis etiam suffragia petimus, plena hac in Synodo denunciamus: & Instrumenrum ipsum, præfata die rogatum, hic in calce exhibendum, iterum, atque iterum confirmantes, Synodalis hujusce sanctionis robore communimus.

Vide etiam infrà Sect. IV. Cap. Unic. §. 1.

R 2 SE-

SECTIO II.

CIRCA SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ.

Ex secunda Synodo Cap. 5.

CAPUT I.

Parochi, & Concionatores Sanctissimæ Eucharistiæ frequentiam suadeant.

SAnctissimæ Eucharistiæ frequentiam Parochi omnes, & Concionatores quàm maximè possunt, suadeant: & præcipuè, si non frequentiùs, saltèm quater in anno sumant, scilicet in Nativitate, Paschate & Pentecoste (ut quondam sub præcepto erat) necnon, & in festo SS. Assumptionis B. V. Mariæ exhortentur; Secularibus verò exemplo sint omnes Clerici, sivè in minoribus, sivè in sacris Subdiaconatus, & Diaconatus ordinibus constituti, qui omnes, & singuli etiam sola prima Clericali tonsura initiati quindenis saltem quibusque diebus Pœnitentię Sacramento expiati, Sacra Communione reficientur. Ipsi verò Parochi notulam habeant, in quam singulos singulorum in hac re defectus, & negligentias redigant, quam deinde ad Nos ordinationis tempore mittent, ut hujusmodi vecordes à sacra ordinatione rejiciantur; iidem verò Parochi, si ab hujusmodi notitia nobis exhibenda abstinuerint, vel in exhibita fidem non servaverint, suspensionis pęnam se noverint incursuros.

Ex quarta Synodo cap. 10.

CAPUT II.

Cæremoniarum observantia circa Pixidem cum particulis fer. V., & VI majoris hebdomadæ servandam præcipitur.

SAcrarum Cæremoniarum observantiam in nostris Ecclesiis, pastorali, qua par est, sollicitudine perscrutantes, nonnullos parùm rectè se gerere in Pixide cum particulis servāda feria V. & VI majoris hebdomadæ comperimus, tum circa tempus asservationis hujusmodi, tùm circa locum, quę quidam vel minùs decentem in Sacristiæ armariolo, vel Altare nudum in publica Ecclesiæ Cappella deputabant.

CAPUT III.

Tempus, & locus dictę Pixidis fer. V. in Cœna Domini reponendæ præscribuntur.

NOs, ut omnes se se Rubricis conforment, mandamus, ut feria V. in Cęna Domini in Collegiatis, & Parochialibus, finita Missa, & absoluta processione repositionis hostię in Calice reservatæ, antequam Bulla Cœnæ à Diacono in Collegiatis, a Parocho in sua Parochiali populo publicetur, aliquis Sacerdos, cotta, stola, & velo albis indutus accensis cereis præcedentibus, Pixidem cum particulis ab Altari Majore, sive a Cappella SS. Corporis Christi, ad capsulam, ubi Calix cũ majore hostia reservata collocatus est, deferat, & in eadem recondat. In Metropolitana

tana verò Ecclefia id fiat, quo tempore Nos Miffalia paramenta deponimus.

CAPUT IV.

Tempus extractionis ejufdem Pixidis, & locus refervationis fer. VI. in Parafceve affignantur.

FEria autem fexta in Parafceve, ubi Diaconus, vel Parochus Calicem cum majore hoftia refervata è capfula extraxit, Pixidem cum particulis in ea relinquit, & capfulam claudit; Sacrifta verò quatuor juxtà eam accenfas candelas non extinguit. Vbi Sacerdos ex Altari recefferit, & in Choro vefperæ incipiuntur, aliquis Sacerdos cum cotta & ftola alba (quia functio extra diei officium eft) accedat ad Sacellum, in quo antea Calix cum majore Hoftia refervata erat, & velo albo in humeris impofito, Pixidem è capfula reverenter extrahat, & præcedentibus accenfis cereis, vel ad Cappellam remotiorem (fi qua in Ecclefia exiftit), vel, quod commodiùs, & præcipuè in Parochialibus opportuniùs, in Sacriftiam, ubi Altare paratum, & tabernaculum appofitum fit, lampafque ardeat, recondat.

Ex quinta Synodo cap. 2.

CAPUT V.

Sanctiffimæ Euchariftiæ cultus commendatur.

QVæcumq; in hac militanti Ecclefia fancta funt ad Sanctum Sanctorū, cujus vera, & realis præfentia in Sanctiffima Euchariftia eft, referuntur. Templa, Altaria, luminaria, Sacerdores, fefta, ad id inftituta; quinimò D. Dionyfius *ad hoc Sacramentum, tamquàm ad fuum finem Sacramenta omnia alia ordinari*, fatetur.

Ex nona Synodo tit. XII. cap. 5.

CAPUT VI.

Communicantis mento mundum linteum, aut fericum fupponatur.

CVm privatè facra habetur Communio, Communicantis mento non burfa, aut palla, aut Calicis velum; fed mundum linteum, aut fericum fupponatur.

Ex decima octava Synodo tit. VI. cap. 2.

CAPUT VII.

SS. Euchariftiæ Sacramentum extrà miffam fine fuperpelliceo non difpenfandum.

ADmirandum, ac præftantiffimum omnium Dei mirabilium Venerabilis Euchariftiæ Sacramentum, in quo Nobis Chriftus fumendus proponitur, verus Deus, qui furfum fedens, incorruptibili vicinus virtuti, ab Angelis adoratur, a quibufdam Regularibus contrà omnium Cæremonialium Ritum (dolentes, & verecundi hoc dicimus) abfque fuperpelliceo, quod fieri fine gravi culpa non poteft, fidelibus adminiftrari audivimus. Si enim in umbra mvfteriorum Samuel miniftrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo; decens erit verum, ac reale Chrifti Corpus in communi vefte attrectare? Fas nè erit in quotidiana fidelium Communione, quod in ipfa neceffitate, in extrema fcilicèt infirmorum vitæ periodo nequaquam licet? Suum igitur, quicùmque fint, agnofcant erratum, & quod perperam egerunt, in melius emendent; hoc eft, cum facra ab eis extra Miffam erit difpenfanda fynaxis, fuperpelliceum, & ftolam fuper habitum induant, & fic ad Altare procedant, in quo cætera adimpleant, quæ a Rubri-

bricis quàm clarissimè præscribuntur: aliàs eorum Ecclesias etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, interdicti censuræ subjiciemus.

Ex XXV. Synodo tit. IV. cap. 2.

CAPUT VIII.

In Communionibus generalibus, Viris seorsim a Mulieribus, suoque ordine devotè dispositis, Sacra distribuenda Synaxis.

CUm fideles ad Sacratissimæ Eucharistiæ Mensam, non anima solum a peccatorum maculis expurgata, sed sensibus omnibus ad devotionem commotis accedere oporteat, hoc Ecclesiarum, etiam Regularium, Præpositis (exemplo eis præeunte Metropolitana) curæ sit, ut singuli in Communionibus præsertim generalibus ordinatim, virique semper seorsim a fœminis, ante Altaris Cancellos, vel ante, ad id præparata, fœmina, mappis albis cooperta, humiliter, ac devotè genuflectant. Communicandi vero, divinam dùm expectant tangere, & intra se sumere Majestatem, animi demissionem illam evangelici Centurionis æmulantes, illius quoque orationem usurpent: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.*

CAPUT XI.

Dum generalis Communio agitur, piæ Communicantibus dentur Meditationes. Earum quoque etiam in Appendice exhibetur.

AD excitandam item Communicantium pietatem, & tanto debitam Sacramento conciliandam venerationem, rumoresque, qui in generalibus Communionibus persæpè fiunt, evitandos, mandamus, ut in Ecclesiis omnibus, ubi sacra ipsa communio generalis peragitur, pius aliquis, & doctus Presbyter (nostra, ut assolent, in Metropolitana religiosissimi Societatis Patres) pias populo subjiciat meditationes. Idoneus ubi Presbyter haberi non possit, eas saltem Clericus cunctantèr devota, & alta voce legat, quæ Synodi hujus Appendici adnectentur.

Ex XXXVII. Syn. Tit. IV. cap. 1.

CAPUT X.

Tutior aptandi Hostiam in Tabernaculo gestatorio modus evulgatur.

QUemadmodum ex omnibus mysteriis, quæ nobis Christus Deus, & Dominus noster, tanquam divinæ gratiæ instrumenta reliquit, nullum est, quod cum Eucharistiæ Sacramento comparari possit; ita nulla gravior admittitur culpa, quàm si res, quæ, utpote sanctitate plena, quæque ipsum sanctitatis continet Auctorem, solemniùs celebrari debet, minùs fortassè religiosè tractetur. Nimis indecorum proptereà semper nobis visum fuit, si, quando post consecrationem hostia in Tabernaculo gestatorio pro expositione haud facilè componi potest, manifestum subeat fractionis discrimen, vel ex ejus qualicumque dispositione aliquid erga divinum illud Sacramentum parum officiosum, aut ex inopportuna mora aliquid offensionis in populo suboriatur. Nè in posterum absurditatem ejusmodi doleremus, viam vobis hæc ad usum expeditè evocandi, jam inde a præterito mense Iunio aperuimus in Notificatione typis data, hic in Appendice apponenda, quàm ad unguem custodiendam hoc decreto sancimus.

Vide etiam infrà Sect. IV. cap. un. §. II.

SE-

SECTIO III.

CIRCA DIVINA OFFICIA.

§. *I.*

CIRCA OFFICIUM MARIANUM IN METROPOLITANA ECCLESIA.

Ex XVI. Synodo tit. IV, cap. 1., & 2.

CAPUT I.

Diurna officii parvi B. V. M. recitatio in Eccleſia Metropolitana inſtituitur: Doſque pro tali onere fundatur.

HUmillima noſtra, ac ſincera erga glorioſiſſimam Virginem Dei genitricem Mariam Patronam, & Advocatam noſtram, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, quæque ſuper Sydera exaltata, ſtellato aſſidet Divini ſui ſolio Filii, aſſidua apud ipſum pro nobis ſupplicatione interpellans, devotio planè exigit, ut ejuſdem Auguſtiſſimæ Cœli Reginæ cultum, & venerationem, quantùm hic nobis conceditur, promovere, ac ampliare ſtudeamus. Si quidem ſi Dominum in Sanctis ejus laudare jubemur, quanto magis in Sanctiſſimæ Virginis veneratione exultantibus animis collaudare, & ejus laudum augendo titulos, gratias eidem, quem genuit, Regi jugiter referre debemus?

Quocircà in Eccleſia noſtra Metropolitana, quam ſub magnę Dominę, ad Cœlos aſſumptæ, venerabili nomine ab ipſa in noſtram Civitatem, Sanctorum Apoſtolorum tempore, Evangelicæ Fidei invectione fundatam, ac vetuſtate jam inde ſqualidam; Divina favente gratia, ac S. Philippo Nerio noſtro tutelari Patrono intercedente tanquam Sponſam noſtram dilectiſſimam decoravimus, ac die XXVI. Maii MDCXCII. ſolemni ritu dedicavimus, quotidianam Canonicarum prælibatæ Virginis horarum recitationem decurrēti hoc anno MDCCI. die XXII. Februarii, Beato Petro Damiano Cardinali Pontifici Oſtienſi, ejuſdem officii Inſtitutori, vel Reſtitutori ſacra, ad Omnipotentis Dei, & inviolatæ Matris ipſius honorem Inſtituimus, atque decrevimus: conſtituta à Nobis pro hujuſmodi onere Manſionariorum Collegio perpetua dote, prout ex inſtrumento, eadem die rogato, quod in hujus Synodi Appendice ad perpetuam memoriam relaxabimus.

CAPUT II.

Statutorum in præcitato inſtrumento inviolabilis obſervantia demandatur.

CUm in Divinis charitas ut plurimùm apud homines frigeſcat, & quæ rectè ſunt juſſà, haud difficilè mutentur, ac trāſgrediantur, hoc experientia nos edocet, ut ſemel latæ leges, iterùm, atque iterum inculcentur, oporteat. Quapropter præſenti hac noſtra Conſtitutione ſancimus, ut quæ pro prædicti Officii Mariani recitatione, aliiſque in præcitato inſtrumento contentis, inter Nos, & præfatum Manſionariorum Collegium ſtatuta ſunt, ſedula ab eis fidelitate in perpetuum exequantur, aliàs condignis pœnis noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum Archiepiſcoporum arbitrio mulctabuntur.

Ex

Ex XVII. Synodo tit. VI. Cap. 1., 2., 3., & 4.

CAPUT III.

Ministrorum pro quotidiana recitatione Officii parvi B. V. in Choro Ecclesiæ Metropolitanæ augmen exequiotur. Per Metropolitanum Capitulum duo Canonici gratis adhdicuntur.

MInima nostræ devotionis semina, quibus elapso anno 1701. die XXII. Februarii, cum dote ducatorum mille, & quingentum, Mansionariorum Collegio assignata, quotidianā B. M. V. horarum recitationem in nostra Metropolitana ordinavimus, ità Sanctus ille Spiritus, qui Sacratissimo ejusdē B.V. utero, divina obumbrante virtute, fœcunditatem contulit, rigavit, ejusque *incrementum dedit*, ut anno fundationis obnoxios duos Canonicos à devotissimo Metropolitano nostro Capitulo, amoris impulsu, ac gratitudinis debito erga præfatam Virginem perpetuò adjunctos, Nos vidisse concesserit. Hæc aûtem ut futuris temporibus obligatio perseveraret, idem Capitulum celebre supèr ipsa statutum condidit sub die XXI. Decembris, sequenti die nostræ confirmationis decreto vallatum, quod sequens exhibebit Appendix.

CAPUT IV.

Quatuor alii Mansionarii pro eadem recitatione instituuntur. Altera dos ducatorum 1500. creatur.

DEcurrenti verò anno 1702. die ipsa XXII. Febr., alterius fūdationis anniversaria, quatuor dictis Mās ionariis, quatuor alios addidimus; consimili à Nobis quingentum suprà mille ducatorum dote constituta; prout ex instrumento, quod cum Appendice pariter imprimetur.

CAPUT V.

Item septem Canonici ex Metropolitano Capitulo adjiciuntur. Dos 5540. ducatorum fundatur.

PRoximo tandem elapso mense Iunio, die XIV. S. Basilio Magno dicata, ad majorem præfatæ Sanctissimæ Virginis gloriam, & honorem, benignissima cujus clementia apud Deum pro nobis advocante, nostroque Patrono S. Philippo Nerio simul intercedente, hoc eodem anno, die XIV. Martii, in maximo Terremotu, quo nostra Civitas non adhuc præcedenti casu subsistens, cum aliquibus nostræ Diœcesis Oppidis semel, atque iterùm excussā, ferè tota (centum dumtaxat, & quinquaginta in Vrbe, triginta quatuor in Diœcesi defunctis) secunda vice *subversa est in momento*, tertiò liberati sumus, tertiam condidimus fundationem, cum dote ducatorum quinque mille quingentum quadraginta ad nostri Metropolitani Capituli favorem: hàc intèr nos lege pacta, ut tertia Canonicorum pars, septem scilicèt Canonici *per turnum*, præter duos prædictos, vi statuti obligatos, qui novē efficient, (septem enim, & viginti sunt omnes nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ Canonici) tertia qualibet hebdomada, per dies singulos recitationem antedictam in Choro cum octo Mansionariis exolvant: oneribus aliis, & conditionibus salvis, in actis, supradicta die rogatis, expressis, quæ cum cæteris in fine alligabuntur.

CA-

CAPUT VI.

Memorata instrumenta confirmantur. Omnia adamussim exequenda. Diligentibus præmium; contumacibus pœna proponitur.

CUm quæ abundant, fcripturas vitiare non foleant; ideò Nos omnia, & fingula, quæ in antefatis Inftrumentis, inconcuffis, & abfque ulla penitus immutatione fervandis, cum noftro Capitulo, ac Manfionariorum Collegio inivimus, pro majori eorum obfervantia, de ejufdem Capituli noftri confenfu, Synodali hoc noftro decreto, pofterorum memoriæ nunquàm immorituro, confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimus.

Fructum verò fœcunditatis fuæ benedicat Deus, qui dat omnibus incrementum: ac, meritis Auguftiffimæ Virginis, in noftrę Ecclefiæ Canonicis, & Manfionariis, qui fuaviffimo Mariæ Nomini pfallunt, Spiritum dilectionis ergà illam adaugeat: quatenus, non pœnarum timore, quas, ultrà reliquas in prędictatis tabulis ftatutas, noftro, & Succefforum noftrorum arbitrio refervamus: fed Religionis virtute, & æternæ retributionis fpe, eorum munus rectè, & hilaritèr exequantur.

Ex XX. Synodo tit. XVI. Cap. 12.

CAPUT VII.

Novus Canonicorum numerus, nova ducatorum 3960. dote affignata, pro officii Mariani recitatione in Ecclefia Metropolitana inftituitur.

INnumeras, qui a Deo, Alma ipfius Genitrice, ac Virgine Maria, Domina noftra, intercedente, in dies benedictiones accipimus, novum hoc anno, die fcilicet 22. Februarii, Canonicorum numerũ, qui eidem B. V. M. in Choro noftræ Ecclefię Metropolit. per dies fingulos pfallant, fuperiore dote ducatorum 5540. ad ducatos 9500. adaucta, inftituimus. Hanc autem inftitutionem, ac fingula in Inftrumento, cum reliquis in Appendice relaxando, recenfita confirmamus, ac noftri hujus decreti patrocinio communimus.

Ex XXII. Synodo tit. V.

CAPUT VIII.

Pro quotidiana officii B. Virginis recitatione in Ecclefia Metropolitana Manfionariorum numerus ad decem ufque augetur. Dos alia ducatorum 750. per Archiepifcopum fundatur.

PRecifis meritorum infignia, quibus Beatiffima Virgo Dei Genitrix Maria, Domina noftra, gloriofa fedibus illata fydereis, quafi ftella matutina (a) refulget, quotidiana nos piæ devotionis indagine perfcrutantes, modos jugitèr intrà pectoris arcana revoluimus, queis, quam in rerum omnium difficultatibus, & operibus noftris femper invenimus Adjutricem, Sacratiffimam eandem Virginem ità honoremus in Terris, eam ficuti Redemptor nofter Deus fublimavit in Cœlis. Quamobrem ad ma-

S jo-

(a) Eccl. cap. 50. n. 6.

jorem ipsius Virginis gloriam pro diurna sui officii recitatione, quæ a dilectissimis Metropolitani Capituli nostri Canonicis, & octo Mansionariis, nostris ex fundationibus in Choro persolvitur, duos alios Mansionarios hoc anno sub die 22. Februarii adjunximus: eorumque Collegio septingentum quinquaginta ducatorum dotem pro novo hoc onere assignavimus: salvis pactis, & conditionibus, in primo, & altero fundationum hujusmodi Instrumentis expressis, prout ex actis, supradicta die rogatis, quæ Synodi hujus Appendici alligabantur.

Ex XXIV. Synodo tit. VI.

CAPUT IX.

Dotes pro Mariani Officii recitatione per Archiepiscopum in Metropolitana instituta, alia ducatorum 3240 donatione augentur; novusque Psallentium numerus adauctus enunciatur.

QUotidianis a Deo gratiis, licèt ineffabilibus, Clementissima Virgine, ipsius Genitrice, Maria pro Nobis intercedente cumulemur, speciali eas, humilique confessione dignas agnoscimus, quibus, & diurnæ, per Nos in Ecclesia nostra institutæ, Canonicarum ejusdem Virginis Horarum recitationis principium sit benignè velle dignatus, & illius incrementum benignissimis semper prosequatur auxiliis. His actum est igitur, ut, datis hoc anno 22. Februarii ducatis aliis 3240. prout latiùs in Instrumento, in Appendice relaxando, septendecim ex viginti septem, sint modò Canonici, duos præter, Capitulari lege obstrictos; ac Mansionarii decem, ex sexdecim, quos nostræ institutionis vigore per dies singulos Deiparæ psallentes audimus; omnes si Deus dederit, audituri. Faxit ipse, a quo bona cuncta procedunt, ut Almæ Virginis bonitate affectus, nostrum in bonis desiderium compleat (a), & votum perfectione coronet.

Ex XXV. Synodo tit. VI. cap. 4.

CAPUT X.

Alius duorum Canonicorum numerus pro Mariani Officii recitatione in Metropolitana Ecclesia per Archiepiscopum instituitur.

MUnificam in Nos, Dilectissimi, Almæ Dei Parentis beneficentiam jugi, ac reverenti confessionis obsequio magnificantes, alium, quem hoc anno, die scilicet 22. Februarii, duorum Canonicorum, eidem B. Virgini in nostræ Ecclesiæ Choro quotidie psallentium, numerum instituimus, superiore dote ducatorum 12740. ad ducatos 14180. adaucta, referimus. Novam hanc autem institutionem, cæteraque in Instrumento, cum reliquis in Appendice ponendo, recensita, confirmamus, ac nostri hujus decreti robore communimus.

Ex XXVII. Synodo tit. III.

CAPUT XI.

Novam pro tribus aliis Canonicis, in Choro Ecclesiæ Metropolitanæ Marianum officium recitantibus, dotem Archiepiscopus constituit.

SVpremo, quem pro diurna in Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Choro Sanctissimæ Virginis Matris Dei Mariæ Officii parvi recitatione in XXV. nostra Diœcesana Synodo (b) recensuimus, Canonicorum numero

(a) Psal. 102. n. 5. (b) Hoc tit. cap. 6. & Append. n. VII.

ro, tres alios, consimili per Nos eidem bis mille centum sexaginta ducatorum dote constituta, hoc anno accessisse significamus: quæque insuper in Instrumento, Appendici alligando, præscripsimus, Synodali hoc nostro decreto perpetuò servanda sancimus. Deo interim, nostrum cui velle totum, & prosequi gratissima confessione deferimus, gratias exhibentes, jugi ab eo, dilectissimi, & humillima Nobiscum esflagitatione deposcite, ut, nostra, cujus ità cultum, honoremque protendimus, Domina Celsissima intercedente, quæ a Nobis ipso Auctore sunt cœpta, auxiliante ipso, ad finem usque compleamus.

Ex XXVIII. Synodo tit. V.

CAPUT XII.

Viginti duobus Canonicis quotidie in Metropolitana Ecclesia B. V. Officium recitantibus, vigesimum tertium Archiepiscopus adjungit; eique consimilem dotem assignat.

QVia virtus boni operis (Divus ait (a) Gregorius) perseverantia est; & sacris nos Canonibus edocemur (b) propositum nostrum custodire, in finem usque perseveraturi: non nisi Deo, ejusque Intemeratæ Matri, ac Virgini Mariæ pergratū esse confidimus, quidquid per annos ferè singulos in Choro nostræ Metropolitanę Magnę Dominę psallentibus constantèr exhibemus. Viginti duobus enim per Nos Canonicis, diurnum, qui in ea (duobus exceptis, Capitulari statuto obnoxiis) Mariani officii pensum exsolverent, institutis, vigesimum tertium hoc anno adjunximus, pro quo, præcedentibus æqualē, Deo suppetias conferente, pensionem, publico, ut liquet ex Instrumento, cū Appendice imprimendo, fundavimus. Fundationem ergo ipsam cum omnibus, in ea expressis, pactis, vinculis, & conditionibus confirmantes, Synodali pariter nostri hujus decreti robore communimus.

Ex XXIX. Synodo tit. III. cap. 3., & 4.

CAPUT XIII.

Reliquus Canonicorum omnium numerus, qui Marianum Officium in Choro Ecclesię Metropolitanæ quotidiè recitent, per Archiepiscopum impletur. Dos ultima ducatorum 1440. quæ, aliis unita, summam efficit ducatorum 18500. enunciatur. Institutiones omnes Synodali decreto confirmantur.

VIrgo Dei Genitrix Maria, de qua scriptum interpretatur: *Ab æterno ordinata sum, & cum Deo cūcta cōponens, delectabar per singulos dies:* (c) ita sibi in quotidiana per nos invecta sui in Ecclesiæ nostræ Choro Officii parvi recitatione cōplacuit, ut ab an. 1701. decē ultrà, ex sexdecim, Mansionarios, omnes tandem Canonicos (si duo demantur Capitulari lege cum substituendi facultate interessentes) ad præsens usque, istis pro diurno hoc penso ducatorum 18500. illis 3750. ducatorum dote assignata, firmitèr jam Nobis instituisse concesserit. Deo idcircò, ipsique Virgini, Patronæ nostrę Clementissimæ, humillimas agentes gratias, institutiones hujusmodi, successivis prout sunt effectæ temporibus, in ultimo, quod Appendici alligabitur, solutionis 1440. ducatorum Instrumento pro reliquis duobus Canonicis, decurrenti anno, Februarii die vigesima secunda, rogato, jussimus indicandas: easque insupèr Decretali hac nostra, si opus est, iterum confirmantes, perpetuo firmitatis robore communimus.

S 2 CA-

(a) Hom. 15. in Evang. (b) Can. Vos 16. qu. 1. (c) Prov. cap. 8. verf. 23.

CAPUT XIV.

Beatæ Virginis Officium alias inter officii diei horas, feriali more, recitandum. Canonicos, Mariano officio addictos, mense quolibet per dies octo vacare decernitur.

ILlud autem speciali hic Sanctione confirmandum decernimus, vacationem scilicet dierum octo singulis quibusque mensibus, quam Nos Canonicis dumtaxat impertiti sumus: Dignum, ac justum arbitrati, ut, qui universum Canonicorum cœtum quotidiè Marianum Officium inter Canonicas, prout in feriis assolet, diei Officii horas recitare deinceps obligavimus, Conciliari eos vacatione potiri, & dies liberos pro Capitulari exequenda substitutione habere permitteremus. Reliquum est, Dilectissimi, ut & vos in Domino jugi exultatione congaudeatis: & Almę psallentes Deiparę, laudes ejus famulatu pio, ac dulci modulatione persolvere non obliviscamini.

Ex XXX. Synodo tit. XV. Cap. 17. & 18.

CAPUT XV.

Canonicis Metropolitanis, dotes ultrà pro B. V. Officio creatas, ducatos alios mille, qui diurnam tantùm mercedem impleant, Archiepiscopus donat.

PRememoratę institutiones stabiles deinceps ut perseverent, & merces ipsa quotidiana, unicuique per Nos Canonico assignata, ullam nè diminutionem patiatur, aliorum die 22 præteriti Februarii, dotes ultrà fundatas, Metropolitano nostro Capitulo ducatorum 1000. donationem fecimus. Horum fructus aliàs in Capitalia coaugmentandos, annuę nonnisi statutę, pro singulis Canonicis, triginta sex ducatorum stipis supplemento deservire mandavimus, & hac iterum nostra Constitutione decernimus: fusiùs proùt in Instrumento, quod sequēs exhibebit Appendix.

CAPUT XVI.

Mariano Officio alios quinque Mansionarios, cum dote ducatorum bismille, Archiepiscopus addicit: Collegioque ipsi, pro quotidiano item integrando stipendio, ducatos 500. elargitur.

PRoximo insuper elapso mense Majo, die 25. Sancti Philippi Nerii Pervigilio, ad majorem SS. Virginis gloriam, benignissima cujus clementia apud Deum pro Nobis interpellante, ipsoque Patrono nostro S. Philippo simul intercedente integrum jam Canonicorum numerum, Magnę qui eidem Dei Parenti in Choro nostrę Ecclesiæ psallant, implevimus, Mansionariis decem per Nos, ut prętulimus, institutis, quinq; alios adjunximus, decimum sextum mox, Deo opitulante, adjuncturi. Mansionariorum interim Collegio, pro novo hoc penso, Capitale ducatorum bismille persolvimus, & cuilibet ipsorum quinque, ut decem aliis, annuos ex rata fructuum ducatos decem, & octo constituimus. Hujusmodi Nos verò stipendii consulentes perennitati, eadem qua lege Capitulo nostro Metropolitano, pręcedenti ut est capite relatum, ducatos mille donavimus, prędictum Collegium ducatis etiam quincentis donatum voluimus. Hæc itaque, ac cætera in actis, supradicta die rogatis, expressa, quæ cum reliquis hic in calce alligabuntur, confirmantes, nostra hac item Synodali Sanctione fulcimus.

Ex

Ex Synodo XXXII. tit. VI. Cap. 2.

CAPUT XVII.

Post Canonicos omnes, & Mansionarios, Marianis Horis in Metropolitana quotidiè persolvendis addictos, pro ultimo, qui desiderabatur, Mansionario dotem fundat consimilem Archiepiscopus: & omnibus quatriduò per menses singulos vacare posse concedit.

MIfericordiarum verò multitudinem, divina quibus Nos clementia pro quotidiana instituenda in nostræ Ecclesiæ Choro Mariani Officii recitatione, complevit, duodenarius, qui perfectionem fignat(a), ipsarum exhibet numerus fundationum. Quod enim ab initio anno 1701. humillima a Deo fupplicatione exquisivimus, ut omnes fcilicet ejufdem Ecclesiæ Canonici, omnefque Manfionarii in id munus obfequii per nos poffent, congrua eis dote affignanda, dicari; vicibus hoc undecim ad annum ufque 1715., & duodecima delapfo anno 1716. totum pro voto Nobis accidiffe profitemur: fupradicta namque die vigefima tertia Decembris, qui ex Manfionariis fexdecim fupererat, ultimum, ut in Tabulis præcedenti capite citatis, de fua fimiliter penfione providimus: & omnibus vacationum indultum per quatuor cujufque menfis dies benignè concesfimus. Ea autem die fupremum hoc a Nobis debebatur Sacratiffimæ Virgini Deiparenti obfequium, quo & pro fuis erga nos patrociniis grates, etiā ei debitas, referre, & vobis, ut fortiter, velut viri fortes (fic enim nostri Ordinis Fratres, Virgineas olim perfolventes Horas, Virgo eft adhortata) in ipfius cultu perfeveretis, obtinere poffemus.

§. *II.*

CIRCA NONNULLA SPECTANTIA AD DIVINA OFFICIA.

Ex prima Synodo cap. 9. & 10.

CAPUT I.

Duo Ceremoniarum Magistri alter Canonicus, alter Mansionarius in Metropolitana: duo, vel saltem unus in Collegiatis, & Conventualibus, vel Receptitiis præscribuntur.

QUantū Regina Saba(b) obstupuit, videns ordines miniftrantium Salomoni, tantum defleret, fi in hifce noftræ Diœcefis Ecclefiis Sacrorum rituum ignorantiam perfpiceret; unde & flevimus nos videntes ordinem Altari miniftrantium in illud irrepfiffe, quod David Salomoni fuo cavendum juffit.(c) Omnis enim ordo cæremonias non cuftodiens, nec intelligit universa, quæ facit, nec quocumque fe vertat; quāobrem Paftorali noftro muneri fatisfacientes, nè hujufmodi Miniftris, illæ maledictiones adveniant, quas *Deuteronomii cap. vigefimo octavo* in longum Catalogum non fine horrore redactas legimus, illis imminentes, qui cæremonias non cuftodiunt, diftrictè mandamus, ut in noftra Metropolitana duo continuò exiftant cæremoniarum Magiftri, Canonicus unus, Manfionarius alter: in Ecclefiis verò Collegiatis, Conventualibus, vel Receptitiis, etiam duo, vel ad minus unus Sacrorum Rituum benè periti: Nos enim quofcumque defectus, qui fortè evenerint, ipforum negli-

(a) S. Aug. in ps. 59. (b) 3. Reg. 10. (c) 3. Reg. 2.

negligentiæ attribuemus, & ab ipsis pariter pœnam exigemus, parem nostro desiderio, quod jugiter est, ut in Sacris cæremoniis complendis nihil reliquum sit desiderandum, cum scriptum habeatur: (a) *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*.

CAPUT II.

Campanæ signum pro Angelica salutatione, ut prius meridie, & vespere, sic deinceps, & in Aurora detur; Orantibus, corde contritis, centum indulgentiæ dies ab Archiepiscopo conceduntur.

Decretum in Diœcesana Synodo de anno 1646. (a Nobis in præsenti confirmata) super Campanæ signo, in meridie, & in vespere (addidimus, & in Aurora) ad Sacratissimum Incarnationis mysterium ternis Angelicis salutationibus recolendū, cum in multis Diœcesis nostræ locis executioni non demandatum reperimus, strictissimè innovamus, & ab Ecclesiarum Sacristis, & Rectoribus omninò observandum jubemus. Eisque, qui sic oraverint, contritis, centum dies de vera indulgentia elargimur.

CAPUT III.

Mutilum in quibusdam solemnitatibus officium, licet non pro Chori satisfactione, in nostra Civitate proscribitur.

Nocturnarum Vigiliarum in solemnitatum pervigiliis, quas nullus Canon prohibuit, sed frigescēs populorum devotio deturbavit, quæ in hac nostra Metropolitana reperimus vestigia commendamus, eo vel maximè quod post Completorium, hora circiter 22., populi frequentia celebrentur.

Illud tamen probare non possumus, ut mutilum officium in iis celebrandis decantetur, nempè Invitatorium, hymnus, antiphona, tres psalmi cum lectionibus primi nocturni solemnitatis currentis: & quod absurdius est, statim subditur hymnus *Te Deum* etiam mutilatus, inceptus ex illis verbis: *Per singulos dies*: quæ etiam invertunt, dicentes: *Per singulas noctes*, hocque dimidiato hymno completo, statim subdūt orationem ejus diei, cujus solemnia celebrantur. Quæ recitatio, licet non sit pro satisfactione Chori, sed ad populi devotionem excitandam, ea tamen Bullæ S. Pii V., quę in fronte Breviarii Romani legitur, omninò contraria est; quocirca talem psallendi modum, abusum declaramus, & omnimodis à nostra Metropolitana, & à quacumque alia nostræ Diœcesis Ecclesia, sicubi fuerit, damnatum proscribimus, & eliminamus.

CAPUT IV.

In eisdem precandi, & psallendi modus ostenditur.

Quia verò non vigilias, sed præfatum psallendi modum vetitum damus: si easdem celebrare voluerint, vel B. Virginis, vel Sanctorum litanias, hymnosque, vel quos voluerint psalmos decantent, qui psalmi nullam præseferant nocturni, vel diurni officii speciem: sed uno completo addatur alter, absque antiphonis, lectionibus, cæterisque hujusmodi, quæ divinarum laudum, ab Ecclesia præscriptarum, mutilationem sonant.

Ex

(a) Jer. c. 48.

Ex secunda Synodo. Cap. 12.

CAPUT V.

Palmarum benedictio ad Cruces in Compitis nè fiat, sub pœna ducatorum sex.

PAlmarum benedictio in Ecclesiæ Altari, prout Missale Romanum præcipit, persolvatur; non autem ad Cruces in compitis erectas: qui sacrorum rituum abusus, si deinceps irrepserit, pœna ducatorum sex omninò coercebitur.

Ex eadem secunda Synodo cap. 19.

CAPUT VI.

Sacrorum Rituum imperitia damnatur.

SI in Secularibus, quamquisque norit artem, in hac se exercet: cur id non potiùs in Ecclesiasticis reperire est? Papæ! (*a*) filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Pudet dicere, quamplurimos, qui rubricas nō legerint, nedum, sacros ritus non calleant, invenisse.

Idcircò districtè præcipimus, ut in qualibet Diœcesis Vicaria, semel in hebdomada, Sacrorum Rituum & conscientiæ casuum congregatio habeatur, juxta methodum huic Synodo in Appendice apponendam.

Ex tertia Synodo cap. 7.

CAPUT VII.

A Deo pro ratione cultus visitamur.

SI Deus ita nos visitat, sicut eum colimus, dum nos visitavit (*b*) *in virga ferrea, & tanquam vas figuli confregit*, non exiguos in ejus cultu defectus apud nos reperiri dicendum est.

CAPUT VIII.

Metropolitani Capituli in Divino cultu solicitudo a Joanne PP. XIII. commendatur.

QUapropter majorum nostrorum circa disciplinam Chori solicitudinem reminiscamur, oportet; tanta enim apud illos fuit, ut Summi Pontifices, qui hanc Civitatem nostram sua præsentia pluries cohonestarunt, eadem cum primis delectati sint, quod & Joannes XIII. Pontifex Max. testatum voluit in diplomate (*c*) quo nostrā Ecclesiam anno Domini 969. Archiepiscopali præeminentia decoravit, sic inquiens: *Et quia Beneventanensis Ecclesia in exercendis Dei laudibus magno conatu, pianque religione semper insistit, quod nobis olim apud eam manentibus omninò constat inventum: debemus itaque ex ardore charitatis, atque studio divini cultus, eam causa honoris, & reverentiæ sublimiorem inter cæteras ordinare.*

CAPUT IX.

Insigne Collegium S. Spiritus, ob chori assiduitatem ab Hugone Guilardio Archiepiscopo Almutiis decoratur.

A Principe Ecclesia exemplum sumens antiquum æquè, atque insigne Collegium nostrum Urbanū S. Spiritus, hujus rei gratia Almutialibus insigniis ab Hugone Guidardi Prædecessore nostro anno Domini 1367. decoratum fuit, prout in ejus diplomate (*d*), in quo hæc habet: *Ad ipsius Ecclesiæ Ministros, qui divinis quotidiè vacant officiis diurnis pariter, & nocturnis, devotè, ac solicitè in eadem, specialis gratiæ oculos direximus nostræ mentis.*

CA-

(*a*) Luc. cap. 16. nu. 8. (*b*) Psal. 2. (*c*) Ital. Sacr. to. 8. ubi de Landulpho primo Archiep.
(*d*) Extat in Archiv. S. Spiritus.

CAPUT X.

Ratio divini officii decantandi in Metropolitana Ecclesia describitur, & firmatur. Archiepiscopus tria volumina pro Matutinis cantandis procurat, & Choro assignat.

TAnti in Divino cultu fervoris adhuc in nostra Metropolitana Ecclesia veneranda extant vestigia: siquidem.

I. In Dominicis, festisque semiduplicibus, hymnus *Te Deum*, *Laudes*, *& Vesperæ* cantantur: & in eisdem Dominicis diebus, *Symbolum S. Athanasii*, cum dici debet, necnon & *Tertia* cum cantu persolvuntur.

II. In festis duplicibus *Matutinum*, *Laudes*, *& Vesperæ* canuntur, quod etiam fit infra octavas Paschæ Resurrectionis, & Pentecostes, & etiam *Tertia* in omnibus duplicibus de præcepto.

III. In festis verò primæ classis sidemas Sextam, & Nonam, *omnes aliæ horæ*, etiam cum cantu celebrantur.

IV. In festis secundæ classis *Matutinum*, cum *Laudibus*, *Tertia*, *Vesperæ*, *& Completorium*, cum cantu explentur.

V. Martyrologium canitur quotidiè.

VI. *Completorium* omnibus sacrosanctæ Quadragesimæ diebus, præter festivitates prædictas, cum cantu persolvitur.

VII. Officium B. Mariæ, & Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales, & Graduales, diebus Breviarii Rubrica præscriptis recitantur.

VIII. Missarum solemnia, Diacono, & Subdiacono ministrantibus, quotidie, hora in Missalis Rubricis tit. XV. præscripta, celebrantur. Et quando bis, vel ter earum Missarum solemnia in eisdem Rubricis celebranda præscribuntur, consimili solemni ritu, & apparatu persolvuntur.

Quam canendi normam non solum in aliorum exemplum, ut infra, recensemus, verum etiam nè memoria excidat, ob præsentem cantus choralis cessationem in tanta Ecclesiarum ruina; ideòque eandem normam præsenti Constitutione firmamus, & perpetuò servari præcipimus.

Ad faciliorem namque hujus cantus persolutionem, quia libri Chorales pro Matutinis cantandis desiderabantur, tria prægrandia volumina Gregorianis notis, perita manu exarata, ingenti sumptu perficienda curavimus, & superiore mense absoluta nostro Metropolitano Choro assignamus.

CAPUT XI.

Cantus frequentia cordis affectu, & corporis compositione prosequenda.

REliquum est, ut cantus frequentiam cordis affectio, & corporis compositio prosequatur, nè ulteriùs (*a*) Chorum nostrum in luctum versum, & (*b*) organa nostra salicibus suspensa deploremus.

CAPUT XII.

Diœcesis Metropolitanam in psallendo debet sequi.

QVia verò Bracarensi (*c*), Gerundensi (*d*), & Toletano (*e*) Conciliis sanctè statutum est, *ut Metropolitanæ sedis auctoritate unusquisque Provinciæ Cives, Rectoresque Ecclesiarum, unum eundemque in psallendo teneant modum, quem à Metropolitana sede cognoverint institutum: sic enim justum est, ut inde unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accepit, ut juxta majorum decreta Sedes, quæ uniuscujusque Sacerdotalis dignitatis est mater, Ecclesiasticæ dignitatis, vel rationis*

(*a*) Jerem. 5. 15. (*b*) Psal. 136. (*c*) C. Placuit 14. d. 12. (*d*) C. Institutio 31. de consecr. d. 2. (*e*) C. De iis, qui 13. d. 12.

tionis fit magiſtra. Si hoc de Provincia Patres noſtri decreverunt, quantò magis de Diœceſi decernendum?

CAPUT XIII.

Ut Collegiatæ Eccleſiæ Diœceſanæ Urbanis Collegiatis ſe conforment, mandatur. Edictum XI. de Chori diſciplina, in Sacriſtiis Metropolitanæ, Collegiatarum, & Receptitiarum fixum habendum, evulgatur.

QUamvis itaque optaremus, quèadmodum, & hortamur Sanctæ Metropolit. Eccleſiæ noſtræ canendi normam noſtris Collegiatis Eccleſiis familiarem: quia tamen eſſe nolumus oneri eiſdem, præſertim, quia libri Matutinorum cum cantus notis impreſſi non reperiuntur, præcipimus, ut quinque Collegiatæ Eccleſiæ noſtrę Diœceſis, nempè Oppidorum *Altavillæ*, *Montis Calvi*, *Montis Fuſcoli*, *Morconis*, *Padulis* (quas, nè præcedentiæ prærogativæ lædantur, abecedario ordine referimus) eam ſaltem pſallendi, & canendi teneant normam, quàm Collegiatis Eccleſiis noſtris Urbanis, nempè S. Bartholomæi, & S. Spiritus in Edicto de Chori diſciplina, quod præſenti Conſtitutione perpetuò firmamus, & in hujus Synodi Appendice adnectemus, quodque ab unaquaque Eccleſia tàm Metropolitana, quàm Collegiata, ſive Urbana, ſive Diœceſana, necnon Conventuali, quam Receptitiam vocant, in Sacriſtia affixum haberi deinceps debebit, præſcripſimus. Mandamuſque, ut eidem adamuſſim reſpectivè ſeſe conforment; eò vel maximè quod hoc tempore Cathedrali noſtra orbati, in Collegiatis Eccleſiis prædictis Pontificales functiones noſtras, Deo dante, exercebimus.

CAPUT XIV.

Ordo Divini Officii in hac tertia Synodo probatus deinceps ſervetur.

IN Superiore Synodo nonnulla dubia ſuper Divinorum Officiorum ordine, qui annuatim typis datur, exorta, nobis exhibita fuerũt, ad quorum diſcuſſionem complures Theologos, Sacrorumque Rituum peritos delegimus, quibus dubiis in plena Congregatione coram nobis habita doctè ſolutis, mandavimus, ut dilectus filius noſter Perill., & Admod. Rev. D. Joannes de Nicaſtro U. J. D. noſtræ S. Metropol. Eccleſiæ Primicerius Primus, & Protonotarius Apoſt. eũdem Ordinem juxta præfatas ſolutiones anno 1686. & deinceps ederet: quem preſenti Conſtitutione firmamus, & in poſterum ad eandem normam edendum præcipimus, & ab omnibus ſervari jubemus.

Ex quarta Synodo cap. 9. & 10.

CAPUT XV.

Tabella Horaria pro divinis Officiis perſolvendis ſtatuitur. Quælibet tranſgreſſio pœna unius aurei de maſſa Capitulari mulctatur.

CUm omnia ſtatum tempus habeant, illud præcipuè certum, fixumque eſſe decet, quod Regi Seculorum Immortali, ab iis, qui habitãt in domo Domini, in Hymnis, Pſalmis, & Canticis impendi debet: ideoq; tàm Chori Præfectis, quàm Sacriſtis diſtrictè præcipimus, ut horarum diſtributionem, ſeu Tabellam horariam pro Divinis perſolvendis officiis, quam appendici inſertam damus, quamque in Sacriſtia perpetuò affixam volumus, adamuſſim obſervent: quoties verò ab illa receſſerint, toties de

massa Capitulari unius aurei pœnam solvent.

CAPUT XVI.

Evulgatur Tabella, in qua Officiis Sanctorū nostræ Ecclesiæ propriis, quæ vel diebus quotannis impeditis occurrunt, vel alia in Kalendario Romano præscripta impediunt, certi dies in perpetuum assignantur.

IN tertia nostra Diœcesana Synodo, ubi de eadem Chori disciplina egimus (a), Divini officii ordinem, juxtà nonnullorum dubiorum solutiones, in plena Congregatione coràm nobis per compiures Theologos, Sacrorumque Rituum peritos habitas, in posterum tenendas mandavimus; & quia inter cæteras non exigui momenti illa est, qua non pauca Sanctorum Officia, nostræ Ecclesię propria, quę vel diebus quotannis impeditis occurrunt, vel aliis in Kalendario Romano pręscriptis anniversario sunt impedimento, nè de cætero sine statione divagentur, certi eisdem dies in perpetuum (b) assignantur. Hujusmodi assignationis Tabellam in Appendice apponendam prę senti constitutione firmamus, & inviolabiliter observari pręcipimus.

CAPUT XVII.

Series eorum, quæ in Metropolitana cantantur, nonnullis in laudabilem praxim deductis augetur.

IN eadem Tertia Diœcesana Synodo, in eodemque Capitulo seriem eorum, quæ in nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ Choro cantantur, adnotavimus: quia verò deinde in praxim deductum est, ut

I. *Tertia* infra octavam Pentecostes, in qua Hymnus *Veni Creator Spiritus* præmittitur, quotidie cum cantu celebretur.

II. *Omnes horæ* in octava SS. Corporis Christi, ob ejusdem Venerabilis expositionem, item cum cantu expleantur:

III. Antiphona *Salve Regina*, sive alia de B. Virgine, pro temporis ratione post Completorium, cum cantatur, imò, & in omnibus Sabbatis, Dominicisque diebus cantu persolvatur:

Hanc canendi rationem, multis nominibus commendabilem, probamus, & perpetuò servandam mandamus

CAPUT XVIII.

Omnibus Collegiatis præcipitur, ut Mandatum fer. V. in Cœna Domini exequantur. Abusus in eo exortus, pœna ducatorum tredecim eliminatur.

UT è particularibus ad universaliora divertamus, præcipimus, ut omnia tum Civitatis, tum Diœcesis nostræ Collegia, Fer. V. in Cœna Domini, mandatum exequantur, ad tenorē Ceremonialis Romani (c), hoc est, ut prima Collegii Dignitas pedes vel suis Canonicis, vel tredecim Pauperibus lavet. Ab hac verò tanti ponderis functione omnes abusus proscriptos volumus, inter quos non exiguus est ille, quem in una nostrarum Diœcesis Collegiatarum in S. Visitatione deprehendimus, pauperes nempè supervestiri solitos Sacerdotalibus casulis, capillis ex cannabe theatrali modo capita superindui, & diademate, statuarum instar, exornari: quam ludicram scenam è Sacrario eliminamus, pœnamque ducatorum tredecim, ipsi Ecclesiæ applicandam, transgressoribus intimamus.

CA-

(a) Cap. VII. nu. 8. (b) Gavant. Com. in Rubr. sect. 3. c. 10. nu. 15. (c) Cap. 24.

CAPUT XIX.

Canonicalibus Collegiis injungitur aquæ benedictio, noviſſimo Rituali Romano addita, poſt vigiliæ Epiphaniæ Completorium perſolvenda.

UT nonnullæ facræ functiones, quæ non in omnibus Eccleſiis, ob competentis Clericorum numeri defectum, compleri poſſunt, in aliquibus ſaltem perſolvantur: in noſtra Metropolitana, & in Collegiatis Eccleſiis noſtræ Civitatis, & Diœceſis, Aquæ benedictionem, noviſſimo Rituali Romano additam, poſt Vigiliæ Epiphaniæ Completorium faciendam, quæ in univerſo Sereniſſimo Venetorum Dominio, magno populi concurſu celebratur, quamque vulgus *L'acqua contra le Berole*, appellat, quia in striges, veneficas, & magas, atque Phantaſmata, & Dæmonum illuſiones eam potentem (prout ex ipſis orationibus conſtat,) experti ſunt, nullum Canonicale Collegium ſtato ritu perficere prætermittat: quam aquam ſic benedictam, ubi ejus efficaciam explanaverint, populo tandem impertiantur.

Ex quinta Synodo cap. 5.

CAPUT XX.

Tabella diſciplinæ, in proceſſionibus ſervandæ, rememoratur.

PRoceſſio, à procedendo in publicum, quaſi progreſſio, & ab orationibus fundendis, divinaque miſericordia imploranda ſupplicatio appellata, quanta maxima fieri poteſt gravitate, devotione, & reverentia, ut Cleri exemplo populus ad modeſtiam, & orationem excitetur, perſolvi debet. Quocirca ſervandæ in ea diſciplinæ tabellam in conſtitutionum Quartæ Synodi calce appoſuimus. Quia verò nonnulli, quos lectionis tædet; neque ſi illa extet, noverunt, acta agere cogimur, ut omninò executioni demandetur.

CAPUT XXI.

Clerici in proceſſionibus tàm intra, quàm extra Eccleſiam ſalutationibus nè vacent. Caput, quod extra Eccleſiam tantum operire licet, nemini aperiatur, nève opertum inclinetur. Oculi a vagatione contineantur.

CAveant itaque Clerici, cujuſcunque ordinis ſint, nè in proceſſionibus tàm intra, quàm extra Eccleſiam peragendis, ſalutationibus vacent; ſed operto capite, quod extra Eccleſiam tantùm licet, procedant, nulli aperiendo, & quod indecentius eſt, adhuc opertũ inclinando: Nihil enim in ea, quæ agit, intendere oſtendit, qui huc, illucque oculos divertens, importunam, & inurbanam exhibet urbanitatem; ideòque oculorum vagationem vitare jubentur, qui in publicis ſupplicationibus procedunt.

CAPUT XXII.

Præfecti Tabellæ obſervandæ invigilent: tranſgreſſores tertiò monitos, deferant coercendos.

CÆterum Proceſſionum Præfecti præfatam Tabellam omninò ſervandam curent; & tranſgreſſores ſemel, atque iterum monitos, ad nos tertiò deferant, pro contumaciæ modo corripiendos.

T 2 Ex

Ex Sexta Synodo cap. 8.

CAPUT XXIII.

Ad Ecclesias dirutas nullæ Processiones ducantur; nève Sacerdotes stent commemorationes facientes: & ubi sacra non fiunt, nulla processio dirigatur, sub pœna ducatorum decem.

IRridebant Romani milites Hebræos illos, qui vastatam Hierosolymam ingredi vetiti, quovis anniversario dirutæ Civitatis, ejusque templi die, illuc, ut Hieronymus refert (a), soluto pretio, accedebant, & scissi crines, lividi brachia, madidi genas ejulatu plurimo ruinam deflebant. Nonne, & irrisionem petunt rustici illi, qui campestres Ecclesias prorsus dirutas, herbis, & ruderibus completas toto anno deserunt; at cum supplicationes habendæ sunt, tunc ad illas processiones dirigendas conclamant, quasi ruinas Hebræorum more defleturi? Tantam vesaniam præsenti cõstitutione eliminamus, præcipientes, nè ad Ecclesias dirutas supplicationes ducantur, nève ante illas Sacerdotes stantes faciant commemorationes; sed si qua pietas in oppidanis inest, ad illas reparãdas convertatur. Eò deniquè, ubi sacra non fiunt, nulla processio dirigatur. Qui secus fecerint, pœnas ducatorum decem omninò dabunt.

CAPUT XXIV.

Nocturnæ processiones per Silvas nè fiant. Et sub pœna ducatorum decem Ecclesiastici, & Confratres ante matutinum, vel post vespertinum crepusculum nullas processiones peragant in campestribus.

ILlud verò, quod ipsa gens rusticana, ponderi diei, & æstus assueta, processiones in locis silvestribus, nocte adhuc perseverante, vel invito Rectore, vel non sine scandalo, sub clementioris aeris prætextu persolvere contendit, omnimodis interdicimus, & sub eadem pœna ducatorum decem, sive majore pro contumaciæ modo Ecclesiasticis viris, & confratribus inhibemus, nè ab eis vel ante matutinum, vel post vespertinum crepusculum processiones in campestribus habeantur.

Ex Septima Synodo cap. 5.

CAPUT XXV.

Festum S. Rosæ Limanæ, infra octavam S. Bartholomæi Apostoli occurrens, ad diem quintum Septembris perpetuò transfertur.

NOtum facimus a Sac. Rituum Congregatione ad preces Cleri nostri per Nos eisdem porrectas sub die 15. Septembris 1691. concessum, ut festum S. Rosæ Limanæ, nostri Prædicatorum Ordinis infra octavam S. Bartholomæi Apostoli principalis Patroni nostræ Civitatis occurrens in posterum celebrari, & transferri possit ad aliam diem non impeditam, arbitrio nostro in perpetuum præfigendam, quàm diem quintam Septembris perpetuis futuris temporibus destinamus. Decretum verò Sac. Congregationis prædictæ in Appendice apponemus.

Ex nona Synodo tit. XII. cap. 6.

CAPUT XXVI.

Arundinis cum tribus candelis; & Cerei Paschalis detinendi tempus præscribitur.

ARundinis cum tribus candelis, in summitate illius triangulo distinctis, & Paschalis Cerei mysteria prorsus ignorant, qui ea in Ecclesia detinent quousque integrè absumantur: Mandamus itaque, ut Arundo, expleta functione Sabbati Sancti de mane, auferatur. Cereus verò non ultra

(a) In Sophon, c. 1.

ultra Afcenfionis Domini feftum ufque ad Evangelium inclufivè profiet; fed ad fabbatum ante Pentecoften pro fola fontis benedictione in Sacriftiæ armario affervetur.

Ex Decima Synodo tit. II.

CAPUT XXVII.

Ordinariæ Proceffiones per antiquas tantum vias ducantur. Extraordinariæ ab Archiepifcopo, five ab ejus Vicario, viæ præfcribentur.

QUemadmodum confuetudinis, ufufque longævi non levis eft auctoritas (a); ita plerumque difcordiam pariunt novitates. Quocirca præcipimus, ut tàm in Civitate, quàm in Diœcefi Proceffiones haberi folitæ per vias antiquitus confuetas perfolvantur; per novas autem procedere vias auctoritate præfentium omnibus inhibemus. Quod fi extraordinariæ fuerint proceffiones, a Nobis, noftrove generali Vicario, viæ, per quas habendæ erunt, defignabuntur.

Ex XIX. Syn. tit. IV. cap. 1. 2., & 3.

CAPUT XXVIII.

De facrorum Rituum in obfervantia Archiepifcopus dolens, demandatam eorum executionem inculcat.

TAnta eft noftra erga Dei domus decorem, a cujus zelo quotidie comedimur (b), cura & follicitudo, ut nè foli quidem illius parietum & lendori, ac pretiofis in ea miniftrantium veftibus Nos acquiefcere patiatur: alia namque mens noftra jugi cõfigitur fpina, cum in Ecclefiafticis miniſteriis Dei teftimonia, præcepta, & ceremoniæ a miniftrantibus nonnullis, qua par effet, integritate, ufquemodò minimè cuftodiri videamus. Innovantes igitur quæ de facris ceremoniis, & facrorum rituum Congregationibus in præcedentibus noftris Diœcefanis Synodis decrevimus, quæque in hac præfenti relegenda mandamus, pœnis contra pertinaciter deficientes firmis, & in fuo robore remanentibus, omnes vos, & fingulos in Domino obfecramus, hortamur, & monemus, ut quæ ibidem audiviftis, & legiftis, verba fœderis Domini fufcitetis (c); quatenus pro Dei gloria, quicquid hucufque ab Ecclefiaftica regula, & Inftitutione deflexit, ad præfcriptam conformitatem, & ordinem revocare valeatis.

CAPUT XXIX.

Sacrorum Rituum lectio cum dote ducatorum 500. in Metropolitana Ecclefia ab Archiepifcopo fundatur.

HOc ut citiùs, & faciliùs in noftra Metropolitana confequeremur, ducatos quingentum Capitulo noftro donavimus, quorum fructu, ducatorum nempè viginti quinque, annuum præftimonium pro perito, & practico facrorum Rituum Lectore, ab eodem Capitulo eligendo, & à Nobis, noftrifque fucceſſoribus confirmando, fundatum voluimus, prout in publico inftrumento, rogato fupradicto Not. Fontinella fub die 24. Decembris elapfi anni 1703. fequenti Appendici adnectendo. Præfati verò inftrumenti feriem cum omnibus, & fingulis, quæ in eo continentur, claufulis, pactis, & conditionibus, quatenùs opus fit, iterum confirmantes, hac etiam decretali munimus; eaque a quibufcumque, quorum intereft, executioni debitæ demandari jubemus, fub pœnis, ultra eas ibidem inflictas, noftro, & fucceſſorum noftrorum arbitrio refervatis.

CA-

(a) C. cum Confuetudinis. de Confuetudine. (b) Pfal. 68. nu. 12. (c) 4. Reg. 24. nu. 8.

CAPUT XXX.

Quibus diebus in Archidiœcesis Ecclesiis Collegiatis, & Receptitiis ex instituto divina officia habeantur.

DEsignatos dies, quibus divina in singulis quinque Collegiatis, ac una, & viginti Receptitiis nostræ Archidiœcesis Ecclesiis, juxta statuta, a nobis in superiori Synodo (a) edita, & confirmata, celebrantur officia, pro commodiori de iis assequenda cognitione, in Tabellæ, Mense Decembri, proximè præterito, typis data, enunciavimus. Hanc ipsam, juxtà illius tenorem immutabilem permansuram, præsenti Synodali decreto confirmantes, in hujusmet Synodi calce referemus.

Ex XXI. Synodo tit. V.

CAPUT XXXI.

Tres pro matutinis cantandis Chorales Libri, novitèr exemplati, Ecclesiæ Metropolitanæ Choro ab Archiepiscopo addicuntur. Cura, & refectio Bibliothecario injungitur. Quotidiana eorum in Armario repositio Mansionariis demandatur.

AUgustissimum Dei nomen ineffabilibus Angelorum studiis celebrandum, ut in Ecclesiæ nostræ choro pro posse laudaretur, in III. Diœcesana nostra Synodo (b), antiquam nèdum divina cum cantu officia persolvendi normam, & consuetudinem probavimus, at insuper, qui pro Matutinis cantandis desiderabantur, chorales libros in tribus illicò Claudianæ chartæ voluminibus perita manu exscribendos (impressi enim non inveniebantur) curavimus, & eidē Choro addiximus. Eosdem tres libros, Cantorum magis manibus, quam temporis edacitate jam ferè consumptos, de mandato nupèr nostro, vel auctos, vel correctos, methodo, & forma meliori in membranis, seù pergamenis chartis typis exemplatos voluimus: & sine parsimonia absolutos, pelle baculina coopertos, fibulis, & clavis ex aurichalco, vel ad ornatum, munitos, pro ipsius chori servitio assignavimus. Quamobrem Bibliothecarii erit, cui ex Ecclesiæ nostræ Capitularibus hoc onus incumbit, istorum, aliorumque chori librorum folicitam curam gerere, atque illos, cum opus fuerit, immediatè reficere, nè illud pro eo tantùm currat Salomonicum (c) *tempus scindendi; & tempus consuendi* non currat. Mansionariorum autem erit, ejus scilicet, qui primus reperietur in fine chori, nè libri prædicti per diem in legilibus, vel sedibus prostent, sed, expletis officiis, suo, per quem pertinet, ad hoc deputato, Armario reponantur.

Ex XXV. Syn. tit. VI. cap. 5. 6. & 7.

CAPUT XXXII.

Sacra Rituum Congregatio ad Archiepiscopi preces nova SS. Laurentii Justiniani, Liborii, Juliani, & Rosaliæ officia, pro die ab eodem designanda, concedit.

SAnctos licèt omnes, unà cum Christo regnantes, suas pro hominibus orationes, Deo offerre credamus, ii tamen pro nobis efficaciùs intercedere dignantur in Cœlis, specialem quorū nos honorem promovemus in terris. Quapropter ad efficaciora Sanctorum Laurentii Venetiarum Patriarchæ, Liborii Cenomanensis, & Juliani Conchensis Pontificum, ac Rosaliæ Virginis patrocinia promerenda, supplices nuper, totius nostri Cleri nomine. sacræ Rituum Congregationi preces dedimus, qua-

(a) Tit. I. De Constit. Cap. 3. (b) Cap. VII. de Chori discipl. (c) Eccl. 3. 7.

quatenùs officium fub ritu femiduplici ad libitum die 24. Julii de S. Liborio recitare; ac dies infuper cum eorum officiis ad libitum SS. Laurentii, Juliani, & Rofaliæ, diebus in Calendario noftro impeditis occurrentes, in dies alios transferre nobis, & fucceffivè celebrare liceret. Noftris hifce fupplicationibus Sacram Congregationem ipfam benignè annuiffe denunciamus: die enim 17. Maii *pro gratia in omnibus, juxta petita arbitrio noftro*, refpondit, ut in autographo videre eft decreto, cujus exemplar, ex Archivo noftro Metropolitano defumptum, cum ipfo libello, Synodi hujus exhibebit Appendix.

CAPUT XXXIII.

De S. Liberio 24. Julii, de S. Juliano 2. Augufti, de S. Laurentio 6. Septembris, de S. Rofalia 1. Decembris Archiepifcopus agi decernit.

PRæmiffa igitur facultate nobis benigniffimè facta, fancimus, ut de S. Liborio, cujus tantùm commemoratio in Breviario præfcribitur die 23. Julii, officium cum miffa deinceps fub ritu femiduplici ad libitum recitetur die 24. ejufdem. Fefta verò, fuis cum officiis, ac Miffis fub eodem, quo hæc conceffa reperiuntur, ritu femiduplici ad libitum, S. Juliani fcilicet, de quo die 28. Januarii agitur, ad 2. Augufti: S. Laurentii, de quo 5. Septembris, ad diem 6. fequentem: & S. Rofaliæ, de qua 4. ejufdemmet menfis ad 1. Decembris, transferenda decernimus, prout præfenti hoc noftro Decreto transferimus, & dictis refpectivè diebus perpetuò affignamus: ficque pro noftri totius Cleri notitia in confueto divini officii ordine imprimendo in futurum adnotari jubemus.

CAPUT XXXIV.

Sancti Januarii patrocinium ergà Beneventum ejus Patriam laudatur. Officium de eodem femel in menfe, Adventus, & Quadragefimæ temporibus exceptis, in Metropolitana recitandum Archiepifcopus impetrat.

NUllus infuper eft, cui ægrè perfuadeatur, peculiari nos mortales dilectione tueri, protegi, ac juvari à Sanctis, quos nunc Cœlo illatos, Concives aliquando habuimus in terra: magna enim cum fit erga Patriam cuique propenfio, juftum eft, ordinatiffimam nos Sanctorum Charitatem non ignorantes, majorẽ illam erga fuas Divos ipfos habere fateamur. Experimento hoc didicit Civitas hæc noftra, dulciffima Sancti fui Civis Pontificis, & Patroni Januarii Mater, dum gloriofa tot intèr temporum varietates, amantiffimo, & apud Deum potentiffimo tanti filii patrocinio, temporalibus non eft unquam deftituta fuffragiis, & fpiritualibus in dies proficit incrementis. Ad hæc igitur pro poffe beneficia rependenda, officium de noftro eodem Sancto femiduplici ritu prima cujuslibet menfis die, extra Adventum tamen, & Quadragefimam, non impedita, in noftra Metropolitana recitandum à Sacra ipfa Rituum Congregatione impetravimus: Cujus decretum, latum die XIX. Julii, præcedenti alteri alligabimus in fine. Penfum hoc ità devotè, & ea grati animi fignificatione perfolvendum curemus, quatenùs, qui digni facti fumus, ut gloriofiffimum Januarium terreftrem haberemus Civem, Cœleftem quoque Interceffórem femper habere mereamur.

Ex

Ex XXXI. Synodo tit. VI.

CAPUT XXXV.

B. Aloysii Gonzagæ Soc. Jesu laudes, & merita Archiepiscopus enarrat: & in illius Festo, quod Beneventi die 21. Junii solemniter agitur, Officium, & Missam de eodem, pro universo Ecclesiæ Metropolitanæ Clero à Sacra Rituum Congregatione impetrasse, denunciat.

JUstitiæ, ac rationis ordo suadet, ut Sanctorum, & qui in Cœlis regnant, Amicorum Dei, Festivitates, quorum vel meritis adjuvamur, vel præsidia continuata deposcimus, majori, quo possimus, grati animi, & honoris significatione celebremus; eorumque cultu in augmentum Ecclesiæ Christi augeri semper, ac dilatari studeamus: & ubi nostra, Missalis, vel Breviarii Rubricis obstantibus, jurisdictio non suppetit Archiepiscopalis, Sedis hanc Apostolicæ quæramus auctoritate fulciri. Sanè itaque Beati Aloysii Gonzagæ, Inclytæ Jesu Societatis Alumni, festum die 21. Junii solemni totius nostræ Urbis, ac finitimorum conventu, multis ab hinc annis, in ejusdem Societatis Ecclesia colitur: & solemnius ipsis Dilectissimum nostræ Metropolitanæ Capitulum commendabili ibidem pietate adesse, & festivitatem sua solet præsentia cohonestare. Cumque Beati hujus gloria longè, latèque præfulgeat, & ejus patrocinium, si alibi, apud Nos etiam fignis, Dei operante virtute, coruscare probaverimus; Eumdem, qui, in terris vitam agens Angelicam, & Sacratissimam Virginem Parentis loco, Virgo semper complexus, eum se gessit, qui Mariæ filius esse, ac salutaribus illius monitis perfrui mereretur, apud Sapientissimam ipsam Boni Consilii Matrem Patronum Nobis elegimus; & Aram B. Aloysii Nomini in præfato Jesu Templo graphicè aliena devotione constructam, Deo ad Virginis utriusque honorem initiavimus. Ad jugem autem Beati nostri tutelam promerendam; utque ferventior erga ipsum communis venerationis amor accresceret, & honorificentior sui deinceps memoria perageretur, ac solemnitas celebrior; officium nuper cum Missa de eodem B. Aloysio, prælaudatæ jam societatis Patribus, aliisque concessum, dicta die sub ritu duplici recitandum, pro universo nostro Metropolitano Clero à Sacra Rituum Congregatione, ut ex Decreto, quod dabimus in Appendice, Nos impetrasse denunciamus.

CAPUT XXXVI.

Præscripta die 21. Junii officium cum Missa de B. Aloysio ab inter Ecclesiæ Metropolitanæ Clerum recensitis in futurum recitari decernitur: Eorumque precibus, ac Sacrificiis Beati ipsius Canonizationem Archiepiscopus commendat.

MEmoratum Nos modò decretum evulgantes, decernimus, ut dicti B. Aloysii officium cum Missa de Communi Confessorum non Pontificum, sub ritu duplici quotannis die 21. Junii in nostra posthac Metropolitana, illudque ab iis omnibus, qui in declaratione pro officio menstruo de S. Januario nostro Cive, Pontifice, Martyre, ac Patrono, in eadem Ecclesia recitando continentur, agatur. Primoque nostro Ceremoniarum Magistro, qui à divinis est Officiis ordinandis, injungimus, ut idem in folito Officiorum ordine imprimendo adnotet, & inter peculiaria nostræ Ecclesiæ Sanctorum festa describat. Sacris interim, quicumque estis, Ecclesiæ præfatæ muniis addicti, memores

res beneficiorum publicè, & privatim (a), Grati estote, & charitatem habete (b): dum vos tandem, ut Deo nobiscum speciales pro celeri, ac felici Servi sui solemnis Canonizationis causæ exitu preces, & hostias offeratis, quantùm possumus, hortamur in Domino, atque monemus.

CAPUT XXXVII.

Pro Synodorum, ac propriæ uniuscujusque Ecclesiæ Constitutionum observantia, quisque, ut Beatum Aloysium Patronum sibi eligat, exhortatur.

Vobis autem omnibus, & singulis, Dei quatenus, & nostra, ut tenemini, præcepta, & constitutiones, cæteraque vestrarum Ecclesiarum statuta, servetis, Beatum ipsum Aloysium Patronum præcipuum sitatis, optamus: Illius Vos exemplo inhærentes, qui, immaculatus in via, ambulavit in lege Domini (c), & vel minimas Venerabilis Instituti sui regulas, & ordinationes amussim ita complevit, ut eas vel interpretari, vel in suum sensum detorquere, sit ausus numquam. Aderit sanè Ille, dilectissimi; quandoquidem, si morum similitudo mater est amoris, perfectissima vobis Aloysius charitate Deum propitiabit in Cœlo, si ejus exactè gestis inhærere contendatis in Terra.

Ex XXXII. Synodi tit. VI. cap. 3.

CAPUT XXXVIII.

Clerus Ecclesiæ Castri Veteris, quibus deinceps diebus in Chorum convenire, & officia consueta persolvere debeat, decernitur.

In decimænonæ nostræ Synodi Appendice Edictum XXXIII. præscriptos a Nobis dies referens, queis in Archidiœcesis Ecclesiis Collegiatis, ac Receptitiis, proprias juxta cujuslibet, per Nos confirmatas, constitutiones, divina officia celebrari deberent, edidimus: proque illa præcipuè Oppidi Castri veteris, pensatis tunc temporis redditibus, dies tantummodò festivos primæ, & secundæ classis, ipsius Ecclesiæ dedicationem, majorisque hebdomadæ feriam V. VI., & Sabbatum designavimus. Cum verò in dudum illic expleta visitatione redditus invenerimus cœlesti favore adauctos; eorum idcircò habita ratione, decernimus, ut officia ipsa divina omnibus posthac festis de præcepto, ac in ejusdem Ecclesiæ Dedicationis Anniversario, totaque majori hebdomada persolvantur: Edictum interea jam latum nulla quoad cætera in ejus parte immutantes, quod in suo semper robore volumus permanere.

Ex XXXVI. Synodi tit. IV.

CAPUT XXXIX.

Beati Aloysii Gonzagæ Societatis Jesu Officium, unà cum Missa pro die festo ipsius 21. Junii, sub ritu duplici, Ecclesiæ Metropolitanæ jam concessum, ad universum Civitatis, & Archidiœcesis Clerum, novo Sacræ Rituum Congregationis decreto, extensum denunciatur.

Ineffabilibus licèt a Deo quotidiè gratiis, Clementissima Virgine, Dei Genitrice, Maria pro nobis intercedente, cumulemur, peculiari tamen illas, humilique semper confessione dignas agnoscimus, nova quibus nos ipse Deus Sanctorum dignatur protectione munire, illorum dum a nobis Natalitia celebrari solemnitate festiviore concedit. Magnum idcircò nobis accidisse perhibemus lætitiæ spiritualis argumentum,

V

(a) Math. 9. v. 26. (b) Colos. 3. v. 15. (c) Psal. 118. v. 1.

tum, cum, impetrata per Nos anno 1716. Beati Aloysii Gonzagæ Societatis Jesu Officii recitatione, sub ritu duplici, unà cum Missâ, pro die, Beato eidem sacro, 21. Junii, nostræ tunc tantùm Ecclesiæ Metropolitanæ concessâ; ad majora indè, ac præsentissima Nobis, vobisque apud Deum, ac Sapientissimam Boni Consilii Matrem, & Dominam nostram, Aloysii promerenda patrocinia, ipsiusmet sub ritu eodem recitationem Officii, Missæque celebrationem, non longa post temporis intervalla pro universo tum Seculari, cum Regulari nostræ Civitatis, & Archidiœcesis Clero Nos obtinuisse meruimus. E Conclavi etenim expediti, ubi 8. Maji decurrentis anni Summus fuit Catholicæ Ecclesiæ Pontifex renunciatus Sanctiss. Pater noster Innocentius XIII. humillimas extemplò super hac preces Sacræ exposuimus Rituum Congregationi: quibus illa benignè auditis, pro gratia rescripsit die 7. Junii, & Sanctissimus ipse quàm benignissimè annuit 25. ejusdem; plenè, ut in Decreto patet, quod legendum sequenti datur in Appendice.

CAPUT XL.

Laudatum Officium de B. Aloysio ab omnibus in Civitate, & Archidiœcesi, eodem sub ritu duplici, recitandum, ac Missam celebrandam, decernitur.

TAli proindè, ac tanta, communibus ut in votis erat, adepta benedictione, vestrum quemlibet nostro hoc Synodali scripto adhortamur, ut ria ipsam, ac religiosa grati animi significatione suscipiat; & Aloysii posthac virtutes intentiùs æmulari contendat, qui ejus festum sic celebrare collætatur. In Officio autem de Beato ipso persolvendo, Missaque celebranda, modum vos quatenùs nobiscum teneatis eundem, quicquid aliàs (a) pro nostræ Clero Metropolitanæ statuimus, hoc idem pro reliquis in Civitate, & Archidiœcesi nostra mandamus; & noster a Ceremoniis Primus omnibus ritè servandum exponat.

CAPUT XLI.

Quibusdam Sanctorum Officiis, quæ cum aliis die eodem occurrunt, certi dies perpetuo assignati declarantur. Assignationis Tabella proponitur in Appendice.

GEnerali altero præfatæ Rituum Congregationis Decreto (b) sancitum est, quod plura si aliquo loco fixè eodem die occurrant Officia de præcepto, alterutrius ut deinceps translatio omnimodè fit perpetua, tunc Officio ipsi transferendo prima, proximè non impedita, dies in perpetuum assignata censeatur. Alia quocirca cum, præter illa, quæ nostra in IV. Diœcesana Synodo (c) suis jam diebus addiximus, Sanctorum nobis supervenerint Officia de præcepto, certos & eisdem dies nova hac nostra Synodali Constitutione assignatos declaramus: cujus assignationis Tabellam proferimus in Appendice; & sic, de cætero non immutandam, observari volumus, ac jubemus.

Ex XXXVII. Synodo tit. IV. cap. 2. 3., & 4.

CAPUT XLII.

Auctis redditibus, etiam dies, Clero Conventuali Oppidi Apicii pro divinorum Officiorum persolutione assignati, adaugentur.

QUoniam, cum crescunt dona (d), rationes etiam debent crescere do-

(a) In Syn. XXXI. Hoc. Tit. Cap. 2. (b) Die 7. Decembr. 1706. (c) De Chori Disciplina cap. IX. & ibid. in Append. pag. 63. (d) S. Greg. hom. 1. in Evangelia.

donorum, rectè cautum fuit à jure (a), ut *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia, sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, consequantur.* Cum itaque, dum sancta Visitatione Diœcesim, ex nostro instituto, hoc anno lustraremus, proventibus Cleri Conventualis Oppidi Apicii, magnum, Deo juvante, nempe ducatorum sex supra biscentum, accessisse incrementum intellexerimus, pro eorum ratione, etiam diebus, in Edicto XXXIII. (b) Ecclesiis Conventualibus, sive Receptitiis pro divinorum Officiorum celebratione, juxtà tunc temporis facultates, præscriptis, alios centum, & duodequadraginta dies censuimus adjiciendos; ut idem Clerus, tanta divinæ bonitatis munificentia locupletatus, pinguiorem Deo immolaret hostiam laudis, fructum labiorum confitentium nomini ejus (c). Hac super re, Tabellam, in qua Officia divina quibus posthac diebus a prædicto Clero sint persolvenda, refertur, in Appendice dabimus, & impræsentiarum hac Synodali Constitutione munimus: Edictum interea XXXIII. jam latum, nulla quoad cætera in ejus parte immutantes, imò in suo semper robore permanendum declarantes.

C A P U T XLIII.

Punctatio contra absentes præfinitur.

Verùm, ne quotidie super punctatione lites exoriantur, quemadmodum antehac, qui sacras horas & divina officia, diebus in præcitato Edicto XXXIII. statutis, non obibant, duorum carolenorum jacturam patiebantur, ita & in posterum, qui prædictis centum, & triginta octo diebus nunc adjectis, à Choro abfuerint, carolenorum quoque duorum punctationi subesse jubemus, ut præceptum Apostoli (d) custodiatur: *Si quis non vult operari, nec manducet.* Quod tamen ita accipiendum volumus, si cunctis omnino statis canonicis horis quis non interfuerit; aliter in punctationis calculo unicuique verè detrahatur, quod detrahi par est, pro ratione scilicet horarum canonicarum, quas in Choro non recitaverit. Id autem conveniēs valde duximus; quandoquidem auctæ pecuniæ annuæ summa, in omnes septem prædicti Cleri Choro adscriptos (centum & trigintaocto dierum habita ratione, quibus divinis Officiis vacaverint) pro rata parte distributa, ad singulos, præstituto quoque die, carolenos binos spectare dignovimus, qui summam annuam conflant ducatorum nonagintatrium, & carolenorum duorum: reliqui namque ducati duodecim, & caroleni octo, qui demùm summam integram æquant ducatorum sex, & biscentum, in cereos comparandos, & incensum super Altare (e) cremandum, in memoriam (f) placationis Domini pro populo suo, sunt impendendi.

C A P U T XLIV.

Quibus posthac diebus in Ecclesia Conventuali Oppidi Montismilitum officia divina celebranda sint: & quæ pro eisdem servari debeat punctatio, stabilitur.

Sacri Tridentini Concilii decreto (g) statutum est, ut Episcopi, etiam tanquam Delegati Apostolici, ne cultus divinus minuatur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum, tàm Dignitatum, quàm Canonicatuum, personatuum,

V 2 por-

(a) Can Clerici 1 qu. 2. (b) In Appendice Syn XIX n. 3. (c) Ad Hebr. 13 15. (d) Ad Thes 3 10 (e) Levit. 4. v. 35. (f) Ecclesiastici 45. v. 21. (g) Sess. 21. de reform. cap. 3. Sess. 23. de reform. cap. 3.

portionum, & Officiorum separent, & in distributiones quotidianas convertant, quæ inter divinis tantùm intercessentes dividantur. Ejusdem Sanctæ Synodi proinde vestigijs inhærentes, cum in peracta hoc anno Visitatione Oppidi Montismilitum, Cleri Conventualis annuos redditus, deductis oneribus, ad summmam pervenire ducatorum quadringentorum quinquagintaquinque, & granorum vigintitrium invenerimus, tertiam hujus summæ partem, ducatos nimirum unum, & quinquaginta supra centum, grana septuagintaquatuor, ac denarios duos in distributiones dispertiendos: &, lege proportionis adhibita, centum viginti sex dies (quorum Tabellam in Appendice exhibebimus), comprehensis etiam illis, qui præcitato in Edicto XXXIII. fuerant præscripti, pro divinorum officiorum persolutione designandos æquum judicamus; ut scilibet quilibet Choro devinctus, si modò sacris horis intersit, carolenorum duorum stipendium, singulis statutis diebus, consequatur; sin minus, duorum quoque carolenorum fructus amittat, juxtà punctationis normam in præcedenti capite traditam, quam in hac quoque Conventuali Ecclesia ex omni parte servandam volumus. Id autem usque eo per nos statutum declaramus, dum novo Inventariorum operi suprema manus accedat; iis namque absolutis, pro ratione proventuum adauctorum, etiam dies pro divinis laudibus persolvendis adjiciemus.

Vide etiam sequent. Sect. IV. Cap. unic. §. III.

S E C T. IV.

Circa celebrationem Missarum, Sacramentum Eucharistiæ, & Divina Officia conjunctim.

Ex Synod. XXXVII. tit. IV. cap. V.

CAPUT UNICUM.

Regulæ quædam Rituales, ad Missarum celebrationem, Eucharistiæ Sacramentum, & divina Officia pertinentes, exhibentur.

SI quondam veteri in Testamento ceremoniarum praxis ad stuporem usque perducta fuit, teste Regina Saba, quæ videns ordines ministrantium Salomoni, non habebat (a) ultra spiritum; clamante nunc Apostolo: (b) *Omnia secundum ordinem fiant*, quantò magis nos urgeat, oportet? Cum potissimùm non agni, non vituli, sed (c) vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari immoletur: & quæcumque nostri cultus exterior actio eò vel maximè spectet, ut radius (d) divinæ veritatis, quam in statu præsentis vitæ non possumus in se ipsa intueri, nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris. Hæc nos mente obvolventes, Tyronibus consulendo, præstantiores Rituales Regulas, ad Trutinam in hac Urbana Rituum Congregatione expensas, hìc subnectendas opportunum existimavimus, ut nedum Civitatis, sed, & totius nostræ Archidiœcesis Clero innotescant, earundem exactam observationem Synodali hac sanctione strictè præcipientes.

Re-

(a) 3. Reg. 10. (b) 1. Ad Cor. 1. (c) Trid. Sess. 22. Decr. de observan. & vitan. in celebrat. Missar. (d) S. Tho. 1. 2. q. 101. art. 2. o.

Regulæ autem, quæ sequuntur, sunt omnes XXIII.

§. I.
Pro celebratione Missarum.

I. TAntùm in Missâ solemni votiva pro re aliqua gravi, quæ res non habeat in Missali Missam propriam, unicæ orationi illius Missæ jungatur, sub unica conclusione, oratio à superiore præscripta *(a)*.

II. Excepto supradicto casu *solemnitatis votivæ* nunquam oratio indicta jungenda est cum prima *(b)*.

III. In Missis tàm solemnibus, quàm privatis festorum primæ classis non dicitur oratio, ut supra, indicta; nisi alitèr expressè à superioribus statuatur *(c)*.

IV. In festis secundæ classis, à Missis tàm solemnibus, quàm privatis, sicuti, & in Dominica Palmarum, & vigilia Pentecostes prædictam orationem communis usus excludit; licet ab aliquibus admittatur in privatis *(d)*.

V. In duplicibus oratio indicta addatur, uti commemoratio ultimo loco.

VI. In Dominicis, & semiduplicibus eadem oratio vel dicatur loco tertiæ ad libitum, vel addatur post præscriptas.

VII. In simplicibus, & ferialibus, si oratio prædicta, addita post præscriptas, efficiat parem numerum orationum, addatur alia oratio congruens pro efficiendo numero quinario, vel etiam septenario orationum.

VIII. Pro dicenda oratione, ut supra, nulla ex assignatis in Missali est omittenda *(e)*.

IX. Canticum *Benedicite* (quod ex Conc. Tolet. IV. cap. 14. post Missæ celebrationem præceptum fuit sub pœna excommunicationis) dicendum est etiam post Missas Defunctorum, præmissâ Antiphona *Trium puerorum*; & hac integra, si in Missâ dicta fuit unica oratio: & in fine Psalmi *Laudate* dicitur ℣. *Gloria Patri*, & insuper post Antiphonam, tempore Paschali, addetur *Alleluja* *(f)*.

§. II.
Pro Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

I. QUicumque transiens ante Altare, in quo sit Ss. Sacramentum quomodocumque expositum, vel super eo post consecrationem positum, flectit utrumque genu, & profundè se inclinat.

II. Ab hujusmodi duplici genuflexione nō eximitur Sacerdos transiens cum Calice pro celebratione Missæ.

III. Celebrans, Ministri Sacri, ac inferiores in primo accessu, & ultimo recessu tantùm adorant utroque genu flexo Sacramentum super Altare expositum.

IV. Celebrans, & Ministri Sacri agentes apud Altare, super quo expositum, vel positum est Sacramentum, unico genu flexo illud adorant, *ut expeditiores sint*; licet de rei natura duplici adorare deberent.

V. Hoc idem, eadem de causa, præstabunt Ministri inferiores, & Minister Missæ privatæ.

VI. Canonici in Missa solemni, cui Archiepiscopus assistit in Sede, accedentes ad circulum ante *Agnus Dei &c.* genuflectunt ambobus genibus, sicuti & in recessu. Quod etiam in præcedentibus Circulis efficient, si coram Sacramento exposito celebrabitur.

VII.

(a) Ex usu Cappellæ Papalis apud Gavant part. 1. tit. 7. num 7. lit. N. & alios. *(b)* Bissus lit. C. num. 40. §. 1. *(c)* S R. C. die 28 Aug. 1627. *(d)* Cerem. Monast. Apud. Gayet lib 4. cap. 21 qu. 19. *(e)* Gav. par. 1. tit. 9. n. 16. lit. I. Bauld. part. 3. cap. 7. tit. 9. n. 9. *(f)* Ex Gavant. Bauldr. & Tonel.

VII. Presbyter assistens, ac Ministri Sacri, pacem à Celebrante accepturi, utroque genu flexo Sacramentum adorant, prout, dum recedunt, accepta pace.

VIII. In expositione, ac repositione SS. Sacramenti omnes genuflexiones, etiam ad Benedictionem erunt cum duplici genu: excepta prima expositionem præcedente, & ultima repositionem subsequente.

IX. Celebrans solemniter coram SS. Sacramento exposito nunquam sedere debet.

X. Nec si sermonē sit habiturus; stat enim in cornu Evangelii, cum Ministris in plano ejusdem cornu, & facie versâ ad credentiam, Subdiaconus sit à dexteris Diaconi.

XI. Recepturus Incensatinnem, aut manus ablutuius, non descendit in planum, sed tantùm primum gradum, idest suppedaneum, vertens faciem populo.

XII. Pro ablutione digitorum super os Calicis post Communionem non descendit à suppedaneo, sed, prout in aliis Missis, abluit illos super Altari, facie ad illud versâ.

XIII. Si ante, vel post Missam deferendum sit in Processione SS. Sacramentum, color Paramentorum semper erit albus, etiamsi in alio colore Missa fuerit, respectivè, celebranda, vel celebrata *(a)*.

§. III.

Pro Divinis Officiis.

NAvicula, jam sinistra manu aperta, ambabus manibus offerenda est Celebranti. Cochlear verò neutra manu immediatè offeratur, seu porrigatur; sed intus Naviculam unà cum ipsa, aliquantulùm tamen extractum sinistra manu; itaut possit commodè accipi à Celebrante, & ibidem osculetur deinde manus Celebrantis: qui, imposito incenso, reponit in Navicula Cochlear, quod post exosculatam manum reosculetur *(b)*.

TI-

(a) Rationes, & Authores, quibus prædictæ regulæ innituntur, citantur in Opusculo de genuflexionibus. (b) Ex Cær. Rom. Cær. Ep. Rubr. Missal. Castald. &c. contr. Bauldr. ejusq; Asseclas,

TITULUS XXX.

DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

§. I.

Circa Baptismum.

Ex prima Synodo Cap. 9.

CAPUT I.

Sabbato ante Pascha, & Pentecosten Baptismalis fontis benedictio persolvetur. Inertiæ pœna ducatorum decem refelletur.

INter cæteras functiones baptismalis fontis benedictionem Parochi omnes in utroque Sabbato ante Sanctum Pascha, & Pentecosten omninò persolvant sub pœna ducatorum decem, ut præteritæ inertiæ posthac consultum sit.

Ex Secunda Synodo cap. 3.

CAPUT II.

Parentes, & obstetrices non ultra quatuor, & viginti horas recens natis baptismum suscipiendum differant: pœna excommunicationis ipso facto incurritur, si differatur ultra tres dies.

QUatuor & viginti horis elapsis Parentes, immò & obstetrices infantes recens natos ad Ecclesiam deferant sacro fonte abluendos, ne periculo hæreditatis æternæ pignoris non consequendi eosdem exponant. Si qui verò ultra tres dies hoc distulerint, ipso facto ab Ecclesiæ corpore facimus (*a*) excommunes.

Ex septima Synodo cap. 4.

CAPUT III.

Post terræmotum, unicum, & magnum Baptisterium in Metropolitana erigitur, ad quod omnes Civitatis Parochi pro baptismatis collatione debent convenire.

BAptisterium, quod Dionysius (*b*) *Matrem adoptionis*, Ambrosius, *Fontem sacrum*, & *regenerationis Sacrarium* appellant, unicum olim in Civitate qualibet, idque permagnificum extrui consuevit, ut apud Paulinum (*c*), Cyrillium (*d*), & Gregorium Turonensem videre licet. Et quamvis in Civitate nostra unaquæque Parochia suum haberet baptisterium, illud tamen absque propria Cappella, & ut plurimum post Ecclesiæ januam, nullo habito rerum delectu, prostabat. Verùm Terræmotus causa factum est, ut præfata baptisteria, jacturam passa, in deteriorem statum devenerint. Quocirca in nostra Metropolitana Ecclesia Magnum Baptisterium, qua par erat decentia, eaque, quam Sacri Canones tradidere, omnimoda forma ereximus, & ad illud omnes Civitatis Parochos pro conferendo baptismate conventuros, statuimus.

CA-

(*a*) Conc. Prov. Mediol. 1. (*b*) De Eccles. hierarc. (*c*) Ep. 12. (*d*) Catech. mystag.

CAPUT IV.

Confirmatur statutum inter Archipresbyterum, & Parochos, ut nulla in posterum lis oriatur.

QUia verò munus baptizandi in nostra Metropolitana ad Nos de jure spectat, & absentibus Nobis ad nostrum Archipresbyterū de consuetudine: ne inter ipsum, & Parochos, neve inter ipsosmet Parochos lis ulla in posterum oriretur, statutum, tàm de Archipresbyteri, & Parochorum consensu, quàm de nostra auctoritate, & beneplacito die 9. mensis Maji decurrentis anni in calce hujus Synodi apponendum firmavimus, & præsenti constitutione pariter firmamus, eique perpetuum firmitatis robur adjicimus.

Ex nona Synodo tit. XIII.

CAPUT V.

Rectus administrandi Baptismi ritus describitur.

CUm Rituale Romanum, cujus omnimodam observantiam sæpiùs inculcavimus, præcipiat, ut Parochus Sanctum Baptisma administraturus accedat ad limen Ecclesiæ, ubi foris expectent, qui infantem detulerunt, ibique peragat functionem, usque dum infantem in Ecclesiam introducat: Nonnulli tamen hæc omnia antè baptisterii cancellos persolvant: præcipimus, ut Rituale serventur; & si per pluviam, vel ventum fleterit, quo minùs in limine fletur, clausa janua, intra Ecclesiam, sed propè eam prædicta fiant, donec perveniatur ad illud verbum, *Ingredere*: & tunc ex janua ad baptisterium fiat accessus. Si qui verò, veteribus abusibus fascinati, huic decreto aures non præbuerint, binis ducatis in singulas vices mulctabuntur.

CAPUT VI.

Baptismi occasione bellaria intra Ecclesiam ne projiciantur.

PArochorum erit non permittere, ut quis occasione baptismi, fructus, bellaria, aliaque gulæ irritamenta in Ecclesiam projiciat, ut alicubi, non sinè colligentium tumultu, sacrique loci irreverentia, factum comperimus.

Ex decima Synodo tit. IX.

CAPUT VII.

Aqua baptismalis pro nova benedictione renovetur.

QUod in prima nostra Diœcesana Synodo *cap.* 9. *n.* 3. & in nostro Provinciali Concilio *cap.* 9. Tit XXXVI. præceptum est, ut bis in anno, nempè in utroque Sabbato ante sanctum Pascha, & Pentecosten fons baptismalis omninò consecretur: nonnulli Parochorum ità intellexerunt, ut eandem aquam semel benedictam iterum benedicerent, obliti Ritualis Romani, qui id ubi *de materia Baptismi*, sic habet: *hæc, quando nova benedicenda est, in baptisterii sacrarium effundatur*, quod, ut juxtà præscriptum fiat, districtè mandamus.

Ex XXI. Synodo tit. VI.

CAPUT VIII.

Si quem indubiè baptizatum fuisse nescitur, absolutè baptizetur.

INexpiabili quamvis, juxtà Catholicæ Ecclesiæ sensum, inquinentur facinore, sacrosancta qui Bap-

ptis

ptiſmatis unda iteratò lavantur, Apoſtolica reclamante ſententia *(a)*, quæ unam prædicat in Trinitate unitatem, unam in Fide confeſſionem, unum in Baptiſmate Sacramentum; illos tamen, de quorum lavacro, *ſollicita, & longa habita examinatione*, nemo ſit, qui ſine dubitatione teſtetur, abſque ſcrupulo abſolutè, & ſine conditione baptizandos eſſe decernimus, & declaramus; ea ſacrorum eorundem Canonum *(b)* ratione adducti, quia non poteſt in iterationis crimen venire, quod omninò factum eſſe neſcitur.

CAPUT IX.

Cum probabiliter dubitatur, an fuerit quis baptizatus, formâ, hîc expreſſa, abluatur. Idem pro Expoſitis, tametſi ſchedulam habeant de collato Baptiſmate, ſervetur.

INfantes autem, de quibus, *re diligenter perquiſita*, dubium adhuc relinquitur, an Baptiſmum ritè, & rectè ſuſceperint, nè his negligatur ſalutis januam aperire, quam ſemel anteà dubitatur ingreſſos, Alexandri III. Decreto *(c)* ſub hac formula baptizentur: *Si baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi non dum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Quod quidem in iis pariter obſervandum, quicum teſtimoniali ſchedula de ſuſcepto baptiſmate expoſiti reperiuntur, Decreto *(d)* Provincialis Concilii, ſub ſel. rec. Archiepiſcopo Foppa Prædeceſſore noſtro celebrati, inhærentes, Synodali hac noſtra Conſtitutione ſtatuimus, & declaramus, ſanas illorum doctrinas ſecuti, qui, ex hujuſmodi ſchedulis, ut plurimùm a muliericulis dictatis, & ab ignaris conſcriptis, qui de conditionibus, & ritibus, ad eſſentiam Baptiſmi neceſſariis, nec judicare ſciunt, nec poſſunt, erroris aliquid ſuſpicantes, Baptiſma, docent, ut ſemper ſub conditione repetatur.

CAPUT X.

In Expoſitorum Baptiſmate nomen detur, in ſchedula relatum. Formula pro eo in Libro deſcribendo proponitur.

NE tandem, quod initio rectum geritur, aliquem tractu temporis inducat errorem, pariatne confuſionem, hoc, præcipimus, Parochi ſeriò animadvertant, ut, ſi in ea teſtimonii ſchedula ſit nomen adſcriptum, quod Expoſito aſſeratur in Baptiſmo impoſitum, illud ipſi denuò imponant: & in Baptizatorum libro, ubi ſchedula conſervabitur, quo modo, quoque teſtimonio ſit repertus Infans, clarè, ac diſtinctè formula, in hujus Synodi Appendice danda, deſcribant.

Ex XXXVII. Synodo tit. V.

CAPUT XI.

Quiſnam ſit baptizandi locus, dum ſacro Cathecumenorum ungitur oleo, declaratur.

NE unus, & idem operandi modus, qui prophanis quoque in actionibus plerumque requiritur, ſacris omnino deſit, hac ſynodali Conſtitutione mandamus, ut in omnibus noſtræ Diœceſis Eccleſiis Baptiſmalibus (in quibus variè id agi percepimus) baptizandi tum infantes *(e)*, tum adulti *(f)*, dum ſacro Cathecumenorum oleo, quaſi *(g)* Ath-

(a) Ad Eph. 4. 5. (b) Can. Cum itaque, de Conſ. diſt. 4. & arg. Can. Solemnitates, ibid. diſt. 1. (c) Cap. de quibus. De Bap. & ejus effectu. (d) Tit. 30. n. 28. Syn. III. Diœc. Mediol. Decret. XI. (e) Rituale Rom. tit. de baptiſmo. (f) Sacerdotale Vetus ſub Leone X. eod. tit. (g) S. Tho. 3. par. q. 66. art. 10. ad 2.

Athletæ Dei, perfunduntur, ut (a) per Fidei Sacramentum fit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium fit fortitudo laborum in fcapulis, extra Baptifterii cancellos commorentur. Completa verò unctione, ac violaceis paramentis exuto Miniftro, albifque jam convestito, tum demum clathros ingrediantur Electi, defcendantque (b) in fontem facrum, fontem redemptionis, fontem fanctificatum virtute cœlefti, in quo ex aqua, & Spiritu Sancto (c) ad vitam renafcantur æternam. Caveant igitur quicumque, five Parochi, five alii, quibus rerum facrarum cura eft demandata, nè contra facientes trium aureorum pœnam quaque vice perfolvant.

§. II.

CIRCA CONFIRMATIONEM.

Ex Secunda Synodo cap. 4.

CAPUT UNICUM.

Evulgatur Edictum Nonum pro decenti Confirmationis fufceptione.

UT Confirmationis Sacramentū, quo fideles arma juftitiæ induuntur, non tumultuariò, fed qua decet præparatione, & reverentia conferatur æquè, ac fufcipiatur; Edictum Nonum, quod fuper hoc promulgamus, & in Appendice hujus Synodi apponimus, omninò fervari mandamus.

TI-

(a) Cap. unic. de facra unctione §. quia verò. Can. 70. de conf. dift. 4. (b) Ead. dift. 4. Can. 73.
(c) Ex Jo: 3: II

TITULUS XXXI.

DE CUSTODIA EUCHARISTIÆ, CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTORUM.

Ex secunda Synodo cap. 2.

CAPUT I.

Custodia Sacramenti, & Sacramentalium Parochis, aliisque, ad quos spectat, districtè injungitur. Baptisteriorum Ciboria ita aptentur interius, ut nullatenus amoveri possint, nisi adhibita clavi, a Parocho servanda, pœna ducatorum sex Parochis proposita.

CAveant quicumque sive Parochi, sivè alii, qui sacrarum rerum curam gerunt, nè in divinis custodiendis, sivè Sacramento, sivè Sacramentalibus, oscitantes deinceps reperiantur; nam in sanctâ visitatione deprehendimus, baptisteriorum ciboria, licèt clavi obserata, integra tamen amovibilia, ut quisque e sacris fontibus illa pro libito, & facili manu posset removere. Mandamus itaque sub pœna scutorum sex, quatenus omnia ita aptentur interiùs, ut nullo pacto in posterum amoveri queant, nisi cum ciboriorum hujusmodi valvæ aperiuntur clavi, (a) quæ penès Parochum dumtaxat erit, præsertim pro gemina in utroque Sabbato Paschæ, & Pentecostes sacrorum fontium benedictione præscripta,

CAPUT II.

Parochi ab Archipresbyteris, hi a Metropolitana sancta olea suscipiant, sub pœna scutorum triginta. Regulares Civitatis, & Diœcesis sanctum oleum a Metropolitana desumant, sub pœna Archiepiscopi arbitrio.

NOstræ Diœcesis Archipresbyteri non aliò, nisi ad nostram Metropolitanam Ecclesiam, quæ reliquarum Diœcesis Ecclesiarum mater est, & Magistra, pro sanctis oleis accipiendis divertant, sub pœna scutorum triginta; & sub eadem pœna Parochi subalterni non ab aliis, nisi a suis Archipresbyteris desumant. (b) Similiter & Regulares nostræ Civitatis, & Diœcesis, non aliunde, quàm a nostra Metropolitana, quod ipsi sibi servare solent, sanctum oleum accipiant, aliàs pœna arbitratu nostro, infligenda coercebuntur.

Ex Tertia Synodo cap. 4.

CAPUT III.

SS. Eucharistiam ob terræmotum sub tentoriis asservari, deploratur.

ÆGrè ferebat Rex David (c) Arcam fœderis Domini sub pellibus detineri: At (d) sensus cordis nostri turbati sunt in Nobis, ubi auribus percepimus, verum Manna de Cœlo præstitum, Angelorum escam, Sanctissimam Eucharistiam, sub tentoriis asservari in Oppidis, quæ (e)

(a) Concil. Prov. Mediol. 4. (b) Conc. Prov. Med. 6. (c) 1. Paral. 17. (d) Jerem. 4. 19. (e) 4. 16.

a facie Domini, & à facie iræ furoris ejus destructa sunt.

CAPUT IV.

Præcipitur, ut in aliqua saltem Cappella, ardente lampade, asservetur. Si hæc desit, ab Oppidis vicinis suscipiatur potiùs, quàm sub tentoriis habeatur.

QUapropter, nè tanto Sacramento debita reverentia desideretur, mandamus, ut quoad fieri potest, Sacra Synaxis in Cappellis saltem, ardente semper lampade, custodiatur: vel si destructis oppidis oppida sint vicina, quorum Ecclesiæ a terræmotu immunes habentur, ab his SS. Eucharistia potiùs desumatur, quàm deinceps sub tentoriis perseveret.

CAPUT V.

Si tentoria omninò necessaria sint, ita aptentur, ut pulveri, & pluviæ non sint abnoxia, & clave muniantur sub pœnis contra celebrantes in locis non sacris statutis.

QUod si hæc omninò necessaria censeantur, horum concedimus usum, (a) dummodò ex omni parte benè sint munita, asseribus nempè, nè pulvis penetret, adamussim coaptatis: tectisque tegulis, & imbricibus, nè imbribus sint pervia, superobductis: eorum denique valvæ fida clave non careant. Qui secùs fecerint, pœnas in illos, (b) qui in locis non sacratis Missas celebrare præsumunt, Sacris Canonibus sanctas, se noverint incursuros.

CAPUT VI.

Idipsum circa sacramentalia servetur.

IDem quoad Sacramentalia servandum decernimus, nè cuilibet obvia, perditionis filiis ansam præbeant, eis, quod Deus avertat, abutendi.

Ex quinta Synodo cap. 2.

CAPUT VII.

Lampas semper accensa ante Tabernaculum Sacramenti, non ante Confraternitatum Cappellas, colluceat.

UT olim Ignis in Altari semper ardebat, (c) ità & nunc ante tabernaculum, in quo SS. Eucharistia custoditur, lampas semper accensa collucere debet. (d) Quia verò in Parochialibus quampluribus in Altari majori asservari consuevit, & ut quanta maxima fieri potest decentia, haberetur, Confraternitates ibidem erectæ fuere; Rustica progenies, quæ modum nescit habere, in non paucis nostræ Diœcesis locis alterum sibi altare erexit, apposita Salvatoris imagine, ante quam lampades argenteas ardentes extollunt, relicto verò Christi Corpore soli Archipresbytero, vel Parocho, qui ut plurimum vix tot redditus, quot pro sustentatione, aliisque oneribus ferendis sufficiant, percipiunt; ideòque SS. Eucharistiæ manutentioni satis non sunt.

CA:

(a) C. Concedimus 29. de consecr. dist. 1. (b) C. sicut 10. c. Missarum 11. c. hic ergo 13. c. nullus 14. de cons. d. 1. (c) Levit. c. 6. v. 12. (d) Ceremon. Episc. lib. 1. cap. 12. Conc. Provin. Mediol. 1.

CAPUT VIII.

Hujusmodi Cappellæ, contra institutum Confraternitatum SS. Sacramenti erectæ, supprimuntur: & decernitur, ut Confraternitates ipsæ oleum pro lampade antè Taber. naculum subministrent, aliàs Parochi, sequestratis fructibus, provideant.

QUocircà hujusmodi Cappellas contra Confraternitatum institutum erectas, suppressas decernimus, prout præsenti Constitutione supprimimus, & ipsas SS. Corporis Christi societates ad SS. Eucharistiæ manutentionem obnoxias, & ex societatis redditibus oleum pro lampade comparandum, declaramus; aliàs Oeconomis, seù quocunque nomine Administratoribus huic nostro decreto parere abnuentibus; Archipresbyteri, & Parochi, absq; alio Curiæ nostræ mandatu, ad fructuum sequestra, hoc ipso jure, procedant.

CAPUT IX.

Si societas SS. Corporis Christi huic oneri ferendo non est, aliæ societates, in Parochiali erectæ, pro rata contribuant.

QUod si societas SS. Corporis Christi tantos redditus non habeat, ut hoc onus supportet, aliæ Societates in Parochiali Ecclesia erectæ, & institutæ pro rata id tribuant; & Archipresbyteri, & Parochi erga eas suo jure utantur; nam ad hoc institutæ sunt, ut Ecclesiis, in quibus erectæ reperiuntur, adjumento sint, prout nostri arbitrium in Domino expediens judicaverit: quod ex constitutione s. m. Clementis PP. VIII. quæ incipit: *Quæcumque a Sede Apostolica* sub datum Romæ die 24. Decembris 1604. liquidò constat, quam Confratres, non ex bibliothecis requirant, oportet; quandoquidem in suæ quisque aggregationis diplomate de verbo ad verbum insertam habet, & hæc ibi: *Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium: quàm Confraternitatum, & Congregationum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarii nostri in Urbe, nec non Ordinariorum locorum respectivè fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant, cœlestes Ecclesiæ thesauros non quæstùs, aut alicujus lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitandæ gratia, ex Apostolicæ Sedis benignitate Christifidelibus aperiri.*

CAPUT X.

In associatione SS. Viatici sex cerei, & quatuor laternæ a Societate ministrentur. Qui proprios cereos deferent, septem indulgentiæ annos, & totidem quadragenas ex Apostolico indulto, nec non centum dies, ab Archiepiscopo concessos, consequentur.

ET nè Societatum SS. Corporis Christi redditus in elaboratæ ceræ dispendia inutilia, ut hactenus abusus fuit, consumantur: præcipimus, ut quotiès SS. Viaticum ad infirmos defertur, sex tantùm cerei a Societate subministrentur, & loco aliorum, quatuor laternæ ardentes præferantur, cum in locis præcipuè mon-

montanis, ubi ventus inhabitare videtur, hæ magis, quàm illi usui sint. Si qui verò ex populo proprios cereos deferre velint, id eis non solùm licet, sed quoties Parochiani hoc religiosissimæ pietatis officium præstabunt, toties septem Indulgentiæ annos, & totidem quadragenas ex Apostolico Indulto lucrabuntur; prout ex Brevi s.m. Innocentii PP. VI sub datum Romæ die 1. Octobris 1678. & Nos quoque centum dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concedimus.

Ex decima Synodo tit. X.

CAPUT XI.

Pixis, non Calix, ostensorii defectum supplcat.

PRocessiones, & expositiones SS. Eucharistiæ ea fieri debent decenti reverentia, ut undique pietatem spirent. Quocirca, ubi locorum paupertas tabernaculo gestatorio, sivè ostensorio comparando non est, Parochus velatam Pixidem, ut in Viatico deferendo gestari solet, processionaliter gerat, non hostiam in Calice tecto, quod tantùm feria V. in Cœna Domini ob sequentis diei functionem præscribitur.

CAPUT XII.

Ubi Pixis exponitur, fiat saltem per horam.

INfrà octavam SS. Corporis Christi, deficiente ostensorio, Pixis velata in ostiolo Tabernaculi cum luminibus, & assistentia per horam saltem exponatur; non verò aperto ostiolo, thurificata Pixide, & recitata oratione statim reponatur; ut Fidelium orationibus, pro quibus expositio fieri solet, spatium concedatur.

CAPUT XIII.

Sanctorum sivè Reliquiæ, sivè Statuæ in SS. Eucharistiæ processione nè deferantur.

QUando SS. Eucharistiæ processio habetur, neque Sanctorum Reliquiæ, neque eorundem statuæ, vel præcedant, vel subsequantur.

Ex XXIV. Syn. tit. VII.

CAPUT XIV.

Claves, quibus Aqua Baptismalis, SS. Eucharistia, & Sacra Olea custodiuntur, Parochi penès se immediatè conservent; pœna suspensionis ab Officio per tres menses contrafacientibus proposita.

INane illorum exprobamus Parochorum studium, qui Aquam licèt Baptismalem, SS. Eucharistiam, & Sacra Olea sub fida clavium custodia servent, claves indè ipsas obvias quibusvis faciunt, & communes. In Armariolis enim, quæ passim per diem totum reserata conspiciuntur, ubi Calices Sacri, vel Missàlia asservantur, pendulas linquunt, Sacristæ, reliquorumquè, etiam Laicorum arbitrio servituras. Nè ergo, ut usquàm evènit, quod Ecclesiæ, & Christiano Populo datum est ad salutem, maleficiorum manus, Diabolo operante, ad perniciem abutatur, claves ipsas Parochi, ceteriquè Ecclesiarum Rectores cautè, diligenterquè apud se omninò retineant, & nè Clerico quidem Ministro illas ullo modo committant. Qui verò in custodiendis iis negligentes fuerint, per tres menses, juxtà Sacros Canones (a), ab Officio suspendentur: &, si nefandum aliquid ex eorum accideerit incuria, graviorem se sciant subituros animadversionem.

TI-

(a) Cap. Statuimus. Extrà, hoc Tit.

TITULUS XXXII.

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

Ex Secunda Synodo cap. 8., & 9.

CAPUT I.

Imagines Christi Domini, Sanctæ Crucis ejus, SS. Deiparæ, aliorumque Sanctorum in domibus, & in cubiculis præsertim habeantur. Domibus, in quibus nullæ Sanctorum, aut S. Crucis imagines extant, nullus Parochus benedicat.

CUm maximæ necessitatis, & utilitatis in Ecclesia sit sacrarum Imaginum usus; easque adorantes, Deum, & Sanctos, per eas repræsentatos, adorent, (a) illos animarum Rectores nimiæ oscitantiæ redarguimus, qui in nonnullis locis Parochianos suos, nullas sivè Christi Domini, sivè S. Crucis ejus, sivè Beatissimæ Deiparæ, reliquorumque Sanctorum imagines domi habentes, tamquam feras in lustris, sinunt: quapropter præsenti Constitutione statuimus, (b) ut in omnibus domibus, præcipuè in cubiculis sacra aliqua imago habeatur, vel Sanctæ Crucis, per quam salvati sumus, venerabile signum prostet, & ea, qua par est, reverentia, cum cubitum eunt, cumque cubitu surgunt, venerentur; quod si in hoc adimplendo Parochiani negligentes fuerint, Parochorum nullus hujusmodi domibus deinceps benedicat.

CAPUT II.

S. Philippus Nerius Confessor nostræ Civitatis Protector, & Patronus efficitur.

ET si Sancti omnes, cum Christo in Cœlo regnantes, venerandi, & honorandi sint, specialem tamèn cultùs frequentiam, & solemnitatem ii sibi jure postulant, quibus Civitates magis, quàm ipsis mœnibus, muniuntur; vel quia eorum corpora in illis requiescunt, vel quia illorum patrocinium suscepere: inter hos in hac nostra Civitate nuperrimus Protector, & Patronus esse dignatus est S. Philippus Nerius Confessor, ex decreto S. Rituum Congregationis sub die 5. Octobris 1686. quod decretum, ut omnibus innotescat, in calce hujus Synodi apponemus.

CAPUT III.

Pro gratiarum actione in omnibus Ecclesiis Civitatis, & Diœcesis Missa de eodem Sancto, vel cum cantu, vel sine, ubi cantari non consuevit, pro una vice indicitur.

ROgamus itaque omnium Ecclesiarum Rectorum, Archipresbyterorum, & Parochorum hujus nostræ Civitatis, & Diœcesis charitatem, ut infra mensem ab hac Synodo peracta, in gratiarum actionem, pro tanto munere a Deo in nos collato, singuli in suis Ecclesiis singulas missas cum cantu, vel sine cantu, ut poterunt, de S. Philippo Nerio Confessore nostræ Civitatis Protectore, & Patrono devotissimè celebrent, misericordiarum Patri supplicantes, ut S. Philippi patrocinium, quod nobis, nostræque Civitati misericorditèr largiri dignatus est, jugiter protendat: scientes, quod non desinit propitiùs intueri, quos talibus auxiliis concesserit adjuvari.

Ex

(a) Greg. 2. ep. 12. ad Leon. Isaur. (b) Concil. Provinc. Mediol. 4.

Ex quarta Synodo cap. VI.

CAPUT IV.

Terræmotûs ruina Sanctorum sepulchra integra relinquit.

QUod de Christo domino Evangelicus Propheta prædixit: (*a*) *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*: de ejusdem Christi Jesu Apostoli, Martyrū, Confessorum, & Virginum Sepulchris, quibus Civitas nostra, Serenissimorum Principum Longobardorum pietate munita, & decorata existit, comprobatum quoque conspeximus: nàm in ingenti superioris anni terræmotus ruina sepulchra ipsa integra, & gloriosa reperta sunt.

CAPUT V.

Arca, in qua Corpus S. Apostoli Bartholomæi requiescit, integra in altissimis ruinis reperta, in Metropolitanam solemni ritu transfertur, & in marmoreo altari reconditur, quousque propria Ecclesia reædificetur.

NOs itaque Deo de tantis donis gratias primùm agentes, de pretioso Corpore gloriosissimi Bartholomæi Apostoli, cujus Basilica funditùs eversa fuit, e ruinis extrahendo, quia Altare, in quo Arca recondebatur, integrum erat, feliciti fuimus. Et cum primùm licuit, nempè die 7. Februarii decurrentis anni, solemni ritu in Metropolitanam Ecclesiam nostram transferendum curavimus, aptato marmoreo Altari, sito in capite quintæ Navis ad Ecclesiæ dexteram, ad ingredientis verò sinistram, prout latiùs in publico translationis documento, quod ad perpetuam rei memoriam in Appendice apponemus.

CAPUT VI.

Pro aliorum Sanctorum corporibus magnum in Metropolitana Armarium constituitur, in quo serventur, donec eorum Ecclesiæ restituantur.

REliqua verò Sanctorum Corpora sivè sub Altaribus, sivè in Armariis, quæ, dirutis Ecclesiis, integra stetere, ad magnum Armarium in nostra Metropolitana Ecclesia erectum, & decenter aptatum, omnia omninò transferenda mandamus, donec eorum antiquæ Ecclesiæ restituantur. Ut interim decenti loco Sanctorum cum Christo viventium corpora, quæ viva Christi membra, & Templum Spiritus Sancti fuere, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, collocentur, & publicæ venerationi prostent; quatenùs ipsi, quorum Reliquias veneramur in terris, intercedere pro nobis dignentur in Cœlis.

Ex septima Synodo cap. 3.

CAPUT VII.

Ecclesiarum Rectores, Confraternitatum, piorumque locorum administri nè imperitis pingendas tradant imagines, quæ risum potius excitent, quàm devotionem, sub pœna persolvendi de proprio, quod malè effuderunt.

SAnctissimi Tridentini Concilii Patres (*b*) omnem diligentiam, & curam ab Episcopis adhibendam voluerunt, ut Sac. Imagines procaci venustate non pingantur, nec ornentur, quatenùs omnis lascivia vitetur, cum Domum Dei deceat Sanctitudo. At nostra hac tempestate tanta pictorum ineptia succrevit, ut in Ecclesiarum frontibus, in baptisteriorum

(*a*) Isai. cap. 11. (*b*) Sess. 14. de Invoc. ven. & Reliq Sanct. & Sacris imaginibus.

rum fontibus, & in reliqua Ecclesia, tabulæ tàm indocta manu depictæ videantur, ut risum potiùs excitent, quàm devotionem: cùm tamen rusticorum pertinaci inscitiæ non minoris constent, quàm si docto penicillo expressæ fuerint. Idcircò Ecclesiarum Rectoribus, confraternitatum, piorumque locorum Administratoribus præcipimus, nè de cetero artis imperitos ad pingendum invitent, aliàs ipsi de proprio, quod perperàm impenderunt, persolvent.

Ex XII. Syn. Tit. II. cap. 1. 2. 3. & 4.

CAPUT VIII.

Terræmotus ruinæ quoad Sanctorum Reliquias innocentes.

SAnctorum Ossa a Domino ita custodiri, ut unum ex his non conteratur, affirmavit David. Quod, & si ad resurrectionem, in qua singula Sanctorũ ossà ad perfectionem, & immortalitatem redibunt, maximè referatur, tamen id etiam verum esse in hoc seculo patuit, cum terræmotus anni 1688. quo vel saxa ipsa in pulverem comminuta sunt, Sanctorum Reliquiis, quibus Civitas hæc nostra in Ecclesiis tàm secularibus, quàm regularibus, supranumerum decoratur, quamvis, & altaria, & loculos fregerit, nullam intulit omninò jacturam.

CAPUT IX.

Reaptatio generalis omnium Reliquiarum refertur.

CIvitate igitur, ejusque templis è pulvere excitatis, ut qui exultant in gloria, lætentur in cubilibus suis, hoc est in loculis, ubi eorum ossa recumbunt; nam ex honore, ibi eis tributo, accidentalis in eos gloria redundat: Reliquias omnes quà in antiquis vasculis, quà in arculis, thecis, & ostensoriis quamplurimis ab integro constructis, in Ecclesiis Regularium, ipsis petentibus, in aliis de nostro mandato, a Nobis priùs recognitas, diligentissimè reaptandas, & componendas curavimus, & sigillo nostro munivimus, publicæ, ut hactenùs, venerationi exponentes.

CAPUT X.

Generalis Catalogus Reliquiarum omnium, & Ecclesiarum, in quibus degunt, promulgatur.

UT autem generalis hujus Reliquiarum reaptationis, & compositionis memoria perpetuò perseveret, & fideles pariter singula Sanctorum Pignora, quibus ditantur, intelligant, generalem Catalogum tum Reliquiarum omnium, tum Ecclesiarum, in quibus collocatæ sunt, exhibebit Appendix.

CAPUT XI.

Ad fideles pro cultu, ad Parochos pro institutione exhortatio.

REliquum est, ut Christi fideles Sanctorum Corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur, omni pietatis studio, & obsequentis animi devotione venerentur. Ad quod persolvendum animarum Rectores sibi creditos fideles diligentèr instituant, ut illi, quorum reliquias pio cultu prosequimur in terris, pro nobis impensiùs intercedere dignentur in Cœlis.

Ex Synodo XV. tit. III. cap. 2. & 3.

CAPUT XII.

Nuperrimæ Beatiss. Virginis Mariæ, ac S. Nicolai de Tolentino in Civitatis Patronos electio, & confirmatio referuntur.

SIngulari divini Numinis adjutorio, quo Sanctissimam Virginem, ac Dei Genitricem Mariam, gratiarum omnium Matrem, & Dominam nostram dulcissimam, simulque Sanctum Christi Confessorem Nicolaum de Tolentino in nostræ Civitatis Patronos, ac Protectores communibus votis nupèr elegimus, pro solemni omnium gaudio electionis hujus a Sacra Rituum Congregatione approbationem, & confirmationem obtinuisse denunciamus, Decreto lato sub die 23. Martii decurrentis anni, quod ad universorum notitiam in hujusmet Synodi addendis adnectemus.

CAPUT XIII.

Ut Deo laudes, gratesque agantur, exhortatio.

PRo debita ergo gratiarum actione ad thronum gratiæ adeamus, Fratres dilectissimi, ad Altare scilicet Domini, in quo singulorum nostræ Civitatis, ac Diœcesis Ecclesiarum Rectorum, Archipresbyterorum, & Parochorum charitatem quàm enixè rogamus, ut infrà mensem singulas missas solemnes, vel privatas, ut poterunt, de eadem B. M. V. cum S. Nicolai Confessoris commemoratione pro una vice celebrare non graventur; ipsum misericordiarum Patrem exorantes, ut peculiaribus, ac potentissimis ejusdem B. V. ac S. Confessoris Nicolai patrociniis in necessitatibus nos jugitèr adjuvari concedat, & quod ab eo fidelitèr petimus, id efficacitèr, multiplicatis Intercessoribus, consequamur.

Ex XIX. Syn. tit. V. cap. 1. 2., & 3.

CAPUT XIV.

Ut in Capella Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesiæ Metropolitanæ Lampas ardeat, providetur.

SAnctorum omnium Regina, Sanctissima Virgo, & Mater Dei Maria, dum clariùs præ ceteris rutilat, oleo gratiæ præ particibus suis (a) a Christo ejus filio repleta, peculiari meretur veneratione, coram illa oleum nostræ ardeat exultationis. Quamobrem ad ejus honorem in nostræ Ecclesiæ Altari, ubi venerandam nuper collocavimus Tabulam, cum sacra ejusdem Beatæ Virginis Imagine, Romæ de mandato nostro musiva compositione ad illius Archetypi similitudinem plasmata, quod Sancti Evangelistæ Lucæ, ùt piè traditur, manu depictum, ibidem in maxima Sanctæ Mariæ Majoris Basilica colitur, Lampadem perpetuò accensam volumus, & nostra hac synodali Constitutione decernimus collucere.

CAPUT XV.

Dictæ Lampadis manutentio Metropolitano Capitulo assignatur.

HUjus autem lampadis manutentioni Metropolitanum nostrũ Capitulum currenti hoc anno die 23. Januarii obnoxium fecimus, dum eidem ducatos 917. gratis jam ipsi diversis a Nobis vicibus, pro bonis illius stabilibus, a postremis Terræmotibus

(a) Ad Hebr. 1. v. 9.

tibus vel læsis, vel dejectis, in parte reparandis, vel reficiendis, mutuatos, præfata die, ut observare licet in scripto publico, prælaudato Not. Fontanella rogato, perpetua, & irrevocabili donatione relaxavimus.

CAPUT XVI.

Idem pro Capella S. Philippi Nerii jam provisum servetur.

ALiàs cum eodem Capitulo nostro Metropolitano pro alia Lampade ante nostri præcipui Tutelaris Patroni S. Philippi Nerii Imaginem in Altari, per Nos ipsius nomini dicato, ejusque sacris quibusdam Reliquiis insignito, accensa manutenenda convenimus; eique alios ducatos 119. contulimus, ut liquet ex instrumento, præfato Notario Fontanella rogato sub die 8. Februarii 1696. Quæ conventio, ut deinceps, prout usquemodo servatum est, adimpleatur, hoc quoque decreto statuimus, & sancimus.

Ex Synodo XXII. tit. VI. cap. 1.

CAPUT XVII.

Sacrarum Reliquiarum cultus in earum asservatione, & expositione inculcatur.

UT Sanctorum Reliquiis, quæ debetur, veneratio semper adhibeatur, singula, in XII. nostra Diœcesana Synodo (*a*), & II. nostro Provinciali Concilio (*b*), sanctissimè quoad illarum asservationem, cultum, & expositionem constituta, quæque hic relegi volumus, in mentem revocamus: præcipimusque, ut Ecclesia nostra Metropolitana, quæ ceterarum nostræ Archidiœcesis Mater est, & magistra, iis exemplo sit Ecclesiis in executione.

Ex Synodo XXVII. tit. IV.

CAPUT XVIII.

S. Palerii Episcopi Thelesini, ac S. Equitii Corpora, aliaque SS. Anonymorum Lipsana, nuper in Oppido S. Martini hujus Archidiœcesis inventa, denunciantur. Pastoralis Archiepiscopi Epistola ad Clerum, & Populum ejusdem Oppidi, universa Reliquiarum hujusmodi inventionis, recognitionis, elevationis, & venerationis Acta referens, pro ceterorum notitia typis data, Synodali legitur in Appendice.

PRetiosas licèt cum Christo regnantium Sanctorum exuvias in terræ occulto per seculorum orbes abscondat Deus, adveniente tandem, quod ipse prædefinivit, tempore, illas non quærentibus ultrò revelare non dedignatur. Hoc equidem, Charissimi, & nostra voluit accidisse tempestate: dum Mense Junio nuper elapso, de Venerabilium S. Palerii Thelesini Episcopi Comprovincialis nostri, ac S. Equitii Corporum, aliquibus, quæ ignota, cum Sanctorum Anonymorum Lipsanis, sex ferè secula ab ultima ipsorum reconditione jacuerant, inopinata gavisi sumus Inventione. Sacris Nos propterea Canonibus (*c*), ac Tridentini Concilii Decreto (*d*) inhærentes, pluriès earundem super Reliquiarum recognitione, elevatione, & veneratione Theologorum, & Decretalistarum, ad id specialitèr advocatorum, consilia exquisivimus; quorum auditis votis, eas jam canonicè recognitas, elevandas demùm, & publico fidelium cultui exponendas fore decrevi-

(*a*) Hoc Tit. Cap. IV. (*b*) Eod. Tit. Cap. VII. & IX. (*c*) Cap. Cum ex eo, Extrà, hoc Tit.
(*d*) Sess. 25. de Invocat. Venerat. & Reliquiis SS.

crevimus. Quæ in nostris itaquè circà hæc privatis acta sunt Congregationibus, ad Dei modò, Sanctorumque ipsius gloriam in aperto pandentes, nostram, his omnibus instructam, Pastoralem Epistolam, dilectis filiis Clero, populoque oppidi S. Martini nostræ Archidiœcesis, sacræ ubi sunt ipsæ Reliquiæ inventæ, directam, pro communi omnium notitia, plausu, & exultatione publicandam, & Synodi hujus Appendici, ad perpetuam rei memoriam, adnectendam volumus, ac jubemus.

Ex Synodo XXVIII. tit. VI. cap. 1. 2. 3., & 4.

CAPUT XIX.

Veneranda SS. Palerii Episcopi, & Equitii, ejus socii, Corpora, in Oppido S. Martini hujus Archidiœcesis inventa, ibidem sub nova Ara maxima Parochialis S. Joannis Baptistæ solemniter per Archiepiscopum tumulantur.

Sanctorum ossa ineffabili quamvis suæ providentiæ modo tueatur Deus (a); peculiari tamen illa ad communem usque glorificationem a Nobis exigit tutela, ac veneratione custodiri. Sacra igitur Venerabilis Comprovincialis nostri Palerii Sancti Episcopi Thelesini, ac S. Equitii, ejus socii, Corpora in Oppido S. Martini nostræ Archidiœcesis inopinatò, ut scitis, elapso anno inventa, è vili jàm tumulo, sex ferè in quo jacuerant seculis, elevata, in vasis pro tunc vitreis, exquisitam post illorum recognitionem, debito donèc in eodem Oppido reconderentur honore, collocanda decrevimus. Cumque fidelium pietas, antiquo Parochialis Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ majori, a Nobis aliàs dedicato, Altari submoto, novum ibi, vario marmore constructum, urnaque consimili sub eo locata, insignitum suffecerit; sacras demum die V. Martii hujus anni sub Ara ipsa, quam sequenti die solemniter oleo consecrationis inunximus, prælaudatorum Sanctorum Exuvias, plumbea inclusas capsula, frequenti Populo collætante, Deumque Nobiscum, ac Sanctos suos benedicente, tumulavimus.

CAPUT XX.

Duæ Craniorum partes, extrà Urnam asservandæ, eidem Ecclesiæ conceduntur.

Ad pias verò, & enixas Cleri illius, ac Populi supplicationes, aliquam petentis extra urnam servari prædictorum Sanctorum Reliquiam, grandes duas ex I. vase extraximus Craniorum partes. Has in lignea statim theca repositas, sigillo nostro parvo obsignavimus: ac ità, argenteo postea in ostensorio per Nos collocandas, ibidem retineri concessimus.

CAPUT XXI.

Claviculos duos apud se retinet Archiepiscopus, & Metropolitanæ Ecclesiæ donat.

Dignum Nobis insupèr, & congruum visum fuit, Metropolitanam etiam Ecclesiam nostram suæ earundem Reliquiarum partis possessione gaudere. Quapropter integros in præfata repositione Claviculos duos, alterum S. Palerii; & S. Equitii alterum, in IV. vase inclusos, apud Nos retinuimus; ac indè irrevocabili Ecclesiæ nostræ donatione donavimus: Hac cumprimis nostro de Sancto Pontifice spe firmissima adducti, ut, cum olim ipse Matrem, sua huic virtute suffragando

do

(a) Psal. 33. v. 20.

do, in terris agnovit, sui nunc veneratricem, pro ea intercedendo, protegere dignetur in Cœlis.

Ex XXXV. Synodo tit. VII. cap. 1. 2. & 3.

CAPUT XXII.

SS. Francisci de Borgia, & Felicis a Cantalicio in Civitatis Patronos electio, ejusdemque confirmatio denunciatur. S. R. C. Decreta exhibentur in Appendice.

GLoriosa licèt omnium non ignoremus magni ducenda suffragia Sanctorum, quos, in Cœlo unà cum Christo regnantes, suas Deo pro nobis orationes offerre, fide catholica profitemur; ad misericordiam tamen efficacissimè consequendam divinam, nos, sæpè ut experti sumus, & nostri probavere Majores (a), specialium credimus, atque confidimus SS. Patronorum precibus adjuvari: Commendanda itaque nostræ est Civitatis fides; ac pietas, gloriosissimos qua nuper Sanctos Franciscum de Borgia, Societatis Jesu Presbyterũ, & Felicem de Cantalicio Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Conversum, peculiares suos inter Patronos, ac Protectores elegit: quorum Nos canonicam electionem probavimus, confirmavitque inde Sacra Rituum Congregatio, latis Decretis, quæ synodalis sequens exhibebit Appendix.

CAPUT XXIII.

Missa pro gratiarum actione in Civitate, & Archidiœcesi celebranda, proponitur.

ADeorundem ergo præsentissima nobis apud Deum Sanctorum patrocinia promerenda, omnes, & singulos in Domino rogamus nostræ Civitatis, & Archidiœcesis Ecclesiarum Rectores, ut consuetam, solemnem, vel privatam infra mensem, ut fieri poterit, Missam pro gratiarum actione, adjuncta S. Francisci, & S. Felicis memoria, celebrare non graventur: Deum ipsum insuper exorantes, nè, quos tantorum benignè tribuit Sanctorum protectione gaudere, ullis unquam patiatur subjacere periculis.

(a) S. Leo PP. Serm. 1. in Natali, SS. Apostolor.

TITULUS XXXIII.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

Ex Secunda Synodo cap. 10.

CAPUT I.

Evulgatur Edictum septimum de observantia Quadragesimæ a Parochis Dominica Quinquagesimæ, & prima Quadragesimæ publicandum.

QUod jejunium è Paradiso exclusum, Paradisum clausit, idipsum Paradisi aperiendi clavis est; quapropter si unquam sanctiùs servandum præcipitur, id erit sacrosancto Quadragesimæ tempore. Quia verò (quod omninò flentes animadvertimus) in hac Civitate, & Diœcesi hac super re quamplurima scandala oriebantur, idcircò *edictum septimum* pro ejus observantia a Nobis editum hac synodali Constitutione promulgamus, & Appendici hujus Synodi insertum, Dominicis Quinquagesimæ, & prima Quadragesimæ inter Missarum solemnia Parochi publicent, ejusque observantiæ pro virili insistant.

CAPUT II.

Dominica Quinquagesimæ Parochi plebes moneant, a mediâ nocte feriæ tertiæ subsequentis caput jejunii quadragesimalis inchoari: ad illam deinde horam significandam grandiorem suo tempore pulsent campanam, sub pœna scutorum decem.

IN præfata Dominica Quinquagesimæ (*a*) iidem Parochi suos Parochianos admoneant, ut post mediam noctem solemnia cinerum præcedentem a baccanalibus abstineant: qua nocte, dimidia ante mediam noctem hora, grandioris campanæ sonitu signum dabunt, quo omnes pœnitentiæ tempus advenisse cognoscant; quod signum sub pœna scutorum decem non prætermittant.

Ex nona Synodo tit. XIV.

CAPUT III.

Superstitiosum jejunium, quod siccum vocant, in vigilia Epiphaniæ probibetur.

NOn aspici a Deo jejunium, in quo non recta hominis voluntas invenitur, testatus est Isaias. (*b*) Ejusmodi profectò est jejunium, quod in vigilia SS. Epiphaniæ nonnullæ stultæ puellulæ jejunant, quodque *siccum* vocant, quia nonnisi post mediam noctem bibunt, ineptè sperantes, fore, ut eadem nocte in somnis appareat is, qui sic jejunam, & insulsam sit uxorem ducturus; cujus rei gratia versus quoque superstitiosos pronunciant. Has vanitates, & insanias falsas prohibemus, animarumque Rectores, ubi opus est, prohibitas denuncient: doceantque, quod sicut uxor, (*c*) ità & vir prudens a Domino est expectandus.

Ex

(*a*) Concil. Prov. Mediol. 7. (*b*) Cap. 58. 3. (*c*) Prov. 19. 14.

Ex XVIII. Synodo tit. VII. cap. 1. , & 2.

CAPUT IV.

Ante festum S. Januarii generale jejunium in Civitate perpetuò observandum indicitur.

INvictissimus Christi Athletes, Sanctissimus Ecclesiæ nostræ Pontifex, nostræque Urbis Civis, ac Patronus Januarius, cujus sanguine, veluti de reportata æternæ gloriæ Corona præ gaudio adhuc ebulliente, universalis illustratur Ecclesia, si a totius Neapolitani Regni fidelibus festiva celebritate recolitur, æquum est, ut a nobis, qui Cives, & filii ejus sumus, quique paterno, & efficaci ipsius apud Deum patrocinio ab incessantibus terræ commotionibus, queis Civitas hæc nostra sæpe sæpius affecta prosternitur, fidimus liberari, exquisitis honoribus veneretur, & dies ejus natalitia, quæ XIII. Kal. Octobris agitur, singulari devotione præveniatur. Nostrorum dilectorum filiorum Cleri, ac Populi urbani consensu simùl, ac precibus accedentibus, penès Acta hæc synodalia existentibus, ecclesiasticum jejunium in præfati festi Pervigilio ab omnibus, qui ad illud tenentur, in nostra Civitate perpetuò custodiendum, & observandum statuimus, indicimus, atque decernimus. Idque Parochi suis plebibus de more significare non ommittant, pro contrario contumaciæ pœnam subituri.

CAPUT V.

Diœcesani, ac Regulares ad idem hortantur.

NE' verò a capite membra diffidere videantur, reliquos nostræ Archidiœcesis subditos, ac insuper devotissimos Regulares ad idem agendum hortamur. Faxit Deus, ut ab escis carnalibus abstinentes, a culpa pariter jejunemus: & Sancti sui precibus, ac meritis trementis terræ periculis amotis, tranquilla pace in ejus laude lætemur.

TI-

TITULUS XXXIV.

DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

Ex XIX. Syn. tit. VI. cap. 1., & 2.

CAPUT I.

Non est reprehendenda Mulier, partu levata, si Ecclesiam statim non ingrediatur.

ETsi postquam legis umbra evanuit, nobisque veritas illuxit Evangelii, nullo peccati pondere graventur mulieres, si prolem enixæ, statim, debitas Creatori gratias exoluturæ, in Sancta ingredi voluerint: non ideò illarum videtur exprobanda devotio (*a*), quæ venerationis causa, propter quam, & viro (*b*) cum propria dormienti uxore, jubetur ab Ecclesiæ ingressu se temperare, aliquandiu judicaverint abstinere.

CAPUT II.

Mulieres enixæ, primò domum exeuntes, pro benedictione, sub interdicti pœna, Ecclesiam adeant Parochialem. Regulares ab eis benedicendis se abstineant.

PAtiendum non est autem, pleras que nostri temporis puerperas, cùm è domo a partu pedem efferunt, vel, Dei munerum oblitas, aliò, quàm ad Ecclesiam gressum dirigere, vel proprio, a quo natus infans æternæ suscepit regenerationis lavacrum, despecto Parocho, Regularium Ecclesias adire. Idcircò decernimus, ut mulieres enixæ, cum prima vice domum exierint, è domo Dei aliàs per suos Parochos, quos hac Constitutione necessaria declaramus facultate munitos, ejiciendæ, juxtà priscum, & receptum in Ecclesia usum, ad Ecclesiam se conferant Parochialem, vel illam, ubi pro loci consuetudine sacra venerantur baptisteria; & a Parocho, servato ritu in Romano Rituali præscripto (*c*), humilitèr postulent, ac devotè accipiant benedictionem. Regulares verò cùm nostræ Civitatis, tùm Archidiœcesi a similibus, uti Parochiali juri contrariis, ac nupero Sacræ Rituum Congregationis decreto (*d*) derogantibus, & ab ipsius rationis tramite penitùs alienis, eos omninò præcipimus continere.

TI-

(*a*) Cap. Volens h. t. (*b*) Can. Vir. de pænit. dist. 4. (*c*) De benedict. Mulieris post partum. (*d*) Lato sub die 10. Dec. 1703. & à SS. confirmato die 12. Januar. 1704.

TITULUS XXXV.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, VEL REPARANDIS.

Ex Tertia Synodo cap. XI.

CAPUT I.

In necessariis Ecclesiarum terræmotus causa, vel ædificatione, vel reparatione serventur Instructiones sub titulo: Il Rettore Ecclesiastico, *quas omnes Ecclesiarum Rectores penes se habebunt.*

INter cetera, quæ peccatis nostris demeriti sumus mala, præcipuum est, quod Dominus in die iræ furoris sui (a) *dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum.* Non enim de nostra Civitate tantùm, sed in omnibus Oppidis nostræ Diœcesis, quæ terræmotu concussa sunt, Ecclesiæ cumprimis corruere. Quocirca cum quamplurimæ rursus, vel instaurentur, vel reædificentur, oportet, *Instructiones* per P. Mag. Fr. Marcellum de Cavaleriis nostri Præd. Ordinis apud Nos Theologum, Monialiumque nostrarum Vicarium, *super Ecclesiarum, & Altarium fabricis, superque sacra supellectili*, jussu nostro editas, quas præsenti Constitutione approbamus, & ab omnibus Ecclesiarum Rectoribus haberi volumus, omnino servandas mandamus.

CAPUT II.

Ecclesiæ vel ab integro, vel magna ex parte ne construantur, neve ædificentur inconsulto Archiepiscopo.

QUoad verò Ecclesias, vel ab integro ædificandas, vel magna ex parte restituendas, juxta sacros Canones (b) præcipimus, ut inconsultis Nobis nihil innovetur; quatenus nova ædificia canonicè construantur.

CAPUT III.

Requiritur a Parochis Catalogus Ecclesiarum integrarum, dirutarumque, & notitia eorum, ad quos spectat earundem manutentio, & reparatio: Similiter Ecclesiarum terræ-motu concussarum, vel dejectarum, notitia expensarum ad refectionem requisitarum, necnon cui reædificatio, vel reparatio incumbit. Item de Cappellis, & Confraternitatibus &c.

QUapropter unusquisque Parochus suæ Parœciæ Ecclesiarum, etiam Regularium, sive exemptarum catalogum ad Nos mittat infra mensem, tenoris, qui sequitur.

In Parœcia S. N Oppidi N. erant.

Ecclesiæ integræ *tot.* v. 3. Parochialis sub titulo S. N.

Ecclesia sub invocatione S. N.

Ecclesia S. N. cum Conventu *tot* Regularium.

Ecclesiæ dirutæ *tot:* altera sub invocatione S. N. &c.

Et unicuique subdat, cui incumbit fabricæ manutentio, & reparatio.

Item Cappellæ sub invocatione SS. *tot.*

Confraternitates sub invocatione N. *tot.*

Hospitale.

Mons Pietatis.

Mons frumentarius.

Deinde addat.

Z Ter-

(a) 2. Machab. 12. Nemo S. de Con. dist. 1.

(b) c. Quicumque 16. q. 1. c. Lator 16. q. 3. c. Quidam 18. q. 2. c.

Terræmotu concussa Ecclesia S. N. vel funditùs corruit, vel conquassata est, vel ex parte tantùm passa: & referantur singillatim damna, nec non quanti sumptus ad peritorum sententiam requirantur. Et cujus interest vel ab integro cōstruere, vel instaurare: ita & de Capellis, Confraternitatibus, &c.

CAPUT IV.

Idem Catalogus a Parochis Diœcesis exquiritur infra duos menses, Scriba, eorum sumptibus mittendo, negligentiam suppleturo.

EUndem Catalogū universi Diœcesis Parochi de omnibus in sua parœcia, tàm intra, quàm extra Oppidum existentibus Ecclesiis, Capellis, &c. etiam dirutis, infra duos menses ad Nos mittere satagant: aliter è nostra Cancellaria eorum sumptibus Scribam mittemus, ut eorumdem suppleat negligentiam.

Ex Sexta Synodo cap. 9.

CAPUT V.

Ecclesia sine sufficienti dote non construenda.

UT Deus in domibus ejus cognoscatur, (a) sacris Canonibus statutum est, quatenus, qui Ecclesiam ædificare vult, ante præfiniat, quæ ad luminaria, & custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant, & ostensa donatione (b) tunc Episcopus Civitatis veniet, & ibidem Crucem figet, publicèque atrium designabit, quod & sancta aqua consperget.

CAPUT VI.

Multæ in Diœcesi Ecclesiæ, & Altaria sine dote: Illæ vastatæ, hæc nuda reperta sunt.

SEd temporum injurià, & hominum incurià factum fuerat, ut in Diœcesi nostra ob dotis defectum multæ conspicerētur Ecclesiæ ad vastitatem redactæ, necnon in Ecclesiis ipsis multiplicata altaria suis viduata ornamentis, quæ potiùs religionis contemptum, quàm divini cultus, ut par est, incrementum præseferebant. Tantis malis in S. Visitatione pro viribus occurrentes, nullum non movimus lapidem, ut Ecclesiæ omnes, & earum altaria ad debitum revocarentur decorem.

CAPUT VII.

Statuitur, ut nulla deinceps Ecclesia erigatur sine annua dote ducatorum viginti, nisi Ecclesiæ magnitudo majorem requirat. Nulla altaria sine dote ducatorum quatuor annuorum. Habita prius facultate (etiam in qualibet innovatione requirenda) ab Archiepiscopo, & dote libera per publicum instrumentum firmata, cujus copia authentica in actis Cancellariæ erit consignanda.

ET ne deinceps tantus error irrepat, præsenti Constitutione decernimus, ut nemo Ecclesiam a fundamentis erigere præsumat, qui ante non præfinierit, constitueritque dotem annuam ducatorum viginti, aut etiam majorem, si Ecclesiæ pensata magnitudine Nos duxerimus necessariam; Altaria verò ne erigantur, nisi (considerata prius Ecclesiæ symmetria) constituta dote ducatorum saltem quatuor annuorum;

(a) Psal. 47. (b) c. Nemo Ecclesiam De consecr. dist. 1.

rum; quæ dotes certæ, & liberæ, instrumento cum inserta forma facultatis a Nobis obtentæ (sine quâ nemini deinceps Ecclesias, aut altaria erigere, immò nec aliquid circa eorum materiale innovare licebit) manu publici Notarii confecto, cautè firmentur: & publicum hujusmodi documentum in nostræ Cancellariæ actis consignetur.

CAPUT VIII.

Nullæ in Ecclesiis Inscriptiones apponantur, nisi ab Archiepiscopo probatæ. Contravenientes vel ab Ecclesiæ Rectore sub pœna Ecclesiastici interdicti eo ipso, vel a Majore in Ecclesia sub pœna ducatorum quinque, & viginti, Curiæ Archiepiscopali deferantur.

INscriptiones non nisi a Nobis probatæ Ecclesiis apponantur, nam & insulsas, & ridiculas, & non paucas alieno juri præjudiciales fraudulenter incisas legimus. Si quis hoc imposterum ausus fuerit, & Ecclesiæ Rector, seu quivis alius inibi majorem locum inter Ecclesiasticos obtinens, hac de re Nos non fecerit certiores, hic quinque & viginti ducatorum, ille Ecclesiastici interdicti pœnam, se noverint incurrisse.

CAPUT IX.

Novæ Campanæ, nisi perfectis turribus, absque Archiepiscopi facultate ne fundantur sub pœna excommunicationis ejdem reservatæ; & sub eadem pœna noviter fusæ nondum appositæ imperfectis turribus non apponantur.

QUia verò ad Ecclesiæ fabricam, & decorem sacrarum Turriũ, quæ campanilia vocãtur, perfectio spectat, cum nonnullas earum infectas reliquerint plebes, ad ingentes campanas sibi comparandas insano fastu conversæ, ut cum turrium perficiendarum, tum Ecclesiarum necessariò instaurandarum memoria cum sonitu deperiret; Idcirco ne novæ campanæ fundantur, nisi perfectis omnino turribus (& tunc etiam Nobis consciis, & permittentibus) sub excommunicationis Nobis reservatæ pœnâ inhibemus. & fusas nondum appensas ab ipsis imperfectis turribus sub eadem pœnâ prohibimus.

CAPUT X.

Campanæ ab Archiepiscopo non benedictæ sacris turribus non apponantur sub pœna Ecclesiæ interdicti. Regulares ad deponendas de Campanili Campanas ab Episcopo non benedictas cogi possunt.

EAsdem quoque campanas, ad id ab Ecclesia institutas, ut accedente Pontificis Benedictione hos effectus ad Christiani populi utilitatem, & salutem pariant, quos vulgatum illud continet disticon: (a).

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos ploro, pestes fugo, festa decoro:

nemini posthac novas a Nobis non benedictas sacris turribus apponere liceat sub Ecclesiæ interdicti pœna: esse enim de necessitate præcepti hujusmodi Pontificalis benedictio, sive consecratio censetur; quamobrem etiam Regulares (b) cogendos esse ad deponendum de campanili campanas, si illic non benedictas appenderint, sancitum habetur.

(a) Gloss. in extravag. de Offic. Custod. c. 1. (b) S. R. C. 1614. Teramo 17. Jan. 6. apud. Nic. v. Campana n. 5.

Ex nona Synodo tit. XV.

CAPUT XI.

Sacris locis, vel rebus, lajcorum dominorum insignia ne apponantur absque Archiepiscopi licentia, nisi proprio ære ipsi fundaverint, aut effecerint.

ECclesiis, Cappellis, sacrisque supellectilibus nulla temporalium Dominorum insignia apponantur absque nostra expressa licentia, sub pœna interdicti Ecclesiarum, Cappellarum, & supellectilium: nisi fortè ipsi fundarint, ornarint, effecerint suis sumptibus. Quod si Universitas aliqua ex iis propriis impensis facienda curarit, Universitatis, non Baronis insignibus discernantur.

Ex XVIII. Synodo tit. VIII.

CAPUT XII.

Post tres Terræ-motus Ecclesiæ Urbanæ, ac Diœcesanæ debito decori restitutæ dicuntur: pro harum fabricis Mons ducatorum 4000. cum suis regulis fundatur.

BEnedictus Deus, de cujus munere venit, ut, postquam ipse misericordiarum Pater tertiò visitavit nos, ex alto respiciens terram nostram, quam fecit tremere, conquassavit, implevitque ruinis; nostræ Civitatis, & Archidiœcesis Ecclesias, humilitatis nostræ famulatu (quod absque cenodoxiæ labe asserimus, & pro sola Dei gloria, proque eucharistia fatemur) præter noviter erectas, omnes ferè speciosiori forma restitutas, refectas, & ornatas vidisse lætaremur. Omnes equidem ut sine macula, & sine ruga manuteneantur, quotidiana ipsarum sollicitudo Nos angit: verumtamen, cum Urbanis Ecclesiis aliunde facilior extet provisio, ad Diœcesanas pronunc mentis oculos convertimus. Quamobrem ad harum beneficium ducatorum quatuor millium donationem omni ævo irrevocabilem hac die peregimus, quibus Montem pro fabricis Ecclesiasticis nostræ Archidiœcesis erectum volumus; & pro ipso regulas confecimus, quas Synodi hujus decreto munitas in sequenti Appendice proferemus.

Ex XIX Synodo Tit. VII.

CAPUT XIII.

Pro Metropolitanæ Ecclesiæ dote, recens aucta, aliàs præscriptum observetur.

QUidquid pro Metropolitanæ nostræ Ecclesiæ dote a Nobis in sũma annua ducatorũ novem & septuaginta constituta præcedenti XVIII. Synodo (a) decrevimus, id pariter pro illius incremento, ex novo mille ducatorum capitali, ad summam usque ducatorum centum viginti quatuor hoc anno a paupertate nostra, continua Nos Divi Philippi Nerii Patroni nostri beneficentissimi protectione locupletante, conflato, exequi, & adimpleri sancimus. De hoc autem clariùs in publicis tabulis, memorato Not. Fontanella rogato, quas eadem synodalis continebit Appendix.

CAPUT XIV.

Legatum ducatorum mille, quondam Archidiaconi Farellæ, Sacristiæ Metropolitanæ addictum refertur.

QUos insuper b. m. Paulus Farella, nostræ Ecclesiæ Archidiaconus, vita functus die 22. Septẽbr. elapsi

(a) Tit. de Conf. Eccl. cap. 3.

elapsi anni, suo, quo obiit, testamento præter alia, vel multa pia legata, in ejusdem Ecclesiæ favorem testatus fuit ducatos mille nostro applicandos arbitrio, communi ipsius Ecclesiæ addiximus Sacristiæ, ut eorum fructus in sacras pro Missis solemnibus vestes, quibusdam appositis conditionibus, inviolabiliter observandis, erogentur, prout in publicis paginis, prædicto Not. Fontanella rogato, cum præcitata Appendice imprimendis.

Ex XX. Synodo tit. XX. Cap. 4.

CAPUT XV.

Sacrâ ab hodierno Archiepiscopo in Ecclesia Metropolitana universi generis Supellectili comparatâ, annuisque censibus pro futura illius solemni provisione constitutis, pro privata demum 500. ducatorum dos creatur.

AD divina in Ecclesia nostra Metropolitana, ut decet, celebranda mysteria, & si non pro majestate, pro viribus saltem a Deo præstitis, universam vasorum, vestium, aliorumque utensilium paravimus supellectilem. Cumque de his, nihil esse duximus, providisse, ni futuro pariter mentis aciem admovissemus, propriam pro solemnibus Archiepiscoporum (*a*), Canonicorum (*b*) ac ipsorum, & Mansionariorū (*c*), indumentis constituimus dotem. Ceteris demum pro Missis privatis consuluisse supererat, quod & Dei benedictio effecit, cum die 22. Februarii decurrentis anni d tem aliam in capitali ducatorum quingentum per manus nostras fundatā voluit; quemadmodum publicis ex actis liquet, in hujus Synodi calce legendis, quæ Nos iterum confirmantes, Synodali insuper munimine roboramus.

Ex XXI. Synodo tit. VII.

CAPUT XVI.

Dos duc. 25. pro majoris Altaris Ecclesiæ Metropolitanæ manutentione per Archiepiscopum fundata, novo aliorum 25. duc. incremento per eundem augetur.

COpiosus in misericordia Dominus, & in cunctis operibus gloriosus, a quo bona omnia defluunt, ita paupertati nostræ, dum annis prope elapsis (*d*) Ecclesiam nostram Metropolitanam unà cum Ara principe, absque dote fundatā, annuis ducatis 124. ex iis tantùm duc. quinque, & viginti pro Aræ majoris dote reservatis dotavimus, suppetias contulit, ut, quatenus eidem Ecclesiæ pro commodiori ejusdem Altaris manutentione alios ducatos 25. in capitali duc. 500. donare valeremus, nova Nobis hoc anno favorabiliter auxilia subministrarit. Deo igitur gratias agentes, donationem ipsam confirmamus, & quæcunque in ipsius donationis tabulis, sequenti dandis Appendice, præscripsimus, synodali quoque Decreto communimus.

CAPUT XVII.

Mons pro Ecclesiasticis Fabricis Diœcesanis cum dote ducatorum 4000. per Archiepiscopum erectus, aliis ducatis bis mille ab eodem hoc anno donatur.

ALiorum insuper bis mille ducatorum donationem in Montis augumentum pro Fabricis Ecclesiasticis Diœcesanis a Nobis an. 1703. cum dote duc. 4000. erecti, per manus nostras hoc mense peractam, divinæ ipsi Providentiæ referimus; Deum, misericordiarum Patrem, exorantes, ut de Monte Sancto suo (*e*) super

(*a*) In App. Syn. XVIII. n. 9. (*b*) In App. Syn. XVII. n. 6. (*c*) In App. Syn XIX. n. 9.
(*d*) 1703. in XVIII. Syn. Diœc. & 1704. in Syn. XIX. (*e*) Psalm. 3. 5.

super Nos, & Montem nostrum benedictionum suarum dona perpetuò multiplicare non dedignetur.

CAPUT XVIII.

Regulæ pro Montis gubernio, aliàs latæ, adhuc pro adauctæ dotis ducatorum 2000. administratione serventur.

REgulas tandem pro Montis ipsius regimine a Nobis in Appendice XVIII. Synodi n. XI publicatas, firmas, & in suo robore permanere decernimus. Easdemque, & singula in eis contenta pro supradictorum etiam bis mille ducatorum administratione, mutuo, & erogatione, quemadmodum in instrumento (*a*) donationis declaravimus, inviolabiliter ab iis, quorum interest, exequi, & observari mandamus.

Ex XXII. Synodo tit. VII.

CAPUT XIX.

Dos pro Ecclesiæ Metropolitanæ manutentione ad ducatos usque 115. annuos per Archiepiscopum augetur.

DIvinæ domûs zelo nostrum assiduè animum comedente, in eam præcipuè curam sedulò incumbimus, ut Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ decor, quem semper dilexímus, absque macula, & absque ruga in ævum effulgeat, & conservetur. Ideoque ad ipsius manutentionem dotem annuam, quam in summa fundavimus ducatorum 99. (*b*), datis hoc anno ducatis aliis sexdecim ex fructu capitalis ducatorum 320. ad summam usque annuam ducatorum 115. Deo opitulante auximus; ut ex Instrumento, quod sequens exhibebit Appendix.

CAPUT XX.

Regulæ pro Ecclesiæ, Altarium, & Sacristiæ Metropolitanæ dotium administratione publicantur.

REgulas insuper pro rectâ tam ejusdem Ecclesiæ, quam Altarium, & Sacristiæ dotium administratione, & applicatione, ad Instrumentorum tenorem, quibus dotes ipsæ fundatæ fuerunt, confecimus, & in hujus Synodi calce publicamus. Easque in perpetuum firmas, & in suo robore permanere volumus, atque decernimus, singulaque in eis contenta inviolabiliter ab iis, quorum interest, observari mandamus.

CAPUT XXI.

Notificatio pro localis Sanctæ Visitationis decretorum, Ecclesiarum reparationem spectantium, executione, synodalem inter Appendicem refertur.

CEleri pro localis Sanctæ Visitationis decretorum executione brevem elapso anno ad fabricæ Præfectorum vel segnitiem urgendam, vel promptitudinem stimulandam, typis dedimus notificationem. Illam, ut omnibus faciliùs occurrat, & foliolum ipsum a negligentiæ vento non rapiatur, sequenti alligavimus Appendici.

Ex

(*a*) Rog. Acol Not. Domenico Fontanella Beneventano sub die 14. Augusti 1706. (*b*) Append. XIX. Syn. n. VIII.

Ex XXIII. Synodo tit. VI.

CAPUT XXII.

Peculiarem Ecclesiæ Metropolitanæ dotem ad ducatos annuos 128. Archiepiscopus auget. Hæc cum ceteris summam efficit ducatorum 350.

MAximum in Nos censemus Divini Numinis beneficium, cum, ut Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, Altarium, Sacristiæ, sacræque supellectilis dotes per annos singulos, quemadmodum in voto sumus, augere valeamus, suppetias Nobis benignè afferre non dedignetur. Annuos namque ducatos 115. a Nobis aliàs pro peculiari Ecclesiæ dote constitutos, datis hoc mense ducatis aliis tredecim ex fructu capitalis ducatorum 260. ad summam usque ducatorum 128. Deo ipso opitulante, auximus. Quæ igitur ex Regulis pro recta dotium hujusmodi administratione XXII. Synodo publicatis, ad ducatos tunc 337. ascendebant dotes, ascendunt modò ad ducatos 350. prout ex nupere donationis Instrumento, synodali in hac Appendice relaxando.

Ex XXIV. Synodo tit. VIII.

CAPUT XXIII.

Ecclesiarum cultum, aliàs commendatum, nova hæc Constitutio commendat. Pro decora Metropolitanæ Ecclesiæ conservatione propria ipsius Dos ad annuos ducatos 143. per Archiepiscopum augetur. Omnes ducatorum 365. summam annuam attingunt.

DEus virtutum, cujus dilecta Tabernacula (*a*), & desiderabilia sunt Cœli Atria, sic in illa dat Nobis attentiùs concupiscere, ut & terrenam suæ gloriæ inhabitationis Domum (*b*) diligere, ejusdemque decorem appetere, ac promovere discamus. Nostis vos Dilectissimi, qualiter a prima die, qua ingressus sum (*c*), non cessavi, super his monens unumquemque vestrum: & nostris ut monitionibus desiderata succederent, quæ nostræ huic Metropolitanæ, ceterisque cum in Civitate, tum in Archidiœcesi existentibus Ecclesiis reficiendis, refectisque honorificè conservandis, misericors per Nos Deus aut utilia decernenda (*d*), aut necessaria subministranda (*e*) concesserit, non ignoratis. Utinam & vos omnes angat aliquando, qui Nos assiduè comedit, (*f*) divinæ Domus zelus. Exemplo sit saltem cunctis vestra, principe qui in hoc Dei Habitaculo prima meruistis honorum subsellia, Venerabiles Fratres, solicitudo, & pietas: Exemplo sit amor, ardor, & studium, Quidni? Sanè Ecclesia hæc nostra, quatenus nova veluti Sponsa, Viro suo Christo jugata, pulchra, & speciosa permaneat, suis est a dotibus instructa. Cui namque certam elapsis annis ducatorum 128. peculiarem statuimus dotem (*g*), annuos ipsa modò exigit ducatos 143. alio ex ducatorum 300. capitali, quod ad ejusdem dotis augumentum hoc mense donavimus. Exigit & ducatos 50. Altari majori, ducatos duos, & septuaginta minoribus, & centum Sacristiæ, sacræque supellectili, nostris item ex fundationibus addictos (*h*): ex quibus congestis annuam ducatorum 365. pro decora totius Ecclesiæ conservatione dotem vos videtis haberi; fusiùs quemadmodum in Instrumento legitur, quod sequens dabit Appendix.

(*a*) Psal. 83. v. 2. (*b*) Psal. 25. v. 8. (*c*) Actor. 20. (*d*) In III. Syn. Cap. XI. In VI. cap. IX. in XVIII. Tit v. Cap. 1. & 2. (*e*) In XVIII. Syn. Tit. VIII Cap. unic. In XXI. Tit. VII. cap. 2. & 3. (*f*) Psal. 68. v. 10. (*g*) In XVIII. Syn. Tit. v. cap. 3. In XIX. Tit. VII. cap. 2. In XXII Tit. VII. cap. 1. In XXIII. Tit. VI. cap. unic. (*h*) Ex Append. XXII. Syn. Num. XI. cap. 2. 3. & 4.

Ex XXV. Synodo tit. VII.

CAPUT XXIV.

In Ecclesiæ Metropolitanæ dotis augmentum ducatos trecentum Archiepiscopus donat.

NUperam, quam hoc item anno, ipsaque die Februarii vigesima secunda, in dotis augmentum Ecclesiæ nostræ trecentorum fecimus ducatorum donationem, in Sanctuarii si statera appendamus, nihil penè esse confitemur, oportet eo, quod Sponsæ eidem nostræ dilectissimæ debeamus, expenso. Magnus autem Dominus, qui magna solus efficit, nostra sic desideria compleat, ut minima, quæ ab initio jecimus prædictæ dotis semina, cœlesti fœcundata benedictione, per annos singulos multiplicata videamus. Ad ea interim, quæ in donationis tabulis, Appendici alligandis, enarrantur, confirmationis decretum apponimus, & adamussim omnia semper observanda mandamus.

Ex XXVI. Synodo tit. VII.

CAPUT XXV.

Ecclesiæ Metropolitanæ Dos ducatis aliis quincentum per Archiepiscopum augetur.

BEnedictus Deus, qui Vota nostra ejus ita dono gratiæ prævenientis aspirat, ut suæ semper prosequatur divinæ largitatis auxilio: cœlestibus his munerati suppetiis, sua Nos Deo ex suis obtulisse fatemur; dum, perpetuo ipsius consulentes Domus decori, ac venustati, aliam hoc anno vigesima secunda Februarii die in Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Dotis incrementum, quincentorum fecimus ducatorum donationē. Hanc modò suis cum conditionibus in Instrumento, Appendici alligando expressis, confirmantes, Synodalis eidem Constitutionis robur adiicimus, & pacta omnia, ut aliàs, adimplenda mandamus.

Ex Synodo XXVII. tit. V.

CAPUT XXVI.

Pro peculiari augenda Ecclesiæ Metropolitanæ dote, per Archiepiscopum fundata, alii ab eodem ducati tercentum quadraginta donantur. Horum fructus præcedentibus adjecti summam annuam ducatorum biscentum efficiunt.

CUm, sicut superioribus est Synodis (a) relatum, nostra fuerit Ecclesia Metropolitana sine dote constructa, congruam hanc ei constituendi, ac firmam, qua suum semper, ut Dei decet Domum, servaret cum majestate decorem, præcipua Nostri cura fuit, & solicitudo. Sanè quæ, Deo donante, peculiari pro dote hujusmodi ad annū usque elapsum (b) capitalia dedimus, ducatos annuos supra centum tres, & octoginta reddebant: proque eis, ubi scilicet, a quibus, & quemadmodum impendi, insumique debuissent, in singulis quibusque cavimus Instrumentis, quæ synodalibus etiam leguntur in Appendicibus. Cumque, quæ sua sunt Dona, sic a Nobis recipiat Deus, ut cumulatiora rependat; adnumeratis, quod hoc anno fundavimus, tercentum quadraginta novi Capitalis fructibus, dos ipsa quatenus ducatos annuos biscentum æquaret, benignè concessit; publico ut liquet ex modò dictæ fundationis monumento, quod nostra hac Sanctione roboramus, & sequenti cum Ap-

(a) Syn. XVIII. Tit. V. Cap. III. (b) Syn. XXVI. Hoc Tit. Cap. unic.

Appendice proferemus.

Ex XXVIII. Synodo tit. VII.

CAPUT XXVII.

Dos Ecclesiæ Metropolitanæ annuo supra biscentum aliorum viginti quinque ducatorum censu per Archiepiscopum adaucta declaratur.

IMmensæ Bonitatis Deus, de cujus munere venit, ut Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ decori omni Nos futuro tempore consuleremus, de canonica sic Nobis eam, qua dote carebat, providisse concessit, ut & paternæ retributione pietatis (divi Cypriani (*a*) verba usurpamus) remunerans in Nobis, quod ipse præstitit, & honorans, quod ipse perfecit, eandem per Nos dotem novis in dies donationibus augeri, optata dum ad incrementa perveniat, largiatur. His itaque Nos fulti subsidiis, annuam in ultima Synodo relatam biscentum ducatorum dotem aliis & hoc anno, prout ex Instrumento legitur, quod exhibebit Appendix, ducatis viginti quinque ex capitali ducatorum quingentum adauximus. Incrementum hujusmodi, iis obstrictum vinculis, præcedentes quibus vallatæ fuere donationes, præsenti confirmationis decreto roboramus: & quæ aliàs pro dote ipsa administranda statuimus, immutabiliter denuo exequenda sancimus.

Ex XXIX. Synodo tit. V.

CAPUT XXVIII.

Ad debitum servandum Ecclesiæ Metropolitanæ decorem Dotis beneficium, per Archiepiscopum creatum, novis accedentibus ducatis quatuorcentum, ab eodem augetur. Totius summam, ducatorum scilicet 4920. in capitali, in fructu autem ducatorum 245. fructuosè expendendam, inculcatur.

CHristus Jesus, qui sponsam suam Ecclesiam *pretioso sanguine quasi Agni immaculati* (*b*) dilutam, in figura Civitatis Sanctæ Jerusalem a Cœlo descendentis ornatam (*c*) ostendit, Ecclesiarum omnium nedum Sanctitatem, quæ Dei Domum deceat. (*d*) sed materialem etiam nitorem, magnificientiam, ac pulchritudinem, cœlestis quam ipse Sponsus concupiscat (*e*), non obscurè commendat: Nos ideò Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, quam a principio, Sponsa veluti non unquam fuisset, omnibus destitutam invenimus, æterno ut ipsa Sponso suum valeret semper exhibere decorem, convenientem ad annum usque præteritum ex capitalibus ducatorum 4520. annuos qui reddunt ducatos 225. perpetuò constituimus dotem: Hanc autem cum in dies augere Nobis in corde posuerimus, principalem sortem ad ducatos 4920., fructus verò ad ducatos 245. feliciter, Deo suffragante, promovimus: aliis per Nos ipsos donatis die 22. Februarii præsentis anni ducatis quatuorcentum, prout ex publicis Appendici inferendis Tabulis apparet, quarum seriem confirmamus, & nostra hac Constitutione fulcimus. Jure itaque, dilectissimi, Deo, ac Virgini Matri Mariæ gratias demissè referẽtes, Ecclesiæ nostræ cum Isaia (*f*) decantemus

A a

(*a*) Epist. ad Martyr. 25. (*b*) 1. Petr. cap. 1. (*c*) Apocal. cap. 21. (*d*) Psal. 92. (*e*) Psal. 44. (*f*) Cap. 62. v. 4.

mus: *Non vocaberis ultra derelicta*; imò sanè *gaudebit* deinceps, Propheta (a) sic præcinente: *Sponsus super Sponsam*, si hujusmodi dotis fructus, ut præfinimus, laudabiliter expendentur.

Ex XXX. Syn. tit. XIX. cap. 14.

CAPUT XXIX.

Ecclesiæ Metropolitanæ, illiusque Aræ majoris, & Sacristiæ dotibus duc. 600. ab Archiepiscopo donati, respectivè, ut hic, distributi, accrescunt.

PEculiares cum a Nobis tam pro Ecclesia nostra Metropolitana, quàm pro ipsius Ara majori, & Sacristia fundatæ sint dotes, quarum primæ ad ducatos 245. secundæ ad ducatos 50 tertiæ verò ad ducatos 95, fructus ascendunt; alios nuper ad earundem respectivè dotium incrementum ducatos 600. prætærito Mense Februarii donavimus. Hac tamen Capitale ipsum servata fumus proportione partiti, ut ducati scilicet tercentum ad Ecclesiæ dotem, bifcentum ad illam majoris Altaris accederent, reliqui autem centum in Sacristiæ beneficium, doti scilicet Farellianæ, accrescerent. Ipsam igitur donationem, latiùs ut ex Instrumento patebit Appendici alligando, ratam, ac firmam habentes, novæ synodalis nostræ legis robore communimus.

Ex XXXII. Synodo Tit. VII.

CAPUT XXX.

Minorum Ecclesiæ Metropolitanæ Altarium dotes alio quincentum ducatorum capitali Archiepiscopus exauget.

PLures sint licèt a Nobis cœlesti largitione fundatæ, & novis successivè capitalibus auctæ Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ dotes, iis tamen decurrenti hoc anno consueta die 22. Februarii incrementi alicujus beneficio occurrendum duximus, quæ minora sunt, ut decet, Altaria conservando assignatæ. Has ergo dotes aliis, ut Instrumentum habet in fine legendum, quia ducatis quincentis adauximus, vobis omnibus Ecclesiæ ejusdem servitio mancipatis, sacræ quatenus Aræ ipsæ in suo nitore serventur, quamsedulò attendatis, injungimus: ita fiet, ut & Nos semper lætemur exhibitis, & vos jugiter gaudeatis acceptis.

Ex XXXIII. Synodo tit. V.

CAPUT XXXI.

Majoris Altaris Ecclesiæ Metropolitanæ dotem ducatis aliis biscentum Archiepiscopus adauget.

DIvinæ domûs zelo in nostræ licèt quotidie feramur Ecclesiæ dilectionem, & illius nedum præsenti, sed & futuro consulentes decori, novis Nos ipsam oblationibus muneremur; minus tamen semper esse, quod agimus, majus esse, quod debemus, agnoscimus. Hac sanè confessione, dilectissimi, nuper eram, prout ex instrumento, quod dabitur in Appendice, a Nobis pro Aræ maximæ dotis incremento peractam, ducato-

(a) Ibidem v. 5.

catorum bis centum donationem referimus. Faxit autem Deus, cujus miseratio magna est,(a) ut minimum pro magno fibi placeat (b), & obsequii nostri oblatio accepta fiat in Jerusalem (c) Cœli; dum Nos illam coram Ecclesia confirmamus in terris.

Ex XXXIV. Synodo tit. V.

CAPUT XXXII.

Annuam Ecclesiæ Metropolitanæ dotem novo ab Archiepiscopo mille ducatorum capitali adauctam, ducatorum 360. summam attigisse, denunciatur.

Metropolitanam Ecclesiam; sponsam nostram dilectissimã, debito Nos, ut in votis sumus, prosequentes amoris, ac venerationis officio, aliis ipsam, sibi quatenus pro dignitate provideat, & pulchra semper omni ævo resplendeat, elapsi Februarii die 22. pro institutæ jà 6320. ducatorum dotis incremento, ducatis mille donavimus: horumque fructus, ducatos scilicet quinquaginta, primis tercentumdecem adjunctos, annuam pronunc trecentorum sexaginta ducatorum summam æquasse, gaudemus. Deus autem spei (d), a quo datum omne optimum, & donum omne perfectum (e), repleat Nos omni gaudio (f), ut quæ, inspirante ipso, pro suæ, Magnæ Virgini sacræ, Domùs honore concepimus, eo gubernante, tandem implevisse gratulemur.

Ex XXXV. Synodo tit. VIII.

CAPUT XXXIII.

Dotem annuam Ecclesiæ Metropolitanæ, ad ducatos usque tercentum octuagintaquinque per Archiepiscopum adauctam, ut aliàs, administrandam, decernitur.

Summè exigit Divinæ Domus honor, in id Nos sedulò studium incumbamus, nostræ ut Ecclesiæ Metropolitanæ decor, quem semper amavimus, semper quæsivimus, totaque cordis intentione promovimus, perpetuò effulgeat, & in suo jugiter nitore servetur. Pro debita idcirco ipsius conservatione dotem annuam, præcedenti Synodo relatam (g) ducatorum scilicet tercentum sexaginta, aliis & hoc anno, publicis ut in Tabulis legitur cum Appendice imprimendis, vigintiquinque ducatis adauctam voluimus, alio dato capitali ducatorum quingentum. Hujus itaque dotis augmentum iis obstrictum vinculis, superiores quibus vallatæ fuere donationes, præsenti confirmationis decreto roboramus: & quæ aliàs pro ipsarum dotium administratione statuimus, in unguem denuo adimplenda sancimus.

Ex XXXVI. Synodo tit. V.

CAPUT XXXIV.

Ecclesiæ Metropolitanæ dotem ducatis aliis quingentis Archiepiscopus auget.

Assidua cum in Ecclesiam nostram Metropolitanam Nos dilectione feramur, noxam sanè ducimus, majori si semper, qua ipsa perpetuò splendeat, venustati non consula-

(a) Eccl. 5. v. 6. (b) Ibid. 29. v. 30. (c) Ad Rom. 15. v. 31. (d) Rom. 15. v. 4. (e) Jacob. 1. v. 17. (f) Rom. 15. v. 13. (g) Hoc. Tit. Cap. Unic.

fusamus. Mente hinc quippe hujusmodi aliam hoc item anno consueta vigesima secunda Februarii die in ejusdem Ecclesiæ dotis augmentum quingentorum fecimus ducatorum donationem: quam modò suis etiam cum conditionibus, in Instrumento Appendici alligando expressis, confirmantes, synodalis eidem Constitutionis robur adjicimus, & pacta omnia, ut aliàs, adimplenda sancimus.

Ex XXXVII. Synodo tit. VI.

CAPUT XXXV.

In Ecclesiæ Metropolitanæ dotis augmentum ducatos alios quingentos Archiepiscopus donat.

Cum nos Episcopos posuerit (*a*) Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit, & lavit in sanguine suo, ut exhiberet (*b*) eam non habentem maculam, neque rugam; idcirco cuncta Civitatis nostræ, & Archidiœcesis Templa, vel temporum injuria, vel proventuum inopia squallentia, & si non pro majestate, pro viribus tamen a prima die, qua ingressi (*c*) sumus, restaurare, atque ornare studuimus. Ecclesiæ verò imprimis Metropolitanæ, sponsæ nostræ charissimæ, & præsenti, & futuro quoque consulentes nitori, ad ornandum locum sanctificationis (*d*) Domini, & locum pedum suorum glorificandum, in paupertate nostra (*e*) præparavimus impensas, annuam ducatorum quadringentorum & decem ad annum usque prætetitum (*f*) fundando dotem. Alios autem & hoc anno, in ardentissimi erga decorem domûs Dei amoris nostri argumentum, consueta vigesimasecunda Februarii die donavimus quincentos ducatos; ita ut fructus omnes ducatorum trigintaquinque super quatercentum in singulos annos nunc summam conficiant, prout ex instrumento in fine legendo, liquidò apparet, cujus seriem, conditiones, & pacta Synodali hoc decreto perpetuò confirmamus, atque fulcimus. Magnam proinde Deiparentem Virginem Mariã, Patronam nostram & Dominam præsentissimam, cujus titulo Ecclesia hæc insignita refulget, enixè precemur, ut quoniam Retributrix est (*g*) magnorum donorum pro exiguis, quòd cogitavimus in corde nostro (*h*) ædificare, & ornare in Terris domum Nomini sancto suo, ædificare Nobis (*i*) domum in Cœlis & ipsa pro sua pietate dignetur.

TIT.

(*a*) Ex Act. 20. 28. (*b*) Ad Ephes. 5. 27. (*c*) Act. 20. 18. (*d*) Ex Isa. 60. 13. (*e*) 1 Paralip. 22. 14. (*f*) Ex Syn. XXXVI. in Append. num. 8. (*g*) S. Athanas. Serm. in Evang. de Ss. Deipar. (*h*) Ex 3. Reg. 8. 18. (*i*) Ex 1. Paralip. 17. 10.

TITULUS XXXVI.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Ex Secunda Synodo Cap. 13.

CAP. I.

Edictum quintum contra recursum ad Archiepiscopum impedientes promulgatur, & roboratur.

CVm nonnulli sint perditionis filii, qui auctoritate sibi a Deo concessa non contenti, in Ecclesiasticam messem sacrilegas falces immittunt; ut his vulpeculis, quæ Christi vineam demoliuntur, obsistamus, Edictum quintum, quod super hac re edidimus præsenti Cōstitutione roboramus, iterumque volumus promulgatum.

Ex tertia Synodo Cap. 9.

CAPUT II.

Judicium a Domo Dei incipere, terremotus, quo templa *corruere*, *demonstravit.*

TImor, quem timebamus, evenit nobis, (*a*) & quod verebamur, accidit: Nonne tanquam inundantes aquæ rugitus nostri, quando domum orationis spelunca pejorem deplorabamus, quando raucæ factę sunt fauces nostræ clamantium (*b*): Dominus in templo sancto suo, sileat a facie ejus omnis terra. Non siluit homo è terra compactus: nec siluit terra, quę mugitu horribili movēs, templa primùm omnia excussit, diruit contrivit, (*c*) incipiente judicio a Domo Dei, deinde tabernacula nostra præcipitavit, in pulverem redegit; bonis spoliavit, sanguine conjunctis privavit.

CAPUT III.

Parochi Bullam Pii V. super reverentia Ecclesiis debita, Dominica secunda Adventus, & secunda Quadragesimæ quotannis denuncient sub pœna ducatorum decem.

QVapropter, ut quos divinus timor a malo non revocat, (*d*) temporalis saltem pœna deinceps cohibeat a peccato, districtè mandamus, ut, quicumque curam gerit animarum, Bullam B. Pii V. super reverentia Ecclesiis debita in appendice annectendam, Dominica secunda tùm Adventus, tùm Quadragesimæ singulis annis sub pœna ducatorum decem, suæ plebi denunciet, eamque commoneat, quod qui inter flagella duriores, & deteriores fiunt, (*d*) sicut Pharao, qui flagellatus a Domino durior factus est, præsentibus æterna connectunt, ut temporale supplicium sit eis æternæ damnationis initium.

CA-

(*a*) Job. 3. (*b*) Habac. 2. (*c*) 1. Petri 4. (*d*) C. Vt Clericum 13. de vit. & hon.
(*e*) C. Cum sunt plures 45. §. Auctoritas de Pœnit. dist. 3.

CAPUT IV.

Osculum Evangelii; usus baldacchini, & assistentia im Presbyterio laicis quibuscumque inhibetur.

ILli autem durissimo Pharaoni cōpares sunt, qui laici omnino fastu, Deo, & hominibus exoso tumentes, Osculum Evangelii, usum baldacchini, & assistentia in Presbyterio sibi arrogantes, in vetita toto conatu nituntur, cupiuntque negata tot Sac. Rit. Congregat. decretis, quæ in appendice collecta apponemus: non cogitantes hac una de causa sese innumeris malis premi, & nō rarò cum Pharaone in rubrum mare demergi.

CAPUT V.

Decreta Sacræ Congregationis super hujusmodi prohibitione a laicis potestatibus servari mandatur sub pœna anathematis.

ET quamvis in Diœcesi nostra nulla hujusmodi desolationis abominatio quoad Thronum cernatur, ob pastoralem Prædecessorum nostrorum vigilantiam, præcipuè felic. record. Joannis Baptistæ Archiepiscopi Foppa, qui dynastam quendam consimili arrogantia elatum, thronumque suum in Aquilone, ut similis esset Altissimi Vicario (a) ponere molientem, spiritus oris sui præcipitem dedit. Quoad reliqua tamen prædicta Sacræ Congregationis decreta a laicis omnibus cujuscumque gradus, & conditionis, etiam Principatus, & Ducatus existant, ea servari mandamus, aliter per Nos, nec carni, nec sanguini parcentes, anathematis gladio sese noverint omnino esse feriendos.

Ex decima Synodo tit. XI.

CAPUT VI.

Repræsentationes etiam sacræ in Ecclesiis ne fiant.

DOmum Domini ea decet sanctitudo, ut confabulationes quælibet, & vana cessare debeant colloquia, ad quæ, & alia ab ipsa prorsus extranea, removenda præcipimus, ne repræsentationes etiam sacræ in illa fiant. Quod si Rectores contraveniendo permiserint, pœna ducatorum decem mulctabuntur, & in subsidium Ecclesiæ ipsæ interdicto supponentur.

Ex XXIV. Synodo Tit. IX. Cap. 1. & 2.

CAPUT VII.

Excommunicatio Papæ reservata cōtra bonorum Ecclesiæ usurpatores ex Bulla Cenæ Domini, & Concilio Tridentino refertur. Bullæ particula, & Concilii decretum per Parochos quotannis evulganda indicuntur.

ANtiquorum omnibus, & præsentium temporum experimēta declarant (b), nonnullos aliquando nec defuisse, nec in præsentiarum deesse perditos iniquitatis filios, execrabili qui in tantum cupiditate tenentur, ut propriis non contenti, alienis, Ecclesiasticis ut plurimum, bonis inhiant, & ad vetita illicitè, ac temerè frena relaxant. Cunctis quocirca volumus innotescat, excōmunicationem Summo Pontifici in Bul-

(a) C. Mulier debet 33. q. 5. (b) Cap. Clericis, hoc tit. in 6.

Bulla Cœnæ Domini, atque in Concilii Tridentini decreto *a*) reservatam, aliasque pœnas, ibidem expressas, Clericos, & Laicos omnes incurrere, qui Ecclesiarum, vel cujuscumque alterius Loci Pii bona quælibet surripiunt; aut ea sub quocumque prætextu, sive per se, sive per alios usurpant, vel ne fructus ab iis, ad quos pertinent, percipiantur, quomodolibet impediunt. Ut præfatum verò Concilii Decretum, Bullæque particulam, ad hoc facientia, unquam ignorare quis nequeat, utrumque, vernaculo versum idiomate, in Appendice proferimus, Dominica septuagesima per annos singulos a Parochis evulgandum.

CAPUT VIII.

Bonorum Ecclesiæ usurpatores, sub excommunicationis pœna Archiepiscopo reservatæ, post dies quindecim ab habita notitia Curiæ Archiepiscopali denuncientur.

Quicumque autem usurpatores hujusmodi, illicitosque detentores, & impedientes, ut supra, sciunt eos, Nobis, vel nostræ Curiæ Archiepiscopali, sive Vicariis nostris Foraneis, per se, vel internuncium certum revelare teneatur. Quod si quindecim ultra dies post illorum scientiam protraxerint, majoris excommunicationis pœnam, Nobis reservatæ, eo ipso incurrere volumus, atque decernimus.

Ex XXXIV. Synodo tit. VII.

CAPUT IX.

Laicis utriusque sexus quibuscumque Altarium cancellos ingredi, ibidemve sedere, prohibetur: Ecclesiarum, etiam Regularium, interdicti pœna proponitur.

Antiquissimis cum sit canonibus (*b*) multisque Synodis sancitum, nè Laici sacrarium licentiam habeant introeundi, nec ulla femina Altarium infra cancellos stare audeat, vel sedere; hujusmodi Nos praxim secuti, Sanctorum Patrum exemplis obfirmatam, in Ecclesiis omnibus, etiam Regularibus, nostræ Civitatis, & Archidiœcesis, suis Altaria majora, item ac minora, cancellis circumseperi, & obserari curavimus. Veruntamen cum nonnullos dudum exiisse cognoverimus fastus insolentis seculares viros, ac feminas, petulantes vanæ gloriæ aucupatores, assentantibus, qui non rarò Ecclesiarum, Regularium præsertim, Ædituis, Ecclesiasticæ disciplinæ nesciis, Presbyteria ingredi, ibique non sine scandalo sedere cōspiciantur: hoc idcirco deinceps nè permittatur omnino, & finem hæc tandem accipiat præsumptio temeraria; earundem Ecclesiarum Præfecti invigilent omni modo, præcipimus. Contrafacientes autem, Ecclesias illico a Nobis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, Ecclesiastico interdicto subiiciendas, sciant.

Ex

(*a*) Sess. 22. de reform. cap. 11. (*b*) Can. Pervenit, & Can. Sacerdotum de Cons. dist. 2. cap. 1. de vit. & honest. Cleric. & cap. 1. de cohabit. Clericor. & Mulierum.

Ex XXXVII. Synodo tit. VII.

CAPUT X.

Mulierum petulantia, Ecclesias capite, pectore, & humeris discoopertis ingredientium, Ecclesiastico interdicto coercetur.

ETsi ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis velato capite mulieres incedere, gravissimis rationibus edixerit Paulus Apostolus *(a)*, idque diù servatum, a plerisque sacris canonibus *(b)* præscriptum quoque fuerit; nunc verò salubri hac, suadente sanè diabolo, lege obliterata, easdem passim, non sine acerbissimo cordis nostri dolore, nedum capite aperto, sed pectus etiam, humerosque nudatas, nullam prorsus, quæ domum Dei decet, sanctitudinem, vel humilitatem præseferentes, cernere licet in Ecclesias perfricta fronte convenire; cum tamen ipsarum in mente debuisset penitus insidere OEcumenici Lugdunensis Cõcilii monitum *(c)*: *Sit ad Ecclesias humilis, ac devotus ingressus: sint, quę divinum possunt turbare officiũ, aut oculos divinæ Majestatis offendere, ab ipsis extranea, ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.* Hinc quo maximo possumus pastoralis nostræ sollicitudinis officio, abusum hunc evellere cupientes, Apostolicis Institutis, Patrum doctrinis, Conciliorum sanctionibus, ac sanctissimarum feminarum exemplis adducti, Synodali hac Constitutione pręcipimus.

I. Ut mulieres cujusvis ordinis, vel status, dum in Ecclesiis, etiam Regularium, commorantur, pro eorum conditione, caput, pectus, & dorsum panno lineo, aut laneo, vel velo serico tecta habeant. Si quę contrafecerint, & postquã tribus diebus festivis, quamquam generatim, a Parochis de hoc infra Missarum solemnia monitæ, contumaces perstiterint, Ecclesiastico interdicto se noverint omnino subjiciendas *(d)*.

II. Nullus propterea Confessarius, etsi Regularis, mulieres adeo incompositas, sub pœna suspensionis ipso facto a confessionibus excipiendis, admittat: Nullus item Sacerdos easdem Eucharisticæ mensæ participes efficiat, sub pœna suspensionis eo ipso a divinis: utramque Nobis reservantes.

III. Pannum verò non tenuem volumus, qui sit translucidus, sed densum, ac benè compactum; aliter irritamentum magis erit libidinis, quàm tegumentum pudoris.

Totis igitur animi viribus curet Cleri Sacratissimus Ordo, cui omnis innititur *(e)* multitudo credentium, ut mulieres, juxta Apostolicam doctrinam ab Innocentio XI. nuper cõfirmatam, armaturam induant pudicitiæ, circumducant vallum verecundiæ, murum denique struant contra ictus tentationum, contra jacula scandalorum, ne, ut ait Tertullianus *(f)*, eas Christi fide imbutas judicent aliquando Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput tantum, sed faciem quoquè ita tegunt, ut, uno oculo librato, contentæ sint dimidia luce frui potiùs, quàm totam faciem prostituere.

TI-

(a) 1. Ad Cor. xi. (b) Can. Episcopi. 21. Qu. 4. Can. Hæc Imago Can. Mulier 33 Qu. 5. (c) Relatum in cap. 2. de Immunit. Ecclesiarum in 6. (d) Ex Conc. Mediolan. Provinciali VI. tit. quæ ad cultum Ecclesię pertinent §. quod de velo, & Diœces. XI. tit. quæ ad dies festos pertinent § prima Dominica. (e) S. Prosper. lib. 2, de vita contempl. sacerd. c. 2. (f) De veland. Virgin. cap. 17.

TITULUS XXXVII.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

Ex prima Synodo cap. 7.

CAPUT I.

Matrimonii Sacramentum pietate, & sanctitate tractandum.

SAcramentum illud, quoad sua Mysteria magnum, ut ea, qua par est, pietate, & sanctitate à fidelibus tractetur, hæc adamussim observanda mandamus.

CAPUT II.

Parochi, sub pęna suspensionis ipso facto, ad denunciationes non deveniant, nisi futuri Conjuges principaliora fidei documenta calluerint.

NOverint Parochi, non esse ad hoc Sacramentum admittendos, qui principaliora nostræ fidei documenta edocti non fuerint. Quocirca ipsis præcipimus, sub pęna suspensionis, ipso facto incurrenda, nè ad denunciationes deveniant, nisi postquam, prævio examine, futuros Conjuges illa callere compererint.

CAPUT III.

Exteri, etiam alienæ Parochiæ, aut vagantes, sivè per sex menses à Dięcesi absentes ad Matrimonium celebrandum non admittantur, nisi post statum liberum, Curiæ Archiepiscopali exhibitum, & licentiam ab ea obtentam.

EXteros verò, etiam si alienæ dumtaxat Parochiæ, aut vagantes hinc inde, sivè etiam eos, qui per sex menses continuos à Diœcesi abfuerunt, Matrimonium celebrare tunc solum permittant, & denunciationes pro ipsis faciant, quando à Nobis, aut à nostro Vicario generali licentiam in scriptis obtentam exhibuerint, non dandam, nisi post habita respectiuè autentica documenta de eorum statu libero, juxta instructiones Supremę, & Uniuersalis sanctę Inquisitionis.

CAPUT IV.

Post peracta sponsalia futuri Conjuges non cohabitent; Qui secus fecerint, quinquaginta librarum ceræ pęnas dabunt, & in subsidium excommunicatione ferientur: Matrimonium quoque non nisi post tres separationis menses, & Archiepiscopo consulto perficietur. Parochi, nisi reos, etiam dubios, cum Vicariis foraneis inquirant, denuncientque, reseruatæ suspensionis pœnam incurrent.

ABusum illum, quo mulieres sub spe futuri Matrimonii, se se prostituere non erubescunt, & Meretrices prius euadunt, quàm Sponsæ, omnimodè improbamus: Inhibentes, nè post peracta Sponsalia audeant futuri Conjuges, sub quocumque titulo, aut prætextu simul habitare: Quod si contrarium attentarint, pęnas quinquaginta elaboratę ceræ librarum, piis locis applicandas, dabunt, & in subsidium excommunicationis sententia ferientur: Quinimò Matrimonium ipsum nequibit perfici, nisi per tres menses separationem servaverint; Et tunc nonnisi Nobis consultis, Matrimonium perficie-

 tur,

tur. Cujus Decreti executionem Parochis, sub pœna suspensionis, ipso facto incurrendæ, absolutione Nobis reservata, strictissimè injungimus; Mandantes, vt de transgressoribus, una cum Vicariis nostris foraneis sollicitè inquirant, & quos reos, vel sub dubio, compererint, Archiepiscopali Curiæ denuncient, nec interim, sub eadem pœna suspensionis, ad ulteriora procedant.

Ex secunda Synodo cap.7.

CAPUT V.

Quid Matrimonium in facie Ecclesiæ contrahendum significet, declaratur. Qui prò Ecclesiæ facie ejus intelligebant vestibulum, si adhuc in pristino perseverabunt errore, sex ducatorum pœna plectentur. Licentiam contrahendi domi, absque urgenti causa nullus referet. Parochi Sacramenta omnia in Ecclesia pro viribus administrent.

EO devenit quamplurimorum ex nostris Parochis imperitia, quàm in S. Visitatione deprehendimus, ut in Matrimoniis contrahendis illa Tridentini verba (*a*), *in facie Ecclesiæ*, pro materiali Ecclesiæ vestibulo intelligant, & non secus, atque Baptizandos exorcismis adjurent, extra Templi valvas ad Matrimonii celebrationem procedant: Quocirca hujusmodi abusum pœna ducatorum sex contravenientibus inhibemus: Declarantes, juxta unanimem Doctorum consensum (*b*), *in facie Ecclesiæ*, non intelligi pro materiali Ecclesiæ prospectu, sed pro quantulacumque fidelium Congregatione; ità etiam, ut si per Nos liceret Matrimonium aliquod domi contrahi, si post tres denunciationes, coràm Parocho, & duobus Testibus fiat, in facie Ecclesiæ contractum, ac celebratum intelligatur. Quàm tamen licentiam, nempè domi contrahendi absque urgenti causa (*c*) non concedemus, mandantes, ut animarum Rectores, qua par est pietate, & reverentia, Sacramenta omnia, quàm maximè possunt in Ecclesia, ministroque cotta induto inserviente, ritè, rectèque administrent.

(*a*) Sess.14. de reform. cap.1.

(*b*) Abbas in cap. fin. de cland. desp.n.9.

(*c*) Concil. Prov. Colon. 2. cap. 33.

Ex decima Synodo Tit.XII. cap.1., & 2.

CAPUT VI.

Qui Parochum dolosè compellunt Matrimonio adesse excommunicantur, & pœna aureorum centum puniuntur.

SEptimo Provinciali Mediolanensi Concilio sancitum fuit, ut qui Parocho ad assistendum dolosè compulso, Matrimonium celebrare præsumpserint, ipso facto sint excommunicati, & pęna aureorum centum puniantur. Quod cum in nostra Diœcesi non semel contigerit, eisdem pęnis, qui id attentarint, præsenti hac Constitutione, volumus, coerceantur.

CAPUT VII.

Recognitio, quàm vocant Sponsaliam, anathemate inhibetur.

ILlud quoque Christianis auribus prorsùs indignum è nostra Diœcesi eliminandum decernimus, quod nempè postridiè illius diei, quâ nocte Sponsi Matrimonium consummare debuerant, Sponsæ, Sponsivè consanguinei, Matrimonii in virginitatis statu consummati signa exquirunt dignoscenda, & hanc recognitionem *Sponsaliam* appellant: Quæ reverâ, & piorum consiliorum impedimentum (nonnul-

nullos namque in virginitate connubia legimus cuſtodiſſe), & multorum malorum, ac non rarò homicidiorum ſeminarium eſt nuncupanda. Barbaricum hunc morem deinceps ſequentes, excommunicationis *latæ ſententiæ* pœnâ, abſolutione nobis reſeruatâ, percellimus.

Ex Synodo XXIX. Tit. VI. cap. 1. 2. 3. 4., & 5.

CAPUT VIII.

Pro Matrimoniorum celebratione præcedentium Synodorum decreta innovantur. In actis pro ſtatu libero probando Sancti Officij Instructio, hactenus à Curia Archiepiſcopali ſervata, communi notitiæ impreſſa datur in Appendice.

UT ſecundum Apoſtolum, Honorabile ſit Connubium, & Thorus Immaculatus (*a*), quæ pro Matrimonii Sacramento, quod magnum eſt in Chriſto, & Eccleſia, (*b*) ritè, ac rectè celebrando, in præcedentibus noſtris decreta ſunt Synodis (*c*) in omnium, quos ſpectant, mentem revocamus. Noſtræ verò Curiæ Metropolitanæ, propoſitam jàm (*d*), & adhuc vſque ſervatam, pro Teſtium examine, qui ad futurorum Conjugum ſtatum liberum probandum inducuntur, Supremæ, ac Univerſalis Inquiſitionis Inſtructionem poſthac quoque obſervandam mandamus: Pro expeditiori cujus hujuſmodi in expeditionibus obſeruantia, communi illam Curiales adeuntium notitiæ impreſſam nunc objicimus in Appendice.

(*a*) Hebr. 13. v. 4.

(*b*) Epheſ. 5. v. 32.

(*c*) In 1. Syn. cap. 7. in 2. cap. 7. in 10. hoc tit. c. 1., & 2. in Appen. 12. Syn. n. 5., & Syn. 14. n. 4.

(*d*) In 1. syn. cap. 7. n. 3.

CAPUT IX.

Denunciationum fides, ut locus impedimentorum revelationi detur, ni duos poſt dies, vel unum ſaltèm ab earum ultima per Parochos fiant, in Curia non admittuntur.

EXpreſsè verò ſtatuimus, Parochi, vel eorum Oeconomi ſuper Matrimoniorum denunciationibus, per ipſos habitis, Teſtimonium die eadem, qua illarum ultima ſit peracta, nè ferant; Dies autem duos, vel ùnum ad minimum ab iis expectari decernimus; Aliàs ſic latum Teſtimonium à noſtra Curia rejiciatur omninò. Impedimenta enim in tempore detegi perſæpè nequibunt, ſi ea ſcientibus detegendi tempus minimè tribuatur.

CAPUT X.

Canonica Matrimoniorum impedimenta patrio idiomate explicata, Populo Dominica II. poſt Epiphaniam per Parochos legenda, in Appendice offeruntur.

HUjuſmodi canonica, quæ ſint impedimenta, Connubia, quæ vel incunda prohibeant, vel inita retractent, iis comprehenduntur verſibus, qui multorum licèt in ore verſentur, ab aliquibus tamen vel ignorari, vel non intelligi profectò non dubitamus. Ea idcircò vernaculo explanata ſermone, ac brevi etiam, ut, & neſcientibus cognita, & ſcientibus auditu non ſint oneroſa, in Appendice aſſerimus: atque à Parochis Dominica qualibet ſecunda poſt Epiphaniam, Populo Miſſæ Parochiali intereſſenti, & clarè, & non ſine mora legi volumus, ac mandamus.

CAPUT XI.

Matrimonia de mane celebranda, Sponsis antea Sacramentali confessione mundatis; qui inde in missa Communionem, & Sacerdotis benedictionem accipiant.

PArochis item ipsis præcipimus, licentiam quamvis à nostra Curia obtinuerint, solemni in facie Ecclesiæ sponsorum conjunctioni, nisi de mane, & Conjugum utroque confesso, nè assistant. Missam indè de sponsis celebrari desideramus, cui sponsi ipsimet adsint, & in ea sacram sumant Synaxim, ac Sacerdotalem, ex Ecclesiæ Catholicæ ritu, accipiant Benedictionem. (a)

(a) Ex Conc. Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.

CAPUT XII.

A prandio, necessitate tantùm poscente, ab Archiepiscopo probanda, & Sponsis utrisque die ipsa confessis, ac sacra refectis Eucharistia, Parochorum assistentia permittitur.

ALiter ubi fieri, & à prandio Matrimonia celebrari expressa, non autem ficta, vel quæsita (per Nos tantummodò probanda) postulet necessitas; Id Parochi tùm prorsùs exigant, ut de mane ipso Sponsus, ac Sponsa Pœnitentiæ sacramento expiaverint, & Christi Corpore depasci meruerint. De cętero contrahentes tunc temporis adhortari animarum ipsi Rectores non prætermittant; quatenus devotè se colligant, nè venerabilis absq; charitate adeant Connubii celebrationem: indignè enim accedentes, sacrilegii Rei, Sacramentum quidem, non gratiam recipient Sacramenti.

TITULUS XXXVIII.

DE SIMONIA.

Ex nona Synodo Tit. XVI.

CAPUT UNICUM.

Constitutio Pii IV., & V. super confidentia Simoniaca vulganda mandatur.

COnstitutio Pii IV., & V. super confidentia Simoniaca, quavis prima Adventus Dominica, ex decreto Provincialis Concilii publicanda omninò evulgetur; quam, ut Parochi in promptu habeant, ejus summam in Appendice exhibebimus.

TITULUS XXXIX.

DE MAGISTRIS.

Ex XVIII. Synodo Tit. IX. Cap. 1. 2. 3., & 4.

CAPUT I.

Sacri Seminarii Regulæ publicantur.

SUmma quamvis solicitudine à Prædecessoribus nostris Archiepiscopis in Provincialibus, ac Diœcesanis Constitutionibus, (*a*) ex ipso, post Trid. Conc. evulgationem, Sacri Seminarii nostri fundationis limine, ac ultimo ab imbecillitate nostra in prima Provinciali Synodo (*b*) non pauca pro ejusdem Seminarii gubernio, & Clericorum in eo conviventium disciplina, & educatione, sancita, statuta, & ordinata fuerint; nihilominus ordinationes illæ, quia in diversis, disjunctisque locis dispersæ, speratum usque modo executionis fructum non ità facilè obtinuere. Quocirca suffulta jàm à nobis, ope suffragante Divina, materiali ipsius Seminarii Domo, quæ universalem primo, (*c*) & altero terræ motu (*d*) magnam pertulit jacturam, Regulas tandem pro formali etiam Adolescentium institutione, ordinatis Capitulis digestas, efformavimus, easque, ut faciliùs observentur, proprio impressas libello, publicamus.

(*a*) Card. Archiep. Sabell. Conc. Prov. 1. ann. 1567. Archiep. de Palumbaria Conc. Prov. an. 1599. Archiep. Foppa Synod. Diœc. an. 1646. & Conc. Prov. an. 1656.

(*b*) An. 1693.

(*c*) An. 1688.

(*d*) An. 1702.

CAPUT II.

Regularum præceptis insistendum.

CUmque in Juvenibus obsequium, & subjectio, & obedientia ritè debeatur (*e*), Clericos omnes Seminaristas monitos, & hortatos volumus, quatenùs in nostrarum Regularum observantia ità se exhibeant, ut unus earum apex non negligatur, & meminerint, se idcircò Seminarii facultatibus ali, ac edoceri, ut ad animarum salutem, Ecclesiæ utilitatem, & Archiepiscoporum adjutorium proficiant, & levamen. In hoc idem Rector, Deputati, aliique Officiales animadvertant, ut Collegium prædictum perpetuum Dei Ministrorum Seminarium (*f*) experiatur.

(*e*) D. Cyprian. de 12. abusionib.

(*f*) Trid. sess. 23. de ref. cap. 18.

CAPUT III.

Parochi, & Presbyteri rudes in Seminarium pro institutione cogantur.

PRæterea superioris ordinis Clericos, qui jam olim rudes Sacerdotio adscripti fuerunt, vel eis animarum cura commissa, si de illis, ob ingravescentem ætatem, aut ob ingenii hebetudinem, vel ob advenientem supinam animi prigritiem, ob aliamve causam, literarum doctrinam capessendi exigua spes erit, salubria Nos Divi Caroli Mediolanensis Pontificis vestigia sectando, (*g*) cum aptior pro eisdem instruendis in nostra Archidiœcesi locus institui non potuerit, in præfatum Seminarium cogendos fore providimus, ipsisque cubicula quinque cum peculiari Dormitorio, à cæteris discreto, S. Philippi Nerii nuncupato, destinavimus. Hi ergo donèc (*h*) in Romano, vel alio breviori probati Auctoris Catechismo in Sacrificii missæ mysteriorum, & sacrorum Rituum, statarumque cæremoniarum cognitione, & in sanctioribus earum significationibus, atque in sui ordinis Ecclesiasticarum functionum disciplina, brevi aliqua institutionis ratione erudiâtur,

(*g*) Giussani in eius vita lib. 2. cap 5.

(*h*) Conc. Prov. Mediol. 3. Tit. de iis, quæ partim ad Ord. Sacram. partim ad Cler. honest., & studia pertinent, §. Reliquos autem.

tur, ibidem detineri, & à nemine, ni poſtquam inſtructi fuerint, habitaque à Nobis diſcedendi venia, dimitti poſſe ſancimus.

CAPUT. IV.

Sacris Ordinibus initiandi per ſemeſtre in Seminario permaneant.

(a) Canon. 12. An. 813.

TUronenſis Concilii Tertii cõſtitutione (a) decretum eſt, ut Presbyter priuſquam ad conſecrationem Presbyteratus accedat, maneat in Epiſcopio, diſcendi gratia officium ſuum; douec poſſint, & mores, & actus ejus animadverti; & tunc, ſi dignus fuerit, ad Sacerdotium promoveatur. Omnes igitur ad ſacros ordines provehendos, per ſex ſaltèm menſes continuos ante ordinationem, prout hactenùs ſervatum eſt, in Noſtro Seminario, in Aula pro Subdiaconandis addicta, omninò commorari debere decernimus, aliàs nunc pro tunc à ſuſcipiendis ordinibus rejectos eſſe ſciant. Eoque tempore, ut inde ordinem dignè ſuſcipere, & in Dei Eccleſia laudabilitèr miniſtrare valeant, ultra conſueta exercitia ſpiritualia, Sacrorum Rituum, Moralis Theologiæ, & Romani Catechiſmi ſtudio incumbent; atque Clericali diſciplina, & latina lingua, ſi opus erit, ſatiùs imbuentur.

Ex XXII. Synodo tit. VIII. cap. un.

CAPUT V.

Ducatorum 6000. donatio ad Sacri Seminarii beneficium ex ære Archiepiſcopi, & qu. Archidiaconi Farellæ facta denunciatur.

INter cætera, quæ noſtro noſcimus Archiepiſcopali munere digna, id æquè congruum, ac juſtum arbitramur, quo, Sacri juxta Concilii Tridentini mentem (b) Seminarii noſtri ſolicitam gerentes curam, Sanctum illud, ac pium opus, à Prædeceſſoribus noſtris Archiepiſcopis inſtitutum (c), promotum, (d) & auctum (e) Nobis conſervetur, & novis, ubicumque id fieri poſſit, auxiliis ſublevetur, ac redditibus augeatur. His igitur inhærentes elapſo anno ſex ducatotum millia, ex ære noſtro, & bon. mem. Pauli Farellæ noſtrę Eccleſię Archidiaconi hæreditario axe, illius tanquã ex teſtamento diſpoſitores, præfato Seminario noſtro donavimus: paucis quibuſdam volitis oneribus, & conditionibus, ut ex donationis Tabulis, ad rei memoriam in Appendice relaxaudis.

(b) Seſſ. 23. de ref. cap. 18.

(c) A Card. Arch. Sabellio ann. 1567.

(d) Ab Archiep. de Palumbaria an. 1591.

(e) Ab Archiep. Foppa an. 1653.

Ex XXVIII. Synodo Tit. VIII. cap. 1., & 2.

CAPUT VI.

Clericis grammaticam addiſcentibus, ni eam optimè calleant, Magiſtri ad ſcientiarum ſtudia tranſitum non permittant. Qui non dimiſſus ſcholam deſeret, ab Ordinatione rejiciatur.

EPiſcopalis licèt non ſit Officii grammaticam exponere (f) cura tamèn omni tenentur Epiſcopi, ac diligentia, ut Magiſtri, ubi neceſſitas occurrerit, conſtituantur, & qui eam docent, ſuo, ut debent, muneri ſatisfaciant (g); cunctorum enim ignorantia, cum ſit Mater errorũ (h), grave Nobis aſſiduè accidit, ut quamplures inter examen Clericos, Philoſophos facere, vel Theologos audiamus, qui, ſola humanarum cortice literarum contenti, latinam lingvam vix levitèr callent; unde & ſcientiarum dogmata, divina quibus, & humana præcepta manifeſtantur, (i) non intelligunt. Univerſos itaque noſtræ Ci-

(f) Can. cum multa diſt. 86.

(g) Can. de quibuſdam diſt. 37.

(h) Can. ignorantia diſt. 38.

(i) Ex eit. Can. de quibuſdam.

Civitatis,& Archidiœcesis Ludimagistros in Christo monemus,ut suos inposterum, Nobis, vel Deo potiùs, rationem reddituri, majores ut Scientias addiscant, discipulos non dimittant, peculiari ni priùs examine eorũ fuerint super omnes grammaticæ regulas sufficientiam periclitati. Caveant verò Clerici, nè Scholam, nisi approbati, ac dimissi, deserant: ac noster interim ab Ordinandorum requisitis eorum nullum ad ordines, absque Magistri, hæc perhibentis, fide prorsùs admittat.

CAPUT VII.

Supra latum decretum ad Seminaristas extenditur. Eisdem, non perfectis studiis, Seminarium deserendi facultas denegatur. Contrà desertores restitutionis expensarum pœna infligitur, & per decennium ordinum susceptio inhibetur.

Lati tenorẽ Decreti ad Clericos Seminarii nostri Alumnos, & Convictores extendentes, decernimus insuper, ut, cum hoc Collegium perpetuum esse debeat Ministrorum Dei Seminarium(a) in quo Adolescentes non, ut in Hospitio, penso menstruo maneant, sed ad Animarum curam, & Ecclesiastica Ministeria instituendi convivant; nè finis iste vanus unquam existat, non possint illi pro suo arbitrio indè discedere; verùm quoad Philosophiæ, & Theologiæ cursum impleuerint, vel morali saltèm, & humanioribus fuerint literis imbuti, in eo permanere teneantur. Ideoque quascumque illinc abeundi licentias à Nobis met etiam, quavis causa, aùt quæsito colore obtinendas, non expleto per eos scientiarum, vel liberalium artium studio, uti subreptitiè extortas, nullas, & inualidas fore, & esse declaramus: suoque effectu semper ità carere, ac si obtentæ illæ minimè fuissent. Proindè contra eos, uti desertores, procedi mandamus: ipsisque, omnium ultrà expensarum restitutionem, quas propter disciplinam, & alimenta ad illum usque diem consumpserint (b), per decennium etiam Ordinum susceptionem inhibemus.

(a) Conc. Provinc. Archiep. Foppæ Tit. 17. de Seminario.

(b) Ex eod. Conc. loc. cit.

TITULUS XL.

DE USURIS.

Ex nona Synodo Tit. XVII. cap. un.

CAPUT I.

Edictum super usuris bis in anno publicandum edicitur.

Ut Usurarii suum crimen, utriusque Testamenti pagina detestatum agnoscant, Parochi emanatum super usuris EdictumAppendici inserendum, Feria III. post Sanctum Pascha, & Dominica infra octavam Nativitatis Domini quolibet anno evulgent, aliàs omissiones singulas singulis ducatis pensabunt.

Ex XIX. Synodo tit. VIII. cap. 1., & 2.

CAPUT II.

Decreta prædecentium Archiepiscoporum contrà Usurarios innovantur, & publicantur.

Usurarum voraginem; quæ usurariorum animas devorat, & solventium facultates exhaurit, in nostra Civitate, & Archidiœcesi longè, latèque apertam compescere cupientes, edictum ab anno 1694. Ap-

Appendici nostræ IX. Diœcesanæ Synodi insertum publicavimus. Cumque malum hoc quotidiè vires sumere, & in dies gliscere conspiciamus, itaùt majorem ferè Nobis curam hæc labes incutiat, quam Pastoralis cæterarum omnium rerum solicitudo, ut validiùs eidem occurrere valeremus, Dei voluntas fuit, qui usuras ipsas damnavit (*a*) & damnat (*b*), ut opportunè Nobis occurrerent, quæ à prædecessoribus nostris Archiepiscopis, juxtà Sacrorum Canonum leges (*c*) in hoc genere ordinata fuere. Idcircò præfatum Edictum nostrum, quod stabile, & in sua vi decernimus permanere, iterum confirmantes, omnia, & singula, quæ in præcitato (*d*) secundo Provinciali Concilio Archiepiscopi Guidardij contra quoscumque usurarios Sancta Synodus sanxit, quibus nihil aptius, nihilque salubrius decerni potest, hic subnectimus, & Synodali hac nostra constitutione innovamus.

(*a*) Psal. 14. v. 5.
(*b*) Lucæ 6. v. 34. & 35.
(*c*) Cap. 1., & 2. de usuris in 6.
(*d*) Sup. de Const. cap. 3.

CAPUT III.

Decreta prædicta Concilii Provincialis anni 1378. transcribuntur, quibus contractus omnes usurarii, sub excommunicationis pœna latæ sententiæ prohibentur.

§. VIII.

Item statuimus, constituimus, monemus, & ordinamus, quod nullus in Civit. Diœc., & Provinc. Benev. cujuscumque conditionis, & status existat, per se, vel alium, sub quocumque contractus titulo, vel sine contractu, quocumque colore, vel via, quodcumque genus usurarum debeat committere, vel exercere: alioquin omnes, & singulos contrarium facientes post dies quindecim, ex nunc in anteà computandos, excommunicationis sententiæ sint vinculo innodati, & si per mensem unum in dicta sententia permanserint, teneantur, & puniantur, ultrà prædictam pœnam, ad pœnam pecuniariam, nostro arbitrio, & ipsorum Suffraganeorum infligendam, nostræ, & ipsorum Suffraganeorum Curiis applicandam.

Usurarii cum eorum fautoribus excommunicati denunciantur.

§. IX.

Item denunciamus excommunicatos ipso jure omnes, & singulos de Civit. Diœc., & Provinc. Benev., locantes, seù donantes, vel alio quocumque titulo concedentes scientèr usurariis, exercentibus, seù volentibus fœnus, seù usuras exercere, vel eosdem usurarios permittentes sub quocumque colore in eorum domibus, in quibus habitationem habent, vel jus aliquod aliqualitèr habeant.

Sub pœna excommunicationis testamenta publicorum usurariorum, nisi data cautione de satisfaciendo non conficiantur.

§. X.

Item statuimus, ordinamus, ac etiam una monitione pro tribus, & peremptoriè omnes, & singulos Notarios, & Scriptores Civitatis, Diœcesis, & Provinc. Benev., quod nullus testamenta usurariorum Civit., Diœc., & Prov. Benev. contrà quos publica fama laborat, quod usurarii sint, scribant, nullusque Clericus, vel Laicus cujuscumq; Ordinis, vel conditionis, & status, aùt dignitatis existat, pro teste eorum testamentis intersit, aùt eisdem usurariis præstet auxilium, consilium, & favorem in condendis hujus-

hujusmodi Testamentis, Codicillis, vel quibuscumque ultimis voluntatibus, nisi satisfaciant priùs de usuris perceptis per ipsos. Dictique Notarii, qui scribere hujusmodi Testamenta tanquam personæ publicæ, nomine quorum interest, stipulentur, & etiam de satisfaciendo præstent Nobis, & nostris Suffraganeis idoneam cautionem. Contrarium verò facientes, dicta præmissa monitione, excommunicationis sententiæ vinculo volumus subjacere.

Sub pœna excommunicationis usurarij omnes infra dies decem denuncientur.

§. XI.

ITem statuimus, & ordinamus, & sub excommunicationis pœna, quam in contrarium facientes, hac nostra canonica monitione præmissa, & una pro omnibus, ferimus in his scriptis, in detestationem tantæ labis, & criminis, præcipimus, quod omnes utriusque sexus dictos usurarios publicos, & manifestos, ubicumque degentes in nostris Civitatibus, Diœc., Provinc. Nobis, aut Vicario nostro, Suffraganeis nostris, aut eorum Vicariis infra decem dierum spatium revelare, & denunciare procurent.

Ex trigesimatertia Synodo. tit.6.cap.unic.

CAPUT IV.

Usurarii in Confessionibus diligentèr à Confessariis examinentur. Interrogationes adhibendę, in Appendice afferuntur.

ANimadversione digni à Concilio nostro Provinciali 1. (*a*) existimantur Confessarii illi, qui usurarios, utriusque Testamenti pagina condemnatos, perniciosa indulgentia absolvunt, & ad Sacramenta admittunt, eos licèt videant in hujusmodi persistere pravitate. Ejusdem Nos igitur Concilii decreto inhærentes, Confessariis omnibus districtè mandamus, ut ad usurariorum conscientiis rectè consulendum, diligentèr ipsos in Confessionibus examinent: sunt enim, & non sunt pauci, qui claras committunt usuras, de quibus, licitas eas negotiationes existimantes, minimè confitentur. Quod, ut faciliùs exequantur, & utiliùs, peculiares cum iis interrogationes adhibeant, quas in Appendice proponimus: fodientes namque parietem, deplorabiles sanè invenient abominationes. (*b*)

[a] Hoc Tit. c. unic.

[b] Ezechiel. 8.

TITULUS XLI.

DE PRIVILEGIIS.

Ex septima Synodo tit. 7.

CAPUT UNICUM.

Ecclesiæ Metropolitanæ Canonici Infulis, cæterisque Abbatialibus paramentis à S. Sede ornantur. Apostolicum Indultum promulgatur.

SUpremo Apostolicæ Sedis oraculo (*c*) Metropolitanam Ecclesiam nostram præcipuis laudibus antiquitùs elatam, innumeris quoque privilegiis, & gratiis insignitam, suprema honoris, & gloriæ Corona Sanctissimus Pater Noster Clemens PP. XI. nostris hisce temporibus dignatus est decorare. Enixis etenim supplicationibus nostris, & juxtà Sacrorum Canonum morem (*d*) ad ipsius Ecclesiæ contem- pla-

[c] Joannes Papa XIII. in Bulla erectionis ejusdem Ecclesiæ in Archiepiscop. ann. 969.

[d] Cap. Ut Apostolicæ de Privileg. in 6.

plationem, dato Indulto sub plumbo die 14. Nouembris præteriti anni 1701., quod cum Appendice evulgabimus, benignè concessit, ut Canonici Mitra, aliisque Paramentis, & indumentis, ad instar Abbatum, usum Mitræ habentium, in omnibus solemnibus Ecclesiasticis functionibus in Civitate, ac Diœcesi nostra uterentur. Vndè nos mense Decembri ejusdem anni in Nativitatis Domini N.J.C. pervigilio, antè vespertinas horas, in ipsa Ecclesia nostra Metropolitana, solemni ritu singulis prędictis Canonicis Mitras, post earum benedictionem, imposuimus. Quod, ut universæ Archidiœcesi nostræ innotescat, & commune tantæ Matris decus, & gaudium, communibus Deo, & Beatissimæ Virgini, cujus Patrocinio gratiam hujusmodi delatam volumus, gratiarum actionibus prosequatur, Synodali hac nostra Constitutione significamus.

TITULUS XLII.

DE INJVRIIS, ET DAMNO DATO.

Ex quinta Synodo cap. 10.

CAPVT VNICVM.

Super damnis datis juris Conductores, si cum pecudum, & jumentorumque possessoribus conveniant, ut certa soluta pecunia, per annum ob quævis illata damna à pœna sint immunes, tamdiù Anathemati subjiciuntur, quamdiù Ecclesiasticis viris de damno dato ad æstimationem satisfecerint; quoad laicos quamdiù damnum illorum causa illatum refecerint, Sacramentali absolutione priventur. Confessarii si hujusmodi absolverint, damni rei, per annum à confessionibus audiendis sint suspensi. Hanc Constitutionem Parochi populo frequentiori pluriès explanent.

SUnt nonnulli iniquitatis filij, sivè Actuarii, sivè quocunque nomine nuncupentur, quos in tantum malorum omnium radix, cupiditas occupavit, ut jus super damnis datis conducentes, quatenus, & conducti pretium, & lucrum faciant, cum iis, qui animalia cujuscumque generis habent, impiè conveniunt, ut certa soluta pecunia, quam fidam vocant, per annum à quibusvis damnis, quæ eorum animalia cujusvis, sivè Ecclesiasticæ, sivè Laicalis personæ agris, vineis, aliisque bonis dederint, ab omni pœna sint immunes; ex quo fit, ut, & hi Ballivi, sive Actuarii, causam damni dent, & neque Ecclesiastici, quod contra immunitatem est, neque Laici, quod contra justitiam, à susceptis damnis releventur. Cumque hoc Divino juri recta opponatur, quo decretum est (*a*) *si læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea pro damni æstimatione restituet*; Hujusmodi iniquas conventiones, Divino, & humano juri adversantes è nostra Archidiœcesi averruncare cupientes, hos Ballivos, sivè Actuarios, seù quocumque nomine appellentur, si deinceps in tantum malum irrepserint, tamdiù Anathemati, quod hac Constitutione ferimus, subjicimus, quamdiù Ecclesiasticis viris de damno dato ad æstimationem satisfecerint; nàm qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. (*b*) Quoad Laicos verò, donec tantundem passis,

[a] Exod. c. 22. v. 5. relat. in cap. Si ceperit. de injur. & dam. dat.

[b] Cap. Si culpa tit. eod.

fis damnum refecerint, Sacramentali absolutione privamus. Si quis verò Confessariorum hoc relaxaverit damnum, restituat, & per annum (a) à Confessarii officio prorsùs abstineat. Hanc denique constitutionem Animarum Rectores in solemniori Populi conventu italico sermone pluries evulgent, ut nullus excusationi sit locus.

[a] Argum. c. Pessimam 23. qu. 8.

TITULUS XLIII.

DE POENIS.

Ex prima Synodo cap. 17. n. 4.

CAPUT UNICUM.

Pecuniariæ pœnæ Synodalibus decretis statutæ, locis piis applicatæ intelligantur; Ubi nulla pœnæ fit mentio, Archiepiscopi arbitrio restant decernendæ.

PEcuniariæ quæcumque inflictæ sunt pœnæ, locis pijs applicatæ, volumus, intelligantur: Ubi nulla in decretis pœnæ fit mentio, hanc arbitrio nostro pro contumaciæ modo infligendam declaramus. Licèt non pœnę formidine, sed virtutis amore decreta omnia observatum iri speremus.

TITULUS XLIV.

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

§. 1.

De Pœnitentiis.

Ex prima Synodo cap. 5.

CAPUT I.

Confessarij Seculares, etiam Parochi in Ecclesia, & præsertim in sedibus Confessionalibus, veste talari, superpelliceo, stola violacea, ac Bireto induti confessiones excipiant, sub pœna suspensionis, ipso facto à confessionibus audiendis. Regulares habitu religioso, & stola violacea utantur, sub pœna suspensionis ab officio.

CUM sancta sanctè tractanda sint, districtè præcipimus, nè Confessarij seculares, etiam Parochi, Confessiones in Ecclesia, & præsertim in sedibus Confessionalibus, ad hoc expositis, nisi veste talari, ac superpelliceo, cum stola violacea, ac bireto, juxtà Rit. Rom. induti, sub pœna suspensionis ab audiendis ipso facto confessionibus, ac alia nostro arbitrio reservata, deinceps excipiant. Regulares verò non sine habitu religioso, & cum stola violacea juxta uniuscujusque Regularis institutum, sub pœna suspensionis ab officio.

CAPUT II.

Sub eadem pœna Confessarii, etiam Regulares, confessiones mulierum ex cratibus sedis confessionalis dumtaxat audiant.

PRæterea inhibemus, nè confessiones mulierum Confessarij etiam Regulares excipiant, præterquam ex cratibus sedis confessionalis sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrendæ.

CAPUT III.

Nescientibus mysteria fidei differant absolutionem, donec addiscant.

RUrsùs meminerint, damnatam esse à SS.P.N. Innocentio XI. propositionem illam: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei.* Idcircò ea nescientibus Pœnitentię denegent Sacramentum, donec congruenti temporis spatio prescripto, eadem addiscant.

CAPUT IV.

Confessarij, sive Seculares, sivè Regulares non audeant absolvere in casibus, & censuris Sedi Apostolicæ, aut Archiepiscopo reservatis, sine debita facultate. Si contra fecerint (excepto casu evidentis necessitatis) absolutio nulla erit, & ipsi pœnas, à jure inflictas, incurrant. Censuræ, & casus Archiepiscopo reservati indicantur.

NUllus Confessariorum, sivè Secularis, sivè Regularis (excepto casu evidentis necessitatis) audeat absolvere quemcumque pęnitentem à casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, aut ab aliis censuris, Sedi Apostolieæ reservatis, absque expressa facultate ejusdem S. Apostolicæ Sedis: aut etiam à casibus Nobis reservatis, sine speciali nostra licentia. Quod si secùs fecerint, sciant absolutionem nullius esse roboris, & se pœnas incurrisse, quas jura præscribunt. Ut verò hujusmodi censuræ, & casus Nobis reservati Confessariis ipsis innotescant, eos in fine hujus Synod., vulgari idiomate recensitos, subjiciemus.

Ex secunda Synodo cap. 6.

CAPUT V.

Pœnitentiæ Sacramentum secunda post naufragium tabula saluriter offerenda.

QUanti sit recta Sacramenti hujus administratio, facilè colliget, qui secundam post naufragium tabulam esse cognoverit, quæ si naufrago, ut par est, non offeratur, mors illi potiùs, quàm auxilium objicitur.

CAPUT VI.

Tabella casuum Archiepiscopo reservatorum sedi confessionali affigatur.

NOverint itaque Confessarii omnes casus nobis reservatos, eosdem esse, quos in priore Synodo declaravimus, & tabellam typis datam, sedi confessionali appositam habeant.

CAPUT VII.

Tabella paritèr casuum in Bulla Cœnæ reservatorum sit affixa, & singulis annis Feria V. in Cœna Domini post SS. Eucharistiæ repositionem legatur.

IN eadem affixa esse debet Tabella casuum, Papæ in Bulla Cœnæ reservatorum, quam etiam singulis annis fer. v. in Cœna Domini, post sacra Mysteria in consueto loco reposita, populo legent, quamque, ut populus intelligat, vulgari sermone impressam in huius Synod. Appendice habebunt.

Ex

Ex tertia Synodo cap. 5.

CAPUT VIII.

Quotidiana casuum reservatorum facultas à Parochis expetita, rejicitur, tanquàm reservationis destructiva.

Magnoperè ad Christiani Populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, Sacrosancta Tridentina Synodus inquit (a), *ut atrociora quædam, & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur*. Ex quibus verbis colligant Parochi, inter abusus connumerandam esse frequentiam illam, qua nos quotidie solicitant, ut quivis eorum à nobis casuum reservatorum absolvendi facultatem reportet, quæ si omnium Parochorum communis foret, nullius momenti huiusmodi esset reservatio, quæ tunc criminum gravitatem ostendit, quandò Pœnitentes ad Superiores ordinarios, & ad legitimos Iudices remittuntur, maximè, quià (b) delegatorum Iudicum copiam desiderari non permittimus.

[a] Triden. sess. 14. cap. 7.

[b] Conc. Colon. 2. par. 3. c. 37.

CAPUT IX.

Casibus reservatis additur satisfactio negata Procuratoribus super annualitate debita Monialibus, ex propriis Monasteriis Terræmotu expulsis.

Casus verò nobis reservatos eosdem esse, ac quos in prima Synodo enumeratos voluimus; hìc tantùm addimus sequentem.

Si quis à nostrarum sanctimonialium Procuratoribus super annualitatis solutione postulatus satisfacere neglexerit, sivè renuerit, is à nullo Confessariorum absolvi queat, donec, ut par est, satisfecerit.

Deplorabile enim est, ut Iesu Christi Sponsæ è proprijs Monasterijs Terræ motu expulsæ, & in alienis degentes, debitis alimentis defraudentur.

CAPUT X.

Confessarij tàm Seculares, quàm Regulares Pœnitentes de fraude decimarum, & de earundem satisfactionis impedimento interrogent, & contumaces non absolvant.

In Tabella casuum num. 3. consuetum de fraude decimarum, & de earundem satisfactionis impedimento casum apposuimus; sed rumor est, nullum esse, qui eius peccati crimine se reum in Pœnitentiæ Sacramento constituat; ideòque mandamus, ut omnes Confessarij tàm Seculares, quàm Regulares Pœnitentes hoc super casu interrogent, & contumacibus nullum absolutionis beneficium impertiantur.

Ex quarta Synodo c. 5.

CAPUT XI.

Quanta scientia in Confessario requiratur, ostenditur.

Arduum sanè Confessarij munus, qui ad Sanctuarij pondus revocabit, inveniet. Probè teneat ille, quæ sit materia necessaria, aut sufficiens, et quæ Pœnitentiæ Sacramenti forma; quæ illius partes essentiales, & integrales; qualis contritio ad huius Sacramenti fructum percipiendum in Pœnitente requiratur; quæ conditiones in confessione seruandæ; quæ peccata saltèm ex genere suo sint mortalia, aut venialia; quæ circumstantiæ peccati speciem mutent, aut notabiliter aggravent, quæve peccata aliquam restituendi obligationem secùm afferant: cum hæc omnia nouerint, adhuc nonmi-

minores eius partes desiderantur; scire enim debet quamnam omnigenis morbis salubrem adhibiturus sit medicinam.

CAPUT XII.

Canonum pœnitentialium Tabella evulgatur.

HAnc Patres nostri parauere in Canonibus, qui Pœnitentiales nuncupantur; non ut tantundem omninò ægris propinent, sed ut quasi regulæ quædam sint, quibus cum ad culpæ commissæ gravitatem rectè dignoscendam, tùm ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam Confessarij ità dirigantur, ut ubi singula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, & cordis contritionem pertinent, accuratè perpenderint, tùm demùm pœnitentiam judicio, ac prudentia sua moderentur. Præfatorum Canonum notitiam in Tabella, hujus Synod. Appendici inferenda, exhibemus.

CAPUT XIII.

Propositiones, à Summis Pontificibus Alexandro VII., & Innocentio XI. damnatæ referuntur.

PRætereà Confessariis eisdem obvias facimus propositiones à Summis Pontificibus Alexandro VII. die 24. Septembris 1665., & die 18. Martii 1666., & Innocentio XI. die 2. Martij 1679. damnatas, ut quid tenere, quid reprobare debeant, non ignorent.

CAPUT XIV.

Summa Bullæ Gregorii XV. contrà Confessarios solicitantes adjicitur.

TAndem Bullæ Gregorij XV. contra Confessarios solicitantes summam adjicimus, ut satis quisque suo muneri faciat.

Ex sexta Synodo Cap. IV.

CAPUT XV.

Propositiones ab Alexandro PP. VIII. damnatæ enunciantur.

AD rectam tanti Sacramenti administrationem, & ad necessariam Ministri peritiam cum primis requiritur earum propositionum notitia, quas S. R. Apostolica Sedes damnauit: & licèt quartæ nostræ Synodi, quæ tùnc circumferebantur, Appendici inseruerimus, quę tandèm à s.m. Alexandro PP. VIII. damnatæ sunt, in huius Synod. Appendice habebuntur.

Ex septima Synodo Cap. VI.

CAPUT XVI.

Præfinitur duplex anni tempus pro generali Confessariorum examine, nempè post Dominicam primam Quadragesimæ, & primam Adventus.

CUM nullus Presbyter, sivè Secularis sit, sivè Regularis (a) confessiones secularium etiam Sacerdotum in nostra Diœcesi, sine examine, & approbatione nostra, privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus, audire valeat: ejusdem Diœcesis magnitudini consulentes, duplex anni tempus pro habendo generali Confessariorum examine volumus præfinitum, scilicèt post Dominicam primam Quadragesimæ & post Dominicam primam Adventus: nam quotidiana illa examinandorum, præcipuè Regularium, confluentia irregularis est, & aliorum negotiorum expeditioni molesta.

(a) Trid. sess. 23. de reform. cap. 15. Vrb. VIII. constit. Cum sicut 96.

Ex

Ex nona Synodo Tit. XVIII. Cap. Vn.

CAPUT XVII.

Communio Paschalis in propria Paræcia fiat. Absentes infrà quindecim à reditu dies præcepto faciant satis: renuentes ad Curiam deferantur.

INnocentii III. Constitutioni, quæ incipit: *Omnis vtriusque sexus*, Lateranensi Concilio promulgatæ inhærentes, districtè præcipimus, nè pro Paschalis pręcepti adimplemento communiones, extrà Paræciam, nè dùm extrà Diœcesim factæ, nulla causa, etiam absentiæ à patria, suffragante, admittantur. Verùm ubi Parochianus, qui Paschali tempore absens fuit in Patriam redibit, tùnc intra quindecim à reditu dies in propria Parochiali SS. sumere Eucharistiam tenebitur. Renuentium nomina ad nostram Curiam Parochus, sub pœna suspensionis à Diuinis ipso facto, Nobis privativè reservata, deferre tenetur.

Ex XXIII. Synodo Tit. VIII. Cap. Vn.

CAPUT XVIII.

Medicus infirmos non confessos tertiò visitare sub excommunicationis pęna ipso facto prohibetur. Edictum super hoc evulgatur.

CUM ex peccato, quod generat mortem (*a*), infirmitas nonnunquam proveniat corporalis, Nos Lateranensis Concilij generalis decreto (*b*), ac saluberrimæ Beati Pii V. Constitutioni, quæ incipit: *Super Gregem Dominicum* (*c*), inhærentes, contra Medicos omnes tàm Physicos, quàm Chirurgos, qui ab ęgrotantium visitatione post triduum non abstinerent, nisi eo tridui spatio suorum infirmi exomologesim fecerint peccatorum, excommunicationis pœnam latæ sententiæ inter censuras, Nobis in prima nostra Diœcesana Synodo reservatas, protulimus. Id posthac, ut diligentiùs exequatur, & cum animarum discrimine ignorantiæ velo non operiatur impietas, censura ipsa in suo robore permanente, Synodale Edictum, super hoc omnimodè obseruandum, in sequenti dabimus Appendice.

(*a*) Iacob. cap. I.

(*b*) Cap. cum infirmitas hoc tit.

(*c*) III. de anno 1556.

Ex XXV. Synodo Tit. VIII. Cap. I. II. III. & IV.

CAPUT XIX.

Pœnæ contra Confessarios à casibus, & censuris Apostolicæ Sedi, vel Archiepiscopo reseruatis, sine facultate absoluentes, in Appendice afferuntur.

SAcri cùm Tridentini Concilij decreto (*d*) declaratum sit, magnoperè ad Christiani Populi disciplinam pertinere, ut atrociora quędam, & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis dumtaxàt Sacerdotibus absolvantur, Nos proindè casus aliquos, & censuras in Synodis nostris Diœcesanis I., & XI. Nobismet privativè reservavimus. Ab his quoque, vel ab illis in Bulla Cœnæ Domini contentis, aut aliàs Apostolicę Sedi reservatis, absque ejusdem Sedis, vel Nostri respectivè licentia, Confessarius, si quis, vel secularis, vel regularis, præterquam in mortis periculo, absolveret, pęnas, contra Confessarios hujusmodi à jure præscriptas in I. prædicta Synodo proposuimus; ut autem per manus ipsæ, & sub oculis habeantur, omnesque sic audentes deterreant, Apostolica, in quibus con-

(*d*) Sess. 14. de pœnit. cap. 7.

continentur, Decreta sequenti Appendice evulgabuntur.

CAPUT XX.

Facultas absolvendi à casibus, Archiepiscopo reservatis, quibusdam Diœcesis Parochis conceditur.

CUmque casus, & censuras huiusmodi ità Nobis reseruare visum fuerit, ut perpetuo majori nostræ Ecclesię Pœnitentiario, per Nos instituto, ab illis jus paritèr dederimus absolvendi; congruum insuper, & piæ Matris Ecclesiæ menti consonum esse dignoscimus, ut in iis etiam quam amplę Diœcesis nostræ locis, quæ à nostra magis distant Civitate, Confessarios, qui vice nostra, & ad nostrum beneplacitum, pœnitentes à casibus, & censuris omnibus, Nobis reservatis, in Sacramentali tantùm Foro, dumque aliorum impertiunt absolutionem peccatorum, & non aliàs, absolvant, delegemus. Hanc itaque facultatem, modò prorsùs hìc suprà designato, & expresso, Archipresbyteris, & Parochis, in peculiari schedula, eisdem tradenda, nominatis concedimus; qui tamen facultatem ipsam ad ædificationem, non ad destructionem eis impartitam esse meminerint; strictam æterno Deo, & Iudici Christo rationem reddituri.

CAPUT XXI.

Pueris, puellisque septennibus Parochi confitendi praxim tradant.

SCiant verò Parochi, aliique curam gerentes animarum, plerosque nostræ Civitatis, ac Diœcesis pueros, & puellas annos fermè decem, vel undecim natos, Christianæ licet Doctrinæ calleant rudimenta, cum confessionis regulas practicè nesciant, sacram adhuc non egisse comperimus exomologesim. Illos, illasque deinceps, septennium, post ubi jam complevisse deprehenderint, ut à pueritia Dominum timere assuescant, modum boni à malo discernendi, praximque peccata confitendi edoceant; ut, nono saltem exacto anno, ad sacramentalem admitti valeant Confessionem.

CAPUT XXII.

Instructio pro ad Confessionem admittendis in Appendice proponitur.

HOc, ut Parochi methodo adimpleant faciliori, nostra, quam in Appendice dabimus, instructione, typis etiam in particulari libellulo exhibenda, uti eos omninò volumus, & jubemus. Cęterum Parochi met incumbant sedulò, nè rudibus illis, innocentibusque animulis, ad vitia, & virtutes æquè pronis, dum boni, quod scire debent, amorem instillant, mali, quod nesciunt, vel minimam indant agnitionem.

§. II.

De remissionibus per Indulgentias.

Ex secunda Synodo Cap. II.

CAPUT XXIII.

Parochi suas Plebes è peculiari libello ad hoc impresso, vim indulgentiarum edoceant.

QUanti momenti sit rectus indulgentiarum usus, quo pœnas nobis debitas, divinæ Justitiæ solvimus, Parochi juxta instructionem peculiari libello impressam populis exponant, ut tanto thesauro rectè utentes amicitiæ Dei participes efficiantur.

CA-

CAPUT XXIV.

Ex eodem libello ſummaria indulgentiarum SS. Sacramenti, & SS. Roſarij Confratribus tradent.

Quas verò Confratres, ſivè Sanctiſſimi Sacramenti, ſivè Sanctiſſimi Roſarii lucrantur, eoſdem edoceant, ut ſciant quantis gratiis dignati ſint, & ferventiùs in Dei ſervitio perſeverent. Harum ſummaria in eodem præfato libello vulgari ſermone exarato in promptu habebunt.

Ex quarta Synodo Cap. VIII.

CAPUT XXV.

Parochis inſtructio de Indulgentiis datur, ultima Dominica Septembris, & quotiès Indulgentiæ publicabuntur, populo legenda.

Inexhauſtus Indulgentiarum in Eccleſia theſaurus, ex Chriſti Domini in primis ſatisfactionibus infiniti valoris conſtans, deindè ex Sanctorum ſuperabundantibus item ſatisfactionibus, in quibus ipſius Chriſti virtus maximè elucet, & ex qua ſatisfactionum connexione perfecta cum Chriſto Capite unio, & membrorum ejuſdem Capitis in utraque Eccleſia triumphante, & militante communio demonſtratur: theſaurus quidem eſſet in agro abſconditus, niſi ejus valorem, & conſequendi modum fideles edoceantur. Quocirca Inſtructionem à Parochis, ultima Dominica Septembris, & quotiès Indulgentiæ publicantur, populo legendam, Appendici adnectimus.

CAPUT XXVI.

Catalogus Indulgentiarum in ſolemnitate Corporis Chriſti, & per octavam à Summis Pontificibus conceſſarum enunciatur, publicandus per Parochos Dominica, feſtum Sanctiſsimi Corporis Chriſti præcedente, & in ipſa ſolemnitate.

Ut autem omnibus innoteſcant ſtipendia ſpiritualia, quæ Romani Pontifices Urbanus IV., Martinus V., & Eugenius IV., eis, qui in ſolemnitate Corporis Chriſti, & per octavas, Horis Canonicis interfuerint, Apoſtolica largitione conceſſerunt, eadem in Appendice dabimus enumerata, quorum catalogum Archipresbyteri, & Parochi ſingulis annis Dominica, feſtum Corporis Chriſti præcedente, & in ipſa diei ſolemnitate publicabunt, quatenus per hæc fideles ad tanti feſti celebritatem avidiùs, & copioſiùs conveniant.

Ex ſexta Synodo Cap. VI.

CAPUT XXVII.

Ut apocryphæ evitentur indulgentiæ, decretum S. Cong. Indulgentijs præpoſitæ, refertur.

Infinitum Indulgentiarum theſaurum, quem comparavit nobis, qui in dilectione, & indulgentia ſua nos redemit (*a*) Parochi omnes animabus ſibi commiſſis, quotiès opus fuerit, evulgare tenentur. Nè verò in re tanti momenti apocryphis libellis fallantur, decretum Sacræ Congregationis Indulgentiis præpoſitæ in Appendice inſertum dabimus.

(*a*) Iſai. 63.

Ex ſeptima Synodo Cap. VIII.

CAPUT XXVIII.

Altare S. Philippi Nerii in Metropolitana perpetuo privilegio pro Animabus è purgatorij pęnis liberandis à S. Sede Apoſtolica decoratur anno 1691.

SAncti Philippi Nerii Altare in noſtra Metropolitana Eccleſia à nobis ſolemnitèr dedicatum die trigeſima menſis Maij decurrentis anni hoc privilegio eſt à Sancta Sede Apoſtolica decoratum, ut quotiès Miſſa ad prædictum Altare celebrabitur pro anima cujuſcumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipſa de theſauro Eccleſię indulgentiam conſequatur, quatenus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum meritis ſuffragantibus, à Purgatoriis pęnis liberetur: prout latiùs in Brevi ſub datum Romæ die 20. Septembris 1691., quod in Appendice exhibebitur.

CAPUT XXIX.

Præcipitur, ut Parochi Altare hoc, unicum in tota Dięceſi perpetuò privilegiatum, evulgent.

CUm itaque Altare hoc in tota Archidiœceſi unicum ſit, quod tanto quotidiano, & perpetuo privilegio fulgeat, animarum Rectores plebi ſuæ notum faciant, ut, & qui Defunctorum ſuffragiis ſtudent, & qui animæ ſuæ in poſterum conſulere, ut Chriſtianum eſt, voluerint, theſauro invento lætentur.

Ex XXIII. Syn. tit. 8. Cap. II.

CAPUT XXX.

Ad Indulgentias copioſiùs aſſequendas Parochi generalem Confraternitatibus, hìc dictis, Paræciorum adſcriptionem promoveant.

DEus, & Pater Miſericordiæ ita peccantibus miſerando peccata dimittit, ut culpa deleta per abſolutionem Sacramentalem benè facientibus quoque pœnæ tribuat remiſſionem. Ad hanc verò per boni operis fructum promerendam S. Mater Eccleſia ſuos filios fideles invitat; Dum ea, qua cœlitùs pollet, poteſtate, reſerato ſpiritualium divitiarum, Chriſti ſcilicet exuberantium meritorum, Beatæ Virginis, & Sanctorum, (a) theſauro, pretioſa eis Indulgentiarum dona concedit. Reliquum eſt, ut Parochi optatæ invitantis Eccleſiæ expectationi pro muneris officio reſpondeant, & commendatum ſibi populum, ſuper iis inſtruant, quæ ad tanti conſecutionem theſauri conferre poſſunt. Quod quidem paræciorum quilibet faciliùs, & copioſiùs mereri poterit, ſi eorum cujuſque animum ad hoc Parochi ipſi ex notificatione, quam Synodalis exhibebit appendix, pro viribus excitent, alliciant, pertrahant, vt omnes, aliis licet Confraternitatibus adſcripti, illis etiam præcipuè SS. Sacramenti, & Roſarii, in quovis ferè noſtræ Archidiœceſis Oppido, & doctrinæ Chriſtianæ, in noſtra Civitate per nos canonicè erectis adſcribantur. Sicque (quod non nemo non impius ſolet), dum Sanctiſſimum adoraturi conveniunt, vel ſupplices comitantur; ſivè Virginis Pſalterium recitant; vel Chriſtiana Doctrina erudiuntur, aut alios erudiunt,

(a) Clemens VI. in Extravag. Unigenitus hoc tit. de anno 1349. & Leo X. in Bulla, quæ incipit: Exurge xj. de an. 1510.

diunt, vel erudiendos invigilant, concessas semper multiplices in Domino lucrentur, & consequantur.

Ex XXXIII. Synodo tit. 7. Cap. un.

CAPUT XXXI.

Candelę duę in septem Altaribus Ecclesiæ Metropolitanæ, pro lucranda Indulgentia designatis, decernuntur; statutæ dies indicantur in Appendice.

(a) Tit. 3. cap. 1.

CUm supra in hac eadem nostra Synodo (*a*), ad fidelium pietatem excitandam, certum candelarum numerum singulis B. Virginis, ac quorumdam Sanctorum festivitatibus, in nostra Metropolitana accendi decreverimus, hoc idem ad fidelium eorundem devotionem peraugendam, statuto die per mensem quemlibet in septem præfatæ nostræ Ecclesiæ Altaribus pro plenaria ibi consequenda Indulgentia designatis, fieri quoque sancimus. Duas itaque candelas ex ipsiusmet capitalis ducatorum septingentum fructibus comparandas, ibidem tunc accendendas jubemus; ut Populus ad Altaria illa visitanda invitetur, & Indulgentiam, à Sanctissimo Patre nostro Clemente PP. XI. ea devotè invisentibus concessam, assequatur; dies autem ipsi, ut clarè, ad quos id spectat, innotescant, post supradictarum festiuitatum Elenchum, in Instrumento jam citato (*b*) adnotabuntur.

[b] Eodem tit. c. 3.

TITULUS XLV.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Ex quarta Synodo Cap. XIV.

CAPUT I.

In quanto animæ periculo excommunicati versentur, ostenditur.

(c) Lib. de vnitat. Eccles.

HAbere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem, præclara est Divi Cypriani sententia: (c) *Si non potuit evadere quispiam, qui extra arcam Noè fuit, & qui extrà Ecclesiam foris fuerit, evadet?* Cum itaque extra Ecclesiam fiat aliquis, non solum per infidelitatem, sed etiam per excommunicationem, hinc satis intelligere excommunicatis datur, in quanto animæ periculo versentur, nisi ad Ecclesiæ gremium per satisfactionis, & absolutionis beneficium redire fatagant.

CAPUT II.

In excommunicatione obsordescentes à Parochis moneantur; si moniti neque post annum ad Ecclesię gremium redire fategerint, ad Archiepiscopum deferantur, ut contra eos, tanquam de hæresi suspectos procedatur.

SUnt autem nonnulli, qui medicinam in venenum vertentes, tanto gladio percussi, aut contemptores non curant, aut exordescentes negligunt, aut contumaces despiciunt; quapropter Parochorum intererit hujusmodi vecordes arguere, ut resipiscant; si verò eosdem invenerint, ut aspides surdos obturantes aures suas, præcipuè post elapsum annum, ad nos deferant, (*d*) ut contra eos tanquam de hæresi suspectos procedi possit.

(d) Trid. sess. 25. de reform. cap. 3.

CAPUT III.

Parochi excommunicatos, in sua Parochia degentes, Dominicis, aliisque solemnioribus festis diebus populo publicent. Si excommunicati in publicum comparere audent, Gubernatoribus deferantur, qui nisi eos coercuerint, in casum incidunt reservatum excommunicatione annexa. Parochi negligentes pœna ducatorum viginti excitabuntur.

IIdem Parochi excommunicatos omnes in sua Parochia existentes, singulis diebus Dominicis, & in alijs solemnioribus festivitatibus populo publicent, ut evitare eos possit; nè morbidæ ovis commercio sanum ovile corrumpatur. Quod si excommunicati adeò pervicaces fuerint, ut in locis publicis comparere non erubescant, negotia agant, & in vetita nitantur, Regiis, ac Baronalibus Gubernatoribus eorum nomina in notula descripta consignent; quos in Domino hortamur (nè in casum nobis reseruatum, cui excommunicatio annexa est (a), incidant), ut à libertate consortii illis inhibita, facti remediis coerceant. In quibus exequendis, si Parochi negligentes fuerint, pœnas ducatorum viginti piis locis applicandas, dabunt.

(a) Prim. Syn. Tab. cas. quibus excomm. annex. n. 10.

CAPUT IV.

Excommunicati absolvendi, si publicum habuerunt commercium pro contemptu, etiam pecuniaria pœna mulctentur.

NOstræ verò Curiæ Officialibus mandamus, ut qui excommunicationis sententiam contempsere, quando absolvi supplicabunt, ob secessum non servatum, majori, vel minori, etiam pecuniaria, pœna, pro contemptus ratione mulctentur, ut qui Dei timore non afficiuntur, temporali saltem pœna à flagitiis deterreantur.

Ex XI. Synodo tit. 37. Cap. V.

CAPUT V.

Censuræ in præcedentibus, sivè Synodis, sivè Edictis latæ, Archiepiscopo reservatæ declarantur.

QUia censuræ, à nobis, sivè in Synodis præcedentibus, sivè in peculiaribus Edictis latæ, quas expressè non reservavimus, facilè parvipenduntur; præsenti constitutione perpetuò valitura, nobismetipsis privativè reservamus.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

DUm adhuc sub prelo esset hoc opus, die 24. Augusti 1723. de more celebrata fuit in Metropolitana Ecclesia sub Eminentiss. Archiepiscopo Ursino Synodus XXXVIII., cuius Constitutiones, & Appendices, ut cum reliquis præcedentium Synodorum in unum congestæ præ manibus habeantur, opportunum, & Clero pergratum visum fuit, easdem tum huic primæ, tum secundæ hujusce Synodici parti iuxta propriam Titulorum seriem superaddere. Sequentibus igitur additamentis fruere, & vale.

AD-

ADDITAMENTA
AD PRIMAM PARTEM
Ex XXXVIII. Synodo.

AD TIT. I.

DE SVMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

Ex XXXVIII. Syn. Tit. I. Cap. I. & II.

CAPUT I.

Neapolitani Regni Civilis historia, à Petro Giannone condita, prohibita promulgatur. Ejusmodi libri Archiepiscopo tradantur.

QUoniam immortali Dei beneficio factum est, ut in his nasceremur regionibus, in quibus Orthodoxa floret Religio, & ergà supremum Ecclesiæ Hierarcham demissisima viget obedientia, pro viribus enitendum Nobis est, ut, quam didicimus ab ea, quæ firmamentum est, & columna (*a*) veritatis, Ecclesia Dei vivi, sine macula, & sine ruga conservetur Fides; nec gregem Nobis creditum ulla perniciosa erroris lues inficiat. Cum itaque paucis ab hinc mensibus (quod quidem summa cum animi acerbitate recolimus) Neapolitanis è prelis Regni nostri Civilis Historia in lucem exierit, digna tantummodo luce flammarum, à Petro Giannone, diabolico afflante spiritu, conscripta; eaque Sacræ Congregationis Universalis Inquisitionis decreto, die prima præteriti mensis Julii lato, interdicta fuerit, atque damnata; *utpotè, quæ doctrinas, & propositiones contineat quamplurimas falsas, temerarias, scandalosas, seditiosas, per summam calumniam injuriosas omnibus Ecclesiæ Ordinibus, & toti Ecclesiasticæ Hierarchiæ, præsertim S. Sedi Apostolicæ, erroneas, schismaticas, atque impias, & hæresim, ut minimum, sapientes*; idcircò plebi nostræ consulere volentes, ipsummet decretum in Appendice Constitutionum harum evulgare statuimus, ut cunctis innotescat, omnesque declinent (*b*) fortiter, & evitent verba eorum, quorum sermo serpit, ut cancer. Parochi verò nostri, prima proximi mensis Septembris Dominica, decretum illud populo explanent, curentque, nè fraudi sit perversa curiositas, aut stulta eruditio, cum præstet multa (*c*) ignorare, quàm subversionis periculo se committere. Ea propter *sub excommunicationis latæ sententiæ pęna*, ut ejusmodi libri, si qui sint in nostra hac Diœcesi, Nobis tradantur, præcipimus; & quicumque, cujuslibet gradus, vel conditionis existant, eos legere, aut retinere præsumpserint, Nobis quoque denuncientur.

(*a*) 1. ad Timoth. 3.16.

(*b*) S. Cyprian. lib. 1. ep. 3. ad Cornel.

(*c*) S. Leo cap. 15.

CAP. II.

Quædam superstitionis species eliminantur.

SUperstitionis vitium, quod Angelico Pręceptore teste (*d*) Religioni etiam opponitur, pluribus licèt

(*d*) 2. 2. q. 92. art. 1. 2.

licèt Synodalibus editis Constitutionibus (a), & Edictis radicitùs evellere, pro nostri muneris ratione, curaverimus; adhuc tamen in plerisque Diœcesis nostræ Oppidis, in ipsa immò Civitate, dominari perlatum ad nos fuit. Ea igitur quæcumque sint, quæ hostis antiqui malitia, ad morbos curandos, vel inferendos, ad res deperditas inveniendas, aut aliud quidpiam agendum, quod Naturæ, & Artis industriam superat, in genus invexit humanum; ut per profanas superstitiones in obsequium suæ voluntatis illiciat, quos (b) premere non potest impotenti dominatu; Synodali hac sanctione damnamus, quique hæc exercere ausi fuerint, denunciandos esse, prout in Edicto interiùs alligando, significamus. Moneant proindè animarum Rectores, beatum esse virum illum, cujus Dominus (c) spes eius, nec respexit ad vanitates, & insanias falsas; ostendantque, quam grande malum operentur in conspectu Domini, qui erepti semel de potestate tenebrarum, iterum nequissimi hostis societatem ineunt, vel servitutem subeunt; cum superstitiones omnes ex aliquo pacto (d) procedant cum Dæmonibus inito, tacito, vel expresso.

(a) Syn. III. cap. 2. n. 3. & Syn. VII. cap. 2. &c.

(b) S. Leo serm. 2. de Nativ.

(c) Psal. 39.

(d) Cit. 2. 2. q. 122. art. 2. ad 3.

AD TIT. II.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Ex XXXVIII. Syn.

DECRETUM

De aperitione Synodi &c.

Paralytici tolerantia, qui triginta, & octo annos ad Probaticam Piscinam (e) jacens, aquæ motum, nunquam discedens, expectavit, ut à qua detinebatur infirmitate, sanus evaderet, æterna quidem sibi laudum præconia comparavit. Præclarum & vos, Dilectissimi, patientiæ specimen exhibuistis, qui singulis Diœcesanis Synodis, quas ad hanc usque Trigesimam, & octavam, quotannis coegimus, alacres animo, solicitudine non pigri, spiritu ferventes adfuistis. Cum tamen Clinicus ille duodequadragesimo potissimùm valetudinis anno sanitatem à Cœlesti Medico meruerit obtinere, quænam in ea re mysteria latere putatis? Scilicet octavo, & trigesimo numero languores indicari censuit (f) Augustinus; quoniam binario, duplici nempè dilectione, quam Deo debemus, & proximo, cadit à quadragenario, qui plenitudinem denotat justitiæ, perfectumque conversationis nostræ cursum designat. Plenitudo legis (g) est charitas, in cujus duobus mandatis (h) tota Lex pendet, & Prophetæ. Sine gemina hac dilectione Lex impleri (i) non potest; quandiù verò Lex non impletur, infirmitas perseverat. Quid ergo mirum, quia languebat, qui ad quadraginta duo minus habebat? Venit deindè Dominus charitatis Doctor, charitate plenus, & duo præcepit, quoniam jacentem duobus minus invenit: duo jubendo, quod minus erat, implevit: & in duobus jussis duo præcepta significavit charitatis. Recogitemus modò, Dilectissimi, num nos inter, tot etiam post habitas Synodos, in Octava hac supra Trigesimam jaceat hìc multitudo magna languentium, cæcorum, qui scientiæ lumen non habent: claudorum, qui & ea, quæ

(e) Jo. 5. 2.

(f) Tract. 17. in Joannem.

(g) Ad Rom. 13. 10.

(h) Matth. 22. 40.

(i) Aug. loc. cit.

quæ bona norunt, implere nolunt: aridorum, qui supernæ dilectionis pinguedine carent (a). Valdè quidem pertimescendum videtur: sed eja omnes cum fiducia ad thronum gratiæ (b) adeamus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Salvatorem nostrum Deum, qui salvat (c) sperantes in se, deprecemur obnixè, ut quoniam trigesimo octavo ægritudinis anno Languidum verè sanavit, hoc eodem Synodali anno labente nostros quoque pellat languores, per Spiritus Sancti gratiam largiendo præcepta charitatis, sine quibus reliqua nihil sunt, ipse, qui Deus est, & Homo, utriusque dilectionis (d) in Deum, & homines Author. Charitas sane finis est harum Synodalium Congregationum, sanctionumque, ut quotquot huc convenerint, egredientes deindè, Castella, & Villas, viros,& mulieres, amoris igne,quò hic replentur, incendant, & ardentissimas zeli flammas propter divinorum præceptorum observationem, qua charitas comprobatur, usquequaque diffundant. Quamobrem Trigesimamoctavam ipsam Diœcesanam Synodum, superiore anno jàm indictam, hac ipsa die 24. Augusti currentis anni 1723. ad Omnipotentis Dei, & Jesu Christi Filii ejus, Domini nostri, Sanctissimæ Deiparæ, S. Michaelis Archangeli, Sancti Apostoli Bartholomæi, SS. Pontificum nostrorum Januarij, & Barbati, SS. Dominici,& Philippi Nerii Confessorum, ceterorumque nostræ Civitatis SS. Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, & honorem, & laudem apertam esse, atque inceptam volumus, promulgamus, & decernimus.

(a) Beda in Expositiohujus Evangelii.
(b) Ad Hebr. 4. 16.
(c) Daniel. 13. 60.
(d) Petr. Bongus de numeris.

Reliqua decreta, nempe de modo vivendi in Synodo, de Ministris Synodalibus, de præiudicio non afferendo, de non discedendo, de oratione publica, ac Fidei professione, & de cæteris hujusmodi habentur in Actis, quæ in Archiepiscopali Cancellaria servantur.

AD TIT. XXIII.

DE REGULARIBUS.

Ex XXXVIII. Syn. Tit. III.

CAPUT UNICUM.

Nova Congregationis Clericorum Doctrinæ Christianæ in Archidiœcesi fundatio denunciatur.

Sacri Tridentini Concilii (e) decreto, pueros Catholicæ Fidei rudimentis imbuendos curavit, a Spritu Sancto edocta Ecclesia Dei, nè quos ad vitam gignit, lacte destitutos,& pabulo perire contingat. Nos idcircò, prout benè nostis, ut parvulis essent (f) revelata, quæ sapientibus, & prudentibus fuerunt olim abscondita, cathechizandi provinciam, quam summi tenuerunt Viri, immò, & ipse Christus, qui parvulos (g) ad se venire jubebat, lubentissimo suscepimus animo, & Clero nostro nedùm monitis, instructionibus, præceptis, saluberrimi hujus operis curam injunximus, verum jugi quoq; exemplo præluximus. Cupientes autem tanti momenti negotium,quantum in nobis situm est,promovere, probatissimos Congregationis Doctrinæ Christianæ Clericos, quorum præcipuum munus, & institutum est, rudes pueros in Christiana Fide

(e) Sef. 24. de refor. cap. 4.
(f) Matth. 11. 25.
(g) Matth. 19. 14. Marc. 10. 4. Luc. 18. 16.

de erndire, in Archidiœcesim nostram aduocauimus; eisque Conventum PP. Carmelitarum jam suppressum, in Oppido S. Ioannis in Galdo, suis cum redditibus concessimus; & insuper mille, & quingentorum ducatorum sortem, prout ex instrumento legitur, quod exhibebit Appendix, impertivimus. Novis proinde, ac fervidis Operariis instructam hanc nostram Ecclesiam, dum Vobis denunciamus, gaudete in Domino, & exultate; quoniam quinque (a) Regularium Conventibus, per Nos Deo juvante, canonicè erectis, hæc sexta accedit optimorum fundatio Clericorum, vt in re tam salutari subsidiariam præstando operam, sustentent Nobiscum onus populi, & non soli grauemur. (b)

(a) Syn. XXIV. Tit. III. cap. 1. Syn. XXXVI. Tit. 4. cap. 1.

(b) Num. XI. 17.

AD TIT. XXVIII.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, VEL ALTARIS.

Ex XXXVIII. Syn. Tit. IV. Cap. II.

CAPUT UNICUM.

Cathedralem Portuensem cum duobus Altaribus Archiepiscopus consecrat. Aliud item Altare in nova Cathedralis Capuanæ Confessione dedicatum refertur.

INter enarratas Ecclesiarum, & Altarium Consecrationes, Cathedralis nostræ Portuensis, ejusque duorum Altarium connumerari monemus dedicationes. Illa enim præinsignis Ecclesiæ, quæ post Romanam, Episcopatus honore secunda, cæteris omnibus antecessit, à Fulvio Cardinali Corneo (c) excitata; ut ubi antiquæ illius Civitatis non posset revocare fortunam, ejusdem saltem Ecclesiasticæ dignitatis relinqueret non obscura vestigia; à Flavio Cardinale Chisio (d) amplificata, à Nobis demùm, qui, licet immeritò, ejus regimen nunc sustinemus, restaurata, atque, duobus lectis è marmoribus extructis Aris, suis iam expleta numeris, præteriti mensis Maii trigesima die, sacro chrismatis oleo delibuta fuit, ut ipsius Visitationis ratio postulabat, qua Diœcesim pro nostro munere lustrabamus.

Aliud item intra numerum prædictum includi denunciamus Altare, Capuanum nempè, quod, præcipiente Emo, & Reuerendiss. Domino, D. Nicolao S.R.E. Cardinali Caracciolo, Metropolitanæ illius præclaræ Ecclesiæ Archiepiscopo meritissimo, in recenti Principis Templi, quod ab integro nobiliorem in speciem profusis sumptibus restituit, Confessione, elapsa die 23. Aprili in honorem B. Virginis, ac Matris Dei Mariæ Dolorosæ inauguravimus. Id enim speciali nota recensendum fuit: ut neminem lateret, Capuanam Ecclesiam, & Beneventanam, licet sint Urbes, quoad dominium seculare sejunctæ, adhuc autem spiritualis eodem amoris vinculo colligari, quo Longobardorum Principum tempore (e) devinciebantur.

(c) Obiit an. 1583. Ughel. tom. 1. Italiæ Sacræ in Episc. Portuen.

(d) Obiit an. 1693. Idem loc. cit.

(e) Vide Sarnel. in Chronol. Archiep. Beneventanor. pag. 64.

AD

AD TIT. XXX.

DE BAPTISMO &c.

Ex XXXVIII. Syn. Tit. V.

CAPUT UNICUM.

Non alia, quam Sanctorum Nomina Baptizatis imponantur.

GEntilium vana prorsus, & ridicula nomina in Confirmationis Sacramenti administratione, pueris indita non semel advertimus; in quo quidem nulla parentum apparet pietas, nulla erga liberos diligentia. Cum enim per baptismum recenseantur Infantes in libro viventium, valdè alienum est, eorum nominibus insigniri, qui de Libro vitæ deleti sunt. Non alia itaque, quam Sanctorum nomina, ad Ritualis (*a*) Romani præscriptum, sub pœna ducatorum trium Baptizatis imponi volumus, ut ipsa appellatione admonente (*b*) virtutem exerceant, & eorum muniantur præsidio in Terris, qui plurima apud Deum gratia valent in Cœlis.

(*a*) De Baptismo tit. de Oleis Sanctis, & aliis requisitis.
(*b*) S. Joan. Chrysost. hom. 2. in Gen. 5.

AD TIT. XXXII.

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

Ex XXXIII. Syn. Tit. VI. cap. II.

CAPUT UNICUM.

S. Marci Martyris Corpus Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus donat, & ab eius Clero in prælaudati Sancti honorem Officium cum Missa præscripta die celebrandum decernit.

COrpus cum parte vasis Sanguinis S. Marci Martyris, hoc proprio nomine repertum, & inscriptum: *Eufrosinus Benemerenti Marco filio*: ex uno Cœmeteriorum Urbis extractum, & à Sacra Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Congregatione, prout ex Testimonialibus Tabulis Illustrissimi, & Reverendiss. Domini Episcopi Targensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Sacrarij Apostolici Præfecti, in Archivo nostro asservatis liquet, approbatum, nuper nobis dono dedit, in capsula crystallina affabrè elaborata, Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus Princeps Franciscus Maria Ruspoli: quo pretioso thesauro Ecclesiam hanc Metropolitanam, sponsam nostram charissimam, nos deindè locupletavimus. Quia tamen, licet omnes Martyres devotissimè à nobis percolendi sint, specialiter ii sunt venerandi (*c*), quorum reliquias possidemus, à Clero in posterum prædictæ nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ vigesima Julii die, ab officio novem lectionum haud impedita, in honorem ejusdem Sancti Officium duplex persolvatur, & Missa celebretur. Super Altare verò majus Corpus idem Populo spectandum, adorandumque proponatur.

(*c*) S. Maxim. Taurin. homil. de natal. Taur. Mart.

AD TIT. XXXVI.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM.

Ex XXXVIII. Syn. Tit.VIII.

CAPUT UNICUM.

Lusus clamorosi, cæteraque ludicra spectacula propè Ecclesias inhibentur.

(a) Gen.28.17. (b) Psal.41.5. (c) Deut.12.5.

CUm sit Ecclesia Domus(a)Dei, locus Tabernaculi admirabilis (b), quem elegit Dominus noster, ut ponat nomen suum (c) ibi, & habitet in eo, quamdiù fideles à superna patria extorres in hac lacrymarum valle peregrinantur, jugiter eos sacra Templa frequentaturos quis abnueret, ut,dies in Cœlestis sponsi laudibus, & meditatione transigentes, infelicis ærumnas exilii faciliùs ferrent? Verùm (pròh dolor!) eò est quorumdam progressa stultitia, ut in ipsis Ecclesiarum atriis desides commorari potiùs placeat, quam Sanctuaria ingredi Dei. Ut igitur amputemus (d) occasionem eorum, Synodali hoc decreto præcipimus, nè pro foribus, aut in vestibulis, aut propè muros Ecclesiæ cujusvis,ante ipsum etiam nostrum Archiepiscopium, quo tempore publicæ adorationi Eucharistia exponitur, Psalterium canitur Marianum, seu Concio habetur, inania edantur spectacula, pila ludatur, aut aliud quidquam agatur, quo strepitus, clamoresque excitati, sacris functionibus molestiam inferant, & ab eisdem Fideles deducant. Vigilanter in id oculos intendant Rectores, & Sacristæ, divinique honoris vindices se exhibeant, ludicra quæque arcendo, reosque pertinaces nobis significando, qui, citra omnem veniæ spem, meritas pœnas, quæque aliis exemplo sint, repetemus.

(d) 2. ad Cor.11. 12.

AD TIT. XLII.

DE INJURIIS, ET DAMNO DATO.

Ex XXXVIII. Syn.Tit.IX.

CAPUT UNICUM.

Incendiarii excommunicationis pœna ipso facto illigantur. Eius absolutio Archiepiscopo reservatur.

ETsi Apostolico Imperio felicissimam se meritò jactet Urbs nostra, magna tamen in infelicitate versatur, quod ad eam, cum Civitas sit Refugii, mortalium perditissimi, qui cæteris in hujus Regni locis ultimo supplicio sunt addicti, quotidiè confugiant; assiduis enim, quibus se polluunt, facinoribus,utpotè ad omne scelus projecti, gravissimis nos malis affligunt. Intèr cetera verò damna, segetes alienas in sudore vultus cultas, & in acervum redactas, ut superioribus annis, & hoc eodem accidit mense, ex odio, vel vindicta igne consumunt; quæ pessima, depopulatrix, & horrenda incendiorum malitia, jure quidem Civili (e) capite punita, Canonico (f) verò excommunicationis pœna, quantum Civium ani-

(e) L. qui ædef. ff. l.ult. ff. de incendio l. capitalium 28. §. incendiarii ff. de pœnis.

(f) Can. pessimam 32. XXIII. q. 8 cap. tua nos de Sent. Excomm., & ibi DD.